R
1281

F14

Cover



Thomas Maitland
Dundrennan

R. ESTICA.

B. 465.

419

1765

11083

Collegij Soc.tis Jesv Bruxellæ
1620

DANICA

HISTORIA LIBRIS XVI,

ANNIS AB HINC TRECENTIS QVINQVAGINTA, SVMMA VERBORVM ELEGANTIA, *magna sententiarum grauitate, rerum denique admiranda varietate, intermixtis aliarum quoque Gentium historijs, conscripta.*

1469
XI.

Auctore

SAXONE GRAMMATICO

SIALANDICO DANO, HISTORICO LAVdatissimo: & quod ea ætate omnino mirandum, tam verbis quàm rebus politissimo.

Cum indice rerum memorabilium locupletißimo.



FRANCOFVRTI AD MOENVM
Ex officina Typographica And. Wecheli.
M. D. LXXVI.

Bibliothecæ Hafflighemensis. 1780.
8. III. 23

Bibliotheca Universitatis Dorpatensis
1924: 459.
1127
ESTICA
B. 465.
i 16957-490
Eesti Vabariigi Raamatukogu
Toompea
loss.

AMPLISSIMO VIRO, DOMINO CHRISTOPHORO ZVM IVNGEN, MAIORVM GENTIVM, PATRICIO FRANCOFVRTENSI, Patriæq; Consuli vigilantissimo, Domino suo colendo S. P. D.

ILLVSTRIA *diuinæ sapientiæ, & bonitatis Amplissime* CONSVL, *passim in hoc pulcherrimo Mundi theatro, videre est testimonia. In primis verò, si oculos defixerimus in sanctissimas Constitutiones Legum, & Iudiciorum, quibus Imperia, & quæuis Politiæ continentur, tum etiam in fatales Imperiorum periodos, mutationes, incrementa, decrementa, Gentiumq; tum migrationes, tum mutuas successiones: omnino fatendum erit, ex* DEI *Opt. Max. nutu ac bonitate res humanas omnes foueri & administrari, certosq; tum Imperijs, tum Gentibus præfigi limites, illius etiam ductu, & afflatu, excitari heroica Principum, Regum, Imperatorum ingenia, vt res magnas, Reiq; pub. salutares gerant, Tyrannorum potentiam euertant, eorum scelera & libidines puniant, Virtutis & Iustitiæ, Legum ac Iudiciorum patrocinium suscipiant, bonos viros, honestati pietatiq; studentes, ornent ac tueantur. Quæ accuratius animis contemplari omnes quidem homines, tum verò inprimis eos, qui verè sunt homines, hoc est, ab humanitatis studijs non alieni, decet, tùm quòd in hisce palàm elucere diuinam sapientiam, iustitiam & bonitatem animaduertant, tùm etiam, quòd ipsemet æternus rerum conditor & conseruator, quemadmodum alia suarum manuum opera, sic etiam hæc sapientiæ & bonitatis suæ munera à nobis considerari velit. Nec enim de nihilo est, quod apud regium vatem Esaiam grauiter in-*

terminatur Dominus ijs, qui vitam agentes genialem, opera manuum eius, crapula vinoq; æstuantes, minus considerant. Quòd si manuum suarum opera à nobis considerari vult Dominus, certè etiam attendere nos iubet ad illa peculiaria sapientiæ suæ, Bonitatis & Iustitiæ testimonia, quæ in Imperiorum, Regnorum, & quarumuis Politiarum vel Gentium conseruatione, ac mutationibus sese nobis ostendunt, eaq; vult à nobis cognosci, & ad posteros vsq; deriuari: seriem temporum, mutationes Imperiorum, tum etiam, quoad eius fieri potest, singularum Gentium res gestas.

Quæ cum Historiarum lectio nobis potissimum suppeditet, nouo sanè beneficio mortalium genus sibi deuincire ij non immeritò iudicantur, qui quouis modo in describendis Imperiorum, Gentiumq; vel mutationibus, vel rebus gestis, posteritati consuluerunt, vel etiam hodiernum in diem id præstare, sibi studio habent. Nec verò ij solum, qui Historijs scribendis operam nauant, suo hoc munere genus mortalium sibi obstringunt, verùm etiam non minore sibi omnes eos, qui politiore doctrina gaudent, obligant beneficio, qui talium authorum, qui res memorabiles ad posteros transmiserunt, interitum præcauere, eósque quàm nitidissimos alijs communicare gaudent. Qua in re magnam industriæ laudem meretur noster Andreas Wechelus, typographus & ciuis vestræ Reipub. honestissimus, doctrinaq; & humanitate haud vulgari præditus. Qui cum insignes aliquot Historicos hactenus ex sua typographica officina in publicum emisisset, rem literariam pro sua etiam virili iuuare & promouere cupidus, iamq; aliquot multis annis impensè à viris doctis desiderari animaduerteret, insignem illum historicum Saxonem Grammaticum, qui annis ab hinc ferme trecentis quinquaginta, sedecim libris suæ Gentis Danicæ historias, ea verborum elegantia, sententiarum grauitate, rerumq; & euentuum varietate, complexus fuit, vt vel primæ classis Historicis conferri mereatur: eo etiam authore quatenus eius copia ipsi fieri posset, officinam suam typographicam ornare, Reíque publicæ literariæ ea in re gratificari animum induxit.

Communicato itaque hac de re consilio cum Viro Clarissimo Dom. Iohanne Fichardo, I. C. celeberrimo, Patriq; Aduocato & Syndico primario, meo & fautore & Mecœnate multis nominibus suspiciendo: non solùm ille, pro sua singulari humanitate, qua politiora studia & colere, & promouere, tum etiam de eorum cultoribus, licet grauissimis Reipub. negotijs districtus, bene mereri

reri nunquam desistit, propositum hoc eius probauit, sed etiam è sua bibliotheca, quam in omni genere disciplinarum & facultatum, selectis authoribus habet instructissimam, quam etiam vt præclarum in hac Repub. thesaurum Viri docti exosculantur, authorem ipsum prompta mente submini strauit. Quem cum pro sua in re typographica dexteritate & diligentia prælo committi, typisq; describi pulcherrimis Wechelus curaret, à me petijt, cum aliquoties antehac in re literia meam typographis qualemcunq; opellam haud inuitus locarim, vt nouo huic in sua officina typographica authori, nouum patronum eligerem, cui tum suo, tum meo nomine eum offerrem, adeoq; dedicarem. Quam eius petitionem apud me irritam esse nolui, præsertim cum honesta esset, & author ille (etiam Erasmi Roterodami, acerrimæ censuræ viri, testimonio) omni sit commendatione dignissimus. Nec futurum, spero, vt id mihi, quod longo hucusque vsu apud doctissimos quosq; est receptissimum, vitio vertatur. Haudquaquam enim dedicando alienos labores, eos nobis temere vendicamus, vel in eorum possessionem impudenter inuolamus, sed debitam mentis nostræ gratitudinem erga viros doctissimos, qui suis lucubrationibus inseruire posteris vnicè studuerunt, hoc exili officio testari & declarare cupimus.

Cum ergo Amplissime CONSVL, inter complures animi tui eximias virtutes, hæc etiam singulare Præstantiæ tuæ decus addat, quòd humaniorib. studijs & faueas, & addictus sis, in primis verò lectione Historiarum gaudeas, castissimamq; animo tuo voluptatem inde concilies: me nihil humanitate ea, quæ in te elucet, alienum facturum putaui, si vt piæ obseruantiæ monimentum, historiam hanc Danicam ex Wecheli nostri officina nunc recens prodeuntem, tuæ potissimum Præstantiæ offerrem dedicarémque: & simul insigni tuo honori, tum etiam Patriæ ipsi gratularer: quæ quidem non solum AEdilitatis tuæ, quam superiori anno magna cum laude, & gloria, adeoq; cum ipsius Reipub. peculiari tùm emolumento, tum ornamento gessisti, præclara opera gratulante animo intuetur, sed etiam modò Amplissimi tui Consulatus dexteritate, læta fruitur, dum ita Rempub. à te administrari videt, vt omnia non ad priuatam vtilitatem, & commodum, sed ad Patriæ salutem, decus, & dignitatem, (id quod proprium esse Magistratus munus, testatur Cicero) conferas, nec facile affectibus ad iracundiam impellentibus obtemperes, sed rationi, & rebus ipsis, & temporis oportunitati inseruias, quam virtutem in primis

in eo, qui ad Reipub. gubernacula sedet, grauissimus Orator Demosthenes requirit.

Ad hæc, cum hactenus inclytæ vestræ Reipub. circa teneros adolescentum animos, ad studia pietatis literarúmque rectè formandos, pro ea, quam pro inexhausta sua bonitate largitus fuit mihi DEVS *Opt. Max. gratia, meam annis aliquot locarim operam, summamq; semper Amplissimi Senatus humanitatem & beneuolentiam expertus sim, iámque relicto munere Scholastico (quod* DEO *acceptum esse & semper agnoui, & semper valde amaui, plurimiq; feci) legitimæ honestæq; parens vocationi, ad munus Ecclesiasticum animum adiecerim, hoc veluti publico symbolo animi mei, erga tuam Præstantiam,* CONSVL *Amplissime, adeoq; reliquos celeberrimæ huius Reipub. proceres, Dominos summa fide mihi colendos, gratitudinem, pro benigniter collatis in me beneficijs declarare volui.*

Quocirca, CONSVL *Amplissime, tum meo, tum optimi viri Andreæ Wecheli nomine rogo, vt hãc Danicã Saxonis historiam, eruditam iuxta ac elegantem, placido vultu, animóque benigno, (quod soles) vt nostræ obseruãtiæ monimentum, suscipere, nosq; tui honoris studiosissimos tibi commendatos habere digneris: quod te pro singulari animi tui integerrimi candore & humanitate facturum, plane confidimus.*

Æternus pater Domini nostri IESV CHRISTI *te tuamq; Nobilem Familiam in Nestorios annos incolumem patriæ conseruet. Datum Francofurti Calendis Septembris. Anno M. D. LXXVI.*

T. A.

Obseruantissimus
Philippus Lonicerus.

DE S. Eraſmi Roterodami de Saxone cenſura in Dialogo Ciceroniano.

IN Daniam nauigare malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui ſuæ gentis hiſtoriam ſplendidè magnificeq; contexuit. Probo viuidum & ardens ingenium, orationem nuſquam remiſſam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, ſententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem: vt ſatis admirari non queam, vnde illa ætate homini Dano tãta vis eloquendi.

SAXONIS GRAMMATICI SIALANDICI VIRI ELOQVENTISSIMI, IN GESTA DANORVM PRÆFATIO.

CVM cæteræ nationes rerum ſuarum titulis gloriari, voluptatemq; ex maiorum recordatione percipere ſoleant: Danorum maximus pontifex Abſalon patriam noſtram, cuius illuſtrandæ maxima ſemper cupiditate flagrabat, eo claritatis & monumenti genere fraudari non paſsus, mihi comitum ſuorum extremo, cæteris operam abnuentibus, res Danicas in hiſtoriam conferendi negotium intorſit, inopemq; ſenſum maius viribus opus ingredi, crebræ exhortationis imperio compulit. Quis enim res Daniæ geſtas, literis proſequeretur? quæ nuper publicis initiata ſacris, vt religionis, ita latinæ quoq; vocis alienator pebat. At vbi cum ſacrorum ritu latialis etiam facultas acceſsit, ſegnities par imperitiæ fuit, nec deſidiæ minora, quàm antea penuriæ vitia extitere. Quo euenit, vt paruitas mea, quamuis ſe prædictæ moli imparem animaduerteret, ſupra vires niti, quàm iubenti reſiſtere præoptaret, ne finitimis factorum traditione gaudentibus, huius gentis opinio potius vetuſtatis obliuiis reſperſa, quàm literarum monumentis prædita videretur. Igitur oneri cunctis præteriti ævi ſcriptoribus inexperto, rudes labori humeros ſubijcere coactus, imperiumq; negligere veritus, audacius quàm efficacius parui: quanquã ingenij mei imbecillitas fiduciam negabat, ab hortatoris amplitudine mutuatus. Cuius fatis cœpti mei metam præcurrentibus, te potiſſimùm Andrea, penes quem ſaluberrimus ſuffragiorum conſenſus honoris huius ſucceſsionem ſacrorumq; ſummam eſſe voluit, materiæ ducem autoremq; depoſco: obtrectationis liuorem, qui maximè conſpicuis rebus inſultat, tanti cognitoris præſidio fruſtraturus. Cuius fertiliſsimum ſcientiæ pectus ac venerabilium doctrinarũ abundantia inſtructum, veluti quoddam cœleſtium opum ſacrarium exiſtimandum eſt. Tu Galliam, Italiamq; cum Britannia percipiendæ literarum diſciplinæ, colligendæq; earum copiæ gratia perſcrutatus, poſt diutinam peregrinationem ſplendidiſsimum externæ ſcholæ regimen apprehendiſti, tantumq; eius columen euaſiſti, vt potius magiſterio ornamentum dare, quàm ab ipſo recipere videreris. Hinc ob inſignium culmen, meritaq; virtutum, regius Epiſtolaris effectus, officium mediocritatis liminibus contentum tantis induſtriæ operibus exornaſti, vt idem poſtmodum ampliſsimæ dignitatis viris ad eum quem geris honorem tranſlatis, beneficij nomine expetendum relinqueres. Quamobrem Scaniam tripudio diſſultare cõpertum eſt, quòd pontificem potius a finitimis mutuata ſit, quàm ex indigenis legerit: quippe quæ laudabiliter delectum egit, iocunditatem ex ſuffragio ſuo meruit. Itaque cum genere, literis, ingenioq; niteas, ac plebem fœcundiſsimis doctrinæ ſtipendiis regas, maximum tibi gregis amorem conciliaſti, ſuſceptiq; miniſterij partes glorioſæ executionis fiducia ad laudis cumulum perduxiſti. Et ne rerum dominium poſſeſsione vſurpare videreris, ampliſsimum patrimonium ſacris ædibus religioſæ liberalitatis teſtamento legaſti: obſitasq; curis opes decenter abijcere, quàm earum auiditate & pondere implicari maluiſti. Tu item mirificum reuerẽdorum dogmatum opus complexus, priuatisq; curis publicæ religionis officia anteponere auidus, pertinentium ad eam rerum ſolutionem abnuentes, ſalutarium conſiliorum doctrina, debitis ſacrorum obſequijs adegiſti, veteremq; diuinarum ædium iniuriam religioſo lucri beneficio rependiſti. Præterea laſciuioris vitæ ſtudioſos, intemperantiaq; plus æquo viribus indulgẽtes, ſaluberrimæ exhortationis perſeuerantia, ac ſplendidiſsimis frugalitatis exemplis ad honeſtiorem mentis habitum ab enerui mollitudine reuocatos, dictis ne an factis magis inſtruxeris, dubium reliquiſti. Ita quod tuorum nulli prædeceſſorum obtinere tributũ eſt, ſolis pru-

dentiæ monitis impetrasti. Nec ignotum volo, Danorum antiquiores conspicuis fortitudinis operibus æditis, gloriæ æmulatione suffusos, Romani styli imitatione, non solùm rerum a se magnificè gestarum titulos exquisito contextus genere, veluti poëtico quodã opere perstrinxisse, verùm etiam maiorum acta patrii sermonis carminibus vulgata, linguæ suæ literis, saxis ac rupibus insculpenda curasse. Quorum vestigijs seu quibusdam antiquitatis voluminibus inhærens, tenoremq; veris translationis passibus æmulatus, metra metris reddenda curaui, quibus scribendorum series subnixa, non tam recenter conflata, quàm antiquitus ædita cognoscatur: quia præsens opus non nugacem sermonis luculentiam, sed fidelem vetustatis notitiam pollicetur. Quantum porro ingenij illius homines historiarum ædituros putemus, si scribendi sitim latinitatis peritia pauissent? Quibus tametsi Romanæ vocis notitia abesset, tanta tradendæ rerum suarum memoriæ cupido incesßit, vt voluminum loco vastas moles amplecterentur, codicum vsum à cautibus mutuantes. Nec Tylensium industria silentio obliteranda: qui cum ob natiuam soli sterilitatem luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ sobrietatis exerceant, omniaq; vitæ momenta ad excolendam alienorum operum notitiam conferre soleant, inopiam ingenio pensant. Cunctarum quippe nationum res gestas cognosse, memoriæq; mandare, voluptatis loco reputant: non minoris gloriæ iudicantes alienas virtutes dissẽrere, quàm proprias exhibere. Quorum thesauros historicarum rerum pignoribus refertos curiosius consulens, haud paruam præsentis operis partem ex eorum relationis imitatione contexui. Nec arbitros habere contempsi, quos tanta vetustatis peritia callere cognoui. Nec minus Absalonis asserta sectando, quæ vel ipse gessit, vel ab alijs gesta perdidicit, docili animo, stylóq; complecti curæ habui, venerandæ eius narrationis documentum, perinde ac diuinũ aliquod magisterium amplexatus. Te ergo salutaris princeps, ac parens noster, cuius illustrißimam a priscis temporibus prosapiam dicturus sum, clarißima lux patriæ Voldemare, dubium laboris huius progressum fauore prosequi rogo, quia propositi pondere cõstrictus, vereor ne magis imperitiæ meæ habitum, ingenijq; debilitatem patefaciam, quàm tuam (sicut par est) originem repræsentem. Siquidem præter paternæ hæreditatis amplitudinem, conspicua regni incremẽta finitimorum oppressione sortitus, Albiæq; reciprocos fluctus propagatæ dominationis labore complexus, haud mediocre claritatis momentum celeberrimis laudis tuæ titulis adiecisti. Ita antecessorum famam atq; opinionem operum magnitudine supergressus, ne Romani quidem imperij partes armis intentatas liquisti. Cumq; fortitudine & liberalitate instructißimus habearis, plus ne hostes bellis terreas, an ciues humanitate demulceas, ambiguũ reddidisti. Tuus quoq; fulgentißimus auus publicæ religionis titulis consecratus, immeritæq; mortis beneficio immortalitatis gloriam consequutus, nunc sanctitatis fulgore perstringit, quos olim victoriis acquisiuit: ex cuius sanctißimis vulneribus plus virtutis quàm cruoris effluxit. Cæterùm prisco atq; hæreditario obsequendi iure, saltem ingenij viribus tibi militare constitui: cuius clarißimi patris castrensem militiam parens, auusq; meus fidißimus bellici laboris operibus coluisse noscuntur. Tuo igitur ductu, respectuq; subnixus, quò cætera liquidius exequar, initiũ à patriæ nostræ situ, descriptuq; petere statui, speciosius singula perstricturus, si narrationis procursus competentia rebus loca permetiens, ab eorum positione dicendorum inchoamenta deduxerit. Huius itaq; regionis extima, partim soli alterius confinio limitantur, partim propinqui maris fluctibus includuntur. Interna verò circũfusus ambit Oceanus, qui sinuosis interstitiorum anfractibus, nunc in angustias freti contractioris euadens, nunc in latitudinem sinu diffusiore procurrens, complures insulas creat. Quo fit, vt Dania medijs pelagi fluctibus intercisa, paucas solidi continuiq; tractus partes habeat, quas tanta vndarum interruptio prouaria freti reflexioris obliquitate discriminat. Ex his Iutia granditatis inchoamentiq; ratione Danici regni principium tenet, quæ sicut positione prior, ita situ porrectior Theutoniæ finibus admouetur. A cuius complexu fluminis Eydori interriuatione discreta, cum aliquanto latitudinis excremento, septentrionem versus in Norici freti littus excurrit. In hac sinus qui Lymicus appellatur, ita piscibus frequens extitit, vt non minus alimentorum indigenis, quàm ager omnis exoluere videatur. Huic etiam Fresia minor adiacet, quæ a Iutiæ prominentia sub sidentium camporum ac gremij deuexioris inclinata recessu, maximos frugum prouentus beneficio oceani inũdantis assequitur. Cuius refluxionis vis, plus vtilitatis an periculi incolis afferat, ambiguum extat. Siquidem tempestatis magnitudine perruptis æstuarijs, quibus apud eos maritimi fluctus intercipi solent, tanta aruis vndarum moles incedere consueuit, vt interdum non solùm agrorum culta, verumetiam homines cum penatibus obruat. Post Iutiam in-

Cautibus maiorum gesta olim inscripta.

Tylensium industria.

Voldemari regis laus.

S. Kanuti regis commendatio.

Daniæ situs.

ſula ad orientem verſus Fionia reperitur, quam à continenti anguſti admodum æquoris interiectus abrumpit. Hæc ſicut ab occaſu Iutiam, ita ab ortu Sialandiam proſpectat, conſpicua neceſſariarũ rerum vbertate laudandam: quæ inſula amœnitate cunctas noſtræ regionis prouincias antecedens, medium Daniæ locum obtinere putatur, ab extimæ remotionis limite pari ſpaciorum intercapedine diſparata. Ab huius ortuo latere, occaſuum Scaniæ media pelagi diſciſcit interruptio, opimam prædæ magnitudinem quotannis piſcantium retibus adigere ſoliti. Tanta ſiquidem ſinus omnis piſcium frequentia repleri cõſueuit, vt interdum impacta Scania piſcoſa.
nauigia vix remigũ conamen eripiat. Nec iam præda artis inſtrumento, ſed ſimplici manus officio capiatur. Cæterùm Hallandia ac Blekingia ab integritate Scaniæ, ceu rami duplices ex
10 *vnius arboris ſtipite promeantes, Gothiæ, Noruagiæq; longæ declinationis ſpaciis, diuerſisq; receſſuum interſtitiis adnectuntur. Verum apud Blekingiam apta meantibus rupes mirãdis literarum notis interſtincta conſpicitur. Siquidem a meridiano mari in deſerta Verundiæ petroſa porrigitur ſemita, quam binæ lineæ exiguo diſcretæ ſpacio protractis in lõgum ductibus amplectuntur. Inter quas medium loco planum factis ad legendum figuris vndiq; ſecus exaratum oſtenditur. Quod licet adeo ſitu inæquale exiſtat, vt modo montium alta proſcindat, modo vallium ima prætereat, eodẽ tamen tenore literarum veſtigia ſeruare dinoſcitur: quarum ſignificationem rex Voldemarus ſacri Kanuti fauſta proles admirationis cauſa cognoſcere cupiens, miſit qui rupem permeantes patentium illic characterum ſeriem, curioſiori indagatione colligerent, ac poſtmodum virgulis quibuſdam ſub ijſdem formarum apicibus adno-*
20 *tarent. Qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipſa cælaturæ concauitas partim cœno interlita, partim commeantium adeſa veſtigijs, figuratæ protractionis ſpeciem obtrito calle cõfuderat. Vnde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis rimas* Suecia.
diutino madore complutas, aut ſordium colluuione, aut irrigua nimborum inſtillatione concreſcere. At quoniam regio hæc Suetiam, Noruagiamq; tam vocis quàm ſitus affinitate cõplectitur, earum quoq; ſicut & Daniæ, partes ac climata memorabo. Quæ prouinciæ ſeptentrionali polo ſubiectæ, bootemq; & arcton reſpicientes, ipſum frigentis zonæ parallelum vltima ſui porrectione contingunt: poſt quas humanis ſedibus locum inuſitata algoris ſæuitia nõ relinquit. Ex quibus Noruagia ſaxei ſitus deformitatẽ naturæ ſortita diſcrimine, rupibus in- Noruagia.
fœcunda, ac ſcopulis vndique ſecus obſita, glebarum vaſtitate triſtes locorum ſalebras repræ-
30 *ſentat. In cuius parte extima ne noctu quidem diurnum ſydus occulitur, ita vt continui ſolis præſentia alternos horarum dedignata ſucceſſus, vtriq; tempori pari luminis adminiſtratione deſeruiat. Ab huius latere occidentali inſula quæ glacialis dicitur, magno circumfuſa repe-* Iſlandia.
ritur oceano, obſoletæ admodum habitationis tellus, rerumq; veri ſidem excedentium, & inſolitorum euentuum miraculis prædicanda. Illic fons eſt, qui fumigantis aquæ vitio, natiuã rei Fons mirabilis.
cuiuſlibet originem demolitur. Sanè quicquid fumi huius exhalatione reſpergitur, in lapideæ naturæ durtiam tranſmutatur: quæ res mirabilior an periculoſior exiſtat, in dubio poſitum conſtat, cum fluidam aquæ teneritudinem tãtus obſiderit rigor, vt admotum quidlibet fumidoq; eius vapore perfuſum, in lapidis proprietatem forma duntaxat ſuperſtite ſubita conuerſi-
40 *one tranſmutet. Ibidemq; complures alij latices referuntur, qui modo creſcentis lymphæ copijs adaucti, pleniſq; exundantes alueis crebras in ſublime guttas iaciunt, modo torpentibus ſcatebris vix ab imo conſpecti, profundis ſubductioris terræ latibulis abſorbentur. Quo fit, vt exuberantes proxima quæque ſpumarum candore conſpergant, exinaniti nullo viſus ingenio capiantur. In hac itidem inſula mons eſt, qui rupem ſydeream perpetuæ flagrationis æſtibus imi-* Hegle mons perpetuo ardens.
tatus, incendia ſempiterna iugi flammarum eructatione continuat. Cuius rei admiratio ſupradictis æquatur, cùm tellus extremis ſubiecta frigoribus tanti caloris fomentis exuberet, vt ignium perennitatem arcanis inſtruat nutrimentis, æternumq; fouendis ardoribus præbeat incentiuum. Huic etiam inſulæ certis ſtatutisq; temporibus infinita glaciei aduoluitur moles,
quæ cum aduentans ſcabris primùm cautibus illidi cœperit, perinde ac remugientibus ſcopulis fragoſæ ex alto voces, ac varij inuſitatæ conclamationis ſtrepitus audiuntur: quamobrem
50 *animas obnocentis vitæ culpam ſupplicijs addictas, illic algoris magnitudine delictorum pẽ-* Pœnarum locus.
dere pœnas exiſtimatum eſt. Huius itaq; molis exciſa particula, quantiſcunq; nodorum condylis obſeretur, mox ut ſupradicta glacies terris auellitur, clauſtra cuſtodiámque fruſtratur. Stu- Res mira.
pet animus admiratione plenus dum res inextricabilibus ſeris obſita, ac multiplici impedimẽtorum perplexione cõcluſa, ſic molis cuius pars erat diſceſſum inſequitur, vt omnem obſeruationis diligentiam ineuitabilis fugæ neceſsitate decipiat. Eſt & illic aliud glaciei genus, mon-

tium iugis ac rupibus intersertum, quod certis vicibus constat superioribus ad ima deiectis, infimisq; rursum ad superna reflexis, versili quadam mutatione trāsponi. In cuius assertionis fidem affertur, quod quidam dum planum forte glaciale percurrerēt, in obiectas voragines, hiantiumq; rimarum penita prouoluti, paulo post exanimes fuerint, nulla glaciei rimula superstante reperti. Quamobrem a compluribus existimari solet, quod quos fundæ glacialis urna desorbuit, eosdem post modum supinata reddiderit. Illic etiam fama est pestilentis undæ laticem scaturire, quo quis gustato perinde ac veneno prosternitur. Sunt & alij fontes, quorū scatebra cerealis poculi proprietatem imitari perhibetur. Sunt & ignes, qui cùm linum consumere nequeant, aquæ mollitiem depascuntur. Est & saxum, quod montium prærupta non extrinseca agitatione, sed propria natiuaq; motione peruolitat. Et vt paulo altius Noruagiæ descriptio replicetur, sciendum quod ab ortu Sueciæ Gothiæq; contermina aquis vtrinque secus oceani vicinantis includitur: eadem a septentrione regionē ignoti situs ac nominis intuetur humani cultus expertem, sed monstrosæ nouitatis populis abundātem, quam ab aduersis Noruagiæ partibus interflua pelagi separauit immēsitas. Quod cùm incertæ nauigationis existat, perpaucis eam ingrediētibus salutarem reditum tribuit. Cæterùm oceani superior flexus Daniam intersecando prætermeans australem Gothiæ plagam sinu laxiore cōtingit: inferior verò meatus eius Noruagiæq; latus septentrionale præteriens, ad ortum versus magno cum latitudinis incremento solido limitatur anfractu, quem maris terminum gentis nostræ veteres Granduicum dixere. Igitur inter Granduicum & meridianum pelagus breue cōtinentis spacium patet, maria vtrinq; secus allapsa prospectans, quod nisi rerum natura limitis loco congressis pene fluctibus obiecisset, Suetiam Noruagiámque conflui fretorum æstus in insulam redegissent. Harum ortiuas partes Skricfinni incolunt: quæ gens inusitatis assueta vehiculis, mōtium inaccessa venationis ardore sectatur, locorumq; complacitas sedes dispendio lubricæ flexionis assequitur. Neq; enim vlla adeò rupes prominet, quin ad eius fastigium callida cursus ambage perueniat. Primò siquidem vallium profunda relinquens, scopulorum radices tortuosa giratione perlabitur, sicq; meatum crebræ declinationis obliquitate perflectit, donec per sinuosos callium anfractus destinatum loci cacumen exuperet. Eadem apud finitimos mercium loco quorundam animalium pellibus vti consueuit. Suetia verò Daniam ab occasu Noruagiamq; respiciens, à meridie & multa orientis parte vicino præteritur oceano. Post quam ab ortu quoq; multiplex diuersitatis barbaricæ consertio reperitur. Danicam verò regionem gigan teo quondam cultu exercitam, eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis ac specubus affixa testantur. Quod si quis vi monstrosa patratum ambigat, quorundam montium excelsa suspiciat, dicatq; si callet, quis eorum verticibus cautes tantæ granditatis inuexerit. Inopinabile nanq; quiuis miraculi huius æstimator aduertet, vt molē super plano minimè vel difficile mobilem, in tantum montanæ sublimitatis apicem simplex mortalitatis labor, aut vsitatus humani roboris conatus extulerit. Vtrum verò talium rerum autores post diluuialis inundationis excursum gigantes extiterint, an viri corporis viribus ante alios præditi, parum notitiæ traditum. Talibus vt nostri autumant subitam mirandamq; nunc propinquitatis, nunc absentiæ potestatem, comparendiq; ac subterlabendi vicissitudinem, versilis corporum status indulget, qui hodieq; scrupeam inaccessamq; solitudinem (cuius suprà mentionem fecimus) incolere perhibentur. Eiusdem aditus horrendi generis periculis obsitus, raró sui expertoribus incolumitatem regressumq; concessit. Nunc stylum ad propositum transferam.

Aqua venenata.

Gigantes olim in Dania

SAXONIS GRAMMATICI SIALANDICI VIRI ELOQVENTISSIMI, HISTORIÆ DANORVM LIBER PRIMVS.

DAN igitur & Angul, à quibus Danorum cœpit origo, patre Humblo procreati, non ſolum conditores gentis noſtræ, verumetiam rectores fuere. Quanquam Dudo rerum Aquitanicarum ſcriptor, Danos à Danais ortos nuncupatosq; recenſeat. Hi licet fauentibus patriæ votis regni dominio potirentur, rerumq; ſummam ob egregia fortitudinis merita aſſentientibus ciuium ſuffragijs obtinerent, regij tamen nominis expertes degebant: cuius vſum nulla tũc temporis apud noſtros conſuetudinum frequentabat autoritas. Ex quibus Angul, à quo gentis Anglicæ principia manaſſe memoriæ proditum eſt, nomen ſuum prouinciæ cui præerat aptandum curauit, leui monumenti genere perennem ſui notitiã traditurus. Cuius ſucceſſores poſtmodum Britannia potiti, priſcum inſulæ nomen nouo patriæ ſuæ vocabulo permutarunt. Magni id factum à veteribus æſtimatum. Teſtis eſt Beda non minima pars diuini ſtyli, qui in Anglia ortus, ſanctiſſimis ſuorum voluminum theſauris res patrias ſociare curæ habuit: æque ad religionem pertinere iudicans, patriæ facta literis illuſtrare, & res diuinas conſcribere. Verum à Dan (vt fert antiquitas) regũ noſtrorum ſtemmata, ceu quodam deriuata principio, ſplendido ſucceſſionis ordine profluxerunt. Huic filij Humblus & Lotherus fuere, ex Grytha ſummæ inter Theutones dignitatis matrona ſuſcepti. Lecturi regem veteres affixis humo ſaxis inſiſtere, ſuffragiaq; promere conſueuerant, ſubiectorum lapidum firmitate facti conſtantiam ominaturi. Quo ritu Humblus decedente patre, nouo patriæ beneficio rex creatus, ſequentis fortunæ malignitate ex rege priuatus euaſit. Bello ſiquidem à Lothero captus, regni depoſitione ſpiritum mercatus eſt: hæc ſola quippe victo ſalutis conditio reddebatur. Ita fraternis iniurijs imperium abdicare coactus, documentum hominibus præbuit, vt plus ſplendoris, ita minus ſecuritatis aulis quàm tugurijs ineſſe. Cæterum iniuriæ tam patiens fuit, vt honoris damno tanquam beneficio gratulari crederetur: ſagaciter, vt puto, regiæ conditionis habitum contemplatus. Sed nec Lotherus tolerabiliorem regem quàm militem egit, vt prorſus inſolentia ac ſcelere regnum auſpicari videretur: ſiquidem illuſtriſſimum quenq; vita aut opibus ſpoliare, patriamq; bonis ciuibus vacuefacere, probitatis loco duxit: regni æmulos ratus, quos nobilitate pares habuerat. Nec diu ſcelerum impunitus, patriæ conſternatione perimitur, eadem ſpiritum eripiente, quæ regnum largita fuerat. Cuius filius Skyoldus naturam ab ipſo, non mores ſortius, per ſummam tenerioris ætatis induſtriam, cuncta paternæ contagionis veſtigia ingeniti erroris deuio præteribat. Igitur vt à paternis vitijs prudenter deſciuit, ita auitis virtutibus feliciter reſpondit, remotiorem pariter ac præſtantiorem hæreditarij moris portionem amplexus. Huius adoleſcentia inter paternos venatores immanis belluæ ſubactione inſignis extitit, mirandoq; rei euentu futuræ eius fortitudinis habitum ominata eſt. Nam cum à tutoribus fortè, quorum ſummo ſtudio educabatur, inſpectandæ venationis licentiam impetraſſet, obuium ſibi inſolitæ granditatis vrſum telo vacuus, cingulo cuius vſum habebat religandum curauit, necandumq; comitibus præbuit. Sed & complures ſpectatæ fortitudinis pugiles per idem tempus viritim ab eo ſuperati produntur: è quibus Attalus & Scatus, clari illuſtresq; fuere. Quindecim

Danorum origo.

Anglorum principium.

Eligendi regis Danorũ mos priſcus.

annos natus, inusitato corporis incremento perfectissimum humani roboris specimen prę ferebat, tantaq; indolis eius experimenta fuere, vt ab ipso cęteri Danorum reges, communi quodam vocabulo Skioldungi nuncuparẽtur. Idem perditam & eneruam vitam agentes, continentiamq; luxu labefacere solitos, ad capessendã virtutem rerum agitatione sedulus excitabat. Præcurrebat igitur Skioldus virium cõplementum animi maturitate, conflictusq; gessit, quorum vix spectator ob teneritudinem esse poterat, in quo annorum virtutisq; procursu ob Auildam quam summæ pulchritudinis intuitu postulabat, cum Scato Alemaniæ satrapa eiusdem puellę cõpetitore, Theutonum Danorumq; exercitu inspectante, ex prouocatione dimicauit, interfectoq; eo omnem Alemanorum gentem, perinde ac ducis sui interitu debellatã, tributaria ditione perdomuit. Hic non armis modò, verumetiã patrię charitate conspicuus extitit: siquidem impias leges abrogauit, salutares tulit, & quicquid ad emendandũ patrię statum attinuit, summa diligẽtia præstitit. Sed & regnũ patris improbitate amissum virtute recuperauit. Primus rescindendarũ manumissionum legem ædidit. Serui quem libertate donauerat clandestinis insidiis petitus, acrẽ pœnam exegit, tanquam in omnium libertorum pœnam unius crimen redundare par esset. Omnium æs alienum ex fisco suo soluebat, & quasi cum aliorum regum fortitudine, munificentia ac liberalitate certabat. Ægros fomentis prosequi, remediaq; grauiter affectis benignius exhibere solebat: se non sui, sed patriæ curam suscepisse testatus. Proceres non solùm domesticis stipendijs colebat, sed etiã spoliis ex hoste quæsitis, affirmare solitus, pecuniam ad milites, gloriam ad ducem redundare debere. Puellam cuius amore conflixerat, acerrimo nuptiarum æmulo liberatus, in pugnæ præmium recepit, eamq; sibi matrimonio copulauit. Ex qua paulò post Gram filium sustulit. Cuius mirifica indoles ita paternas virtutes redoluit, vt prorsus per earum vestigia decurrere putaretur. Corporis animiq; pręstantissimis dotibus prædi tam adolescentiam ad summum gloriæ statum prouexit, tantúmque magnitudini eius a posteris tributum est, vt in vetustissimis Danorum carminibus ipsius vocabulo regia nobilitas censeatur. Quicquid ad firmandas acuendásque vires attinuit, acerrima ingenij exercitatione tractabat. A gladiatoribus vitandi inferendiq; ictus, consuetudinem studioso exercitij genere contrahebat. Educatoris sui Roarij filiam coæuam sibi collectaneámque, quò maiorem incunabulis gratiam referret, vxorem adsciuit, quam postmodum Besso cuidam, quòd eius strenua opera sæpenumero vsus fuerat, mercedis loco coniugem tribuit. Quo bellicorum operum socio fretus, plus gloriæ sua an Bessi virtute contraxerit, incertum reliquit. Qui cùm fortè Sueonum regis Sictrugi filiam Gro gigantum cuidam desponsam cognosceret, tam indignam regio sanguine copulam execratus, bellum Suethicum auspicatur, Herculeæ virtutis exemplo monstrorum nisibus obstaturus. Inita Gothia cum deturbandorum obuiorum gratia caprinis tergoribus amictus incederet, ac varijs ferarum pellibus circumamictus, horrificúmque dextra gestamen complexus giganteas simularet exuuias, ipsam Gro sylueſtres fortè latices cum paucis admodum pedissequis lauandi gratia petentem, equo obuiam habuit. Quæ sponsum adesse rata, simúlque tam insoliti cultus horrore muliebriter territa, succussis frenis maxima cum totius corporis trepidatione, patrio carmine sic cœpit:

Pulcherrimum regis dictum.

Conspicor inuisum regi venisse gigantem,
Et gressu medias obtenebrare vias,
Aut oculis fallor, nam tegmine sæpe ferino
Contigit audaces delituisse viros.

Cui Bessus sic orsus. Tum Gro.

Virgo caballi / *Quis rogo vestrum* / *Ne proprio vos* / *Tristia nobis*
Quæ premis armos / *Dirigit agmen?* / *Opprimat omnes* / *Funera virgo?*
Verba vicissim / *Quo duce signa* / *Agmine Sictrug,* / Ad quem Gro.
Mutua fundens, / *Bellica fertis?* / *Iná, feroci* / *En ferar isthinc*
Quod tibi nomen / *Quis moderatur* / *Stipite figat* / *Nota reuisens*
Qua fueris dic / *Prælia princeps,* / *Illaqueato* / *Tecta parentis,*
/ / *Guttura nexu,* / *Ne venientis*

Gente

Gente creata? *Quoue paratur* *Detq; rigenti* *Conspicer audax*
Ad hæc Gro. *Præstite bellum?* *Corpora nodo,* *Agmina fratris.*
Gro mihi nomen, Contrà sic Bessus. *Ac male toruus* *Vos remeantes*
Rex pater extat *Gram regit agmen* *Trudat edaci* *Vltima quæso*
Sanguine fulgens *Marte beatus,* *Funera coruo.* *Fata morentur.*
Fulgidus armis. *Quem metus aut vis* Iterum Bessus. Ad quam Bessus.
Tu quoque qui sis *Flectere nescit,* *Gram prior illum* *Læta reuise*
Aut satus vnde *Nec rogus ardens* *Manibus addet* *Nata parentem,*
Promito nobis. *Nec ferus ensis* *Ac dabit orco,* *Nec cita nobis*
Cui Bessus. *Aut maris vnquam* *Quàm sua fatis* *Fata precare,*
Bessus ego sum *Terruit æstus.* *Lumina claudat,* *Nec tua bilis*
Fortis in armis *Hoc duce belli* *Inq; pauenda* *Pectora pulset.*
Trux inimicis *Signa leuamus* *Vertice plexum* *Nanque petenti*
Gentibus horror *Aurea virgo.* *Tartara mittet.* *Aspera primum*
Atque alieno Rursum Gro. *Nulla Sueuorum* *Difficilisq;*
Sæpe refundens *Hinc remeantes* *Castra timemus,* *Sæpe secundo*
Sanguine dextram. *Vertite cursum,* *Quid minitaris* *Fœmina cedit.*

Posthæc Gram horrendæ monstruosæq; vocis habitum trucioris soni modulis æmulatus, silentijq; diuturnioris impatiens, talibus puellam dictis aggreditur:

Ne timeat rabidi germanum virgo gigantis,
Me neque contiguum palleat esse sibi.
AGrip missus enim nunquam nisi compare voto
Fulcra puellarum concubitumq; peto.

Cui Gro.

Quæ sensus exors scortum velit esse gigantum?
Aut quæ monstriferum possit amare torum?
Quæ coniunx fore dæmonum possit monstrigeni conscia seminis?
Suumq; gigantifero consociare velit cubile?
Quis spina digitos fouet? Quis syncera luto misceat oscula?
Quis membra iungat hispida læuibus impariter locatis?
Cum natura reclamitat, haud plenum Veneris carpitur ocium,
Nec congruit monstris amor fœmineo celebratus vsu.

Gram contrà.

Regum colla potentium victrici toties per domui meorum,
Fastus reorum turgidos, exuperatis potiore dextra.
Hinc aurum rutilans cape, quo perpes maneat pactio munere,
Ac firma consistat fides *Coniugijs adhibenda nostris.*

Quo dicto, discussis laruis natiuum oris decorem confessus, tantum penè voluptatis vno sui aspectu puellæ attulit, quantum adulterino terroris incussit: quam etiam formæ suæ luculentia ad concubitum prouocatam, amatorijs donis prosequi non omisit. Progressus ex obuijs cognoscit binis callem latronibus obsideri. Quos ad se spoliandum cupidius proruentes, solo exanimauit impulsu. Quo facto ne vllum hostili solo beneficium attulisse videretur, peremptorum corpora subiectis affixa stipitibus, simulata pedum erectione distendit, vt quibus re nocuerant viui, specie minarentur extincti, post fata quoque formidabiles forent, nec iter imagine minus quàm opere præpedirent. Quamobrem constat eum latrones interimendo sibi, non Suetiæ consulere studuisse: cuius quanto odio teneretur, tam insignis facti indicio patefecit. Qui cum ab aruspicibus accepisset, nisi auro Sictrugum superare non posse, continuò ligneæ clauæ nexilem auri nodum adiecit, eaq; bello quo regem aggrediebatur instructus, voti se compotem fecit. Quod factum Bessus impensiori laudationis genere prosecutus sic cecinit:

Latrones extincti, specie suorum minantur iis, quibus sui nocuerant.

Gram ferus clauæ gerulus beatæ
Nescius ferri celebrabat ictu
Ensis obtentum pepulitq; truncо

Tela potentis.
Fata sectatus superumq; mentem
Sueonum presit decus impotentum
Dum neci regem dedit & rigenti
Contudit auro.
Nanq; pugnaces meditatus arces
Robur amplexu rutilum gerebat
Et ducem victor nitido supinum
Verbere torsit.
Fata quem ferro perimi vetabant
Aureo prudens domuit rigore,
Ense dum casus potiore gessit
Bella metallo.
Clarius post hoc Agathum manebit
Agnitum late meliore fama
Cui suus laudem decorisq; culmen
Arrogat autor.

Occiso Suetiæ rege Sictrugo, Gram quæsitũ armis imperium possessione firmare cupiens, Suarinum Gothię præfectũ ob affectati regni suspicionẽ in pugnę certamen deuocatum oppressit: fratresq; eius septẽ matrimonio, nouem pellice procreatos, impari dimicationis genere fraternæ necis ultionem peteretes, absumpsit. Hũc pater ultimæ iam ætatis ob res egregiè gestas imperij consortione donauit, regniq; summam cum sanguine suo communicare, quàm in occiduæ vitæ statu sine participe gerere, tum vtilius, tum etiam cõmodius duxit. Igitur cum Ringo splendido Sialandiæ loco natus, alterũ ex his honori intempestiuum, alterũ iam virium cursu defunctum putaret, infirmã vtriusq; ætatem causatus, nouarũ rerum studio maiorem Danorum partẽ solicitat, hunc puerilis, illum senilis animi deliramento regiæ potestati inhabilẽ protestando. A quibus bello obtritus documento hominibus fuit, nullam ætatis partem virtuti incongruam existimari debere. Alia quoq; cõplura Grãgis facinora fuere. Aduersus Sumblũ Phinnorũ regem bellũ professus, ad aspectum filiæ eius Signes depositis armis, ex hoste procus euasit, eamq; promisso cõiugis suæ repudio pactus despondit. Quam cum bello Noruagico quod aduersum Swibdagerum regem ob sororis filiæq; stuprũ susceperat admodũ occupatus, Saxonię regi Henrico Sumbli perfidia in matrimoniũ promissam nũcio didicisset, propior virginis, quàm militũ charitati, relicto exercitu tacitus in Phinniã contendit, inchoatisq; iam nuptijs superueniẽs, extremæ vilitatis veste sumpta, despicabili sedendi loco discubuit. Rogatus quidnã afferret, medendi solertiã profitetur. Ad postremum omnibus ebrietate madentibus, puellã intuens, medijs perstrepentis cõuiuij gaudijs per summam fœmineæ leuitatis execrationem, maximamq; virtutum suarum gloriationem, indignationis magnitudinem huiusmodi carmine patefecit:

Nulla pars ætatis incõgrua virtutibus existimanda

Solus in octo pariter spicula mortis egi,
Atque nouenos gladio corripui reducto,
Quando Suarinum exanimaui titulis abusum,
Nec meritum conciliantis sibi nomen. vnde
Sæpè cruentum nece ferrum madidumq; cæde
Sanguine tinxi peregrino, timuiq; nunquam
Ad crepitus ensiculi, vel galeæ nitorem.
Nunc malè me proijciens fert aliena vota
Filia Sumbli fera Signe, vetus execrata
Fœdus, & incompositum concipiens amorem,
Fœmineæ dat leuitatis facinus notandum
Quæ proceres illaqueat, pellicit atq; fœdat.
Ante alios ingenuos præcipuè refellens,
Nec stabilis permanet vlli, titubatq; semper,
Ancipites parturiens, diuiduosq; motus.

Et cum dicto discubitu euolans Henricum inter sacra mensæ & amicorum complexus obtruncat, sponsamq; medijs abstractam pronubis magna conuiuarum parte prostrata secum nauigio deportat. Igitur nuptijs in exequias versis, doceri Finni potuerunt, alienis amoribus manus inijci non oportere. His gestis à rege Noruagiæ Swibdagero, dum stupratæ sororis iniuriam ac lacessitam filiæ pudicitiam vlcisci conatur, opprimitur. Hoc præliũ Saxonis insigne copijs fuit, quas ad auxilia Swibdagero ferenda non tam ipsius charitas, quàm Henricianæ vltionis cupiditas prouocabat. Filij Gram, Guthormus & Hadingus, quorum alterum Gro, alterum Signe enixa est, Swibdagero Daniam obtinente, per educatorem suum Brache naue Suetiam deportati Vagnophro & Haphlio gigantibus, non solùm alendi, verum etiam defensandi traduntur. Quorum summatim opera perstricturus, ne publicę existimationi contraria aut veri fidem excedentia fidenter astruere videar, nosse operæpretium est, triplex quondam Mathematicorum genus inauditi generis miracula discretis exercuisse præstigijs. Horum primi fuere monstruosi generis viri, quos Gigantes antiquitas nominauit, humanæ magnitudinis habitum eximia corporum granditate vincentes. Secundi post hos primam physiculandi solertiam obtinentes, artem possedere Pythonicam: qui quantum superioribus habitu cessere corporeo, tantum viuaci mentis ingenio præstiterunt. Hos inter gigantesque de rerum summa bellis certabatur assiduis, quoad magi victores giganteum armis genus subigerent, sibiq; non solum regnandi ius, verumetiam diuinitatis opinionem conscisceret. Horum vtriq; per summam ludificandorũ oculorum peritiam, proprios alienosq; vultus, varijs rerum imaginibus adumbrare callebant, illicibusq; formis veros obscurare conspectus. Tertij vero generis homines, ex alterna superiorum copula pullulantes, autorum suorum naturæ, nec corporum magnitudine, nec artium exercitio respondebant. His tamen apud delusas præstigijs mentes diuinitatis accessit opinio. Nec mirandum, si prodigialibus, eorum portentis adducta barbaries, in adulterinę religionis cultum concesserit, cum latinorum quoq; prudentiam pellexerit talium quorundam diuinis honoribus celebrata mortalitas. Hæc idcirco tetigerim, ne cum præstigia portentaue perscripsero, lectoris incredula refragetur opinio. His prætermissis, propositum repetam. Occiso Gram, Swibdagerus Daniæ Suetiæq; imperijs auctus, fratrem coniugis Guthormum, eadem sæpius flagitante exilio abductum, tributaq; pollicitum Danis præfecit, Hadingo patris vltionem hostis beneficio præferente. Hic primis adolescentiæ temporibus feliciſſimis naturæ incrementis summam virilis ætatis perfectionem sortitus, omisso voluptatis studio, continua armorum meditatione flagrabat, memor se bellicoso patre natum, omne vitæ tempus spectatis militiæ operibus exigere debere. Cuius fortem animum Harthgrepa Vagnhosthi filia, amoris sui illecebris emollire conata, sedula affirmatione certabat, oportere eum primum genialis tori munus suis irrogare connubijs, quæ infantiæ eius exactioris curæ fomenta porrexerit, primaq; subministrarit crepundia. Nec simplici verborum exhortatione contenta, carminis quoque modo sic orsa:

Mathematicorũ genus triplex.

Quid tibi sic vaga vita fluit?
Quid cœlebs tua lustra teris?
Arma sequens iugulum sitiens?
Nec species tua vota trahit.
Eximia raperis rabie
Labilis in Venerem minime.
Cædibus atque cruore madens
Bella toris potiora probas.
Nec stimulis animum recreas,
Ocia nulla fero subeunt.
Lusus abest, feritas colitur,
Nec manus impietate vacat
Dum Venerem coluisse piget.
Cedat odibilis iste rigor,

Adueniat pius ille calor,
Et Veneris mihi nectę fidem,
Quæ puero tibi prima dedi
Vbera lactis, opemq; tuli,
Officium genitricis agens,
Vsibus officiosa tuis.

Quo corporis eius magnitudinem humanis inhabilem amplexibus referente, cuius naturæ contextum dubium non esset giganteo germini respondere. Non te moueat (inquit) insolitus meæ granditatis aspectus: nunc enim contractioris, nunc capacioris, nunc exilis, nunc defluentis substantiæ, modo corrugati, modo explicati corporis situm arbitraria mutatione transformo: nunc proceritate cœlis inuehor, nunc in hominem angustioris habitus ditione componor. Adhuc hæsitante eo, fidemq; dictis habere cunctante, tale carmen adiecit:

Ne paueas nostri iuuenis commercia lecti,
Corpoream gemina vario ratione figuram,
Et duplicem neruis legem præscribere sueui.
Nam sequor alternas diuerso schemate formas
Arbitrio variata meo, nunc sydera ceruix
Aequat, & excelso rapitur vicina tonanti.
Rursus in humanum ruit inclinata vigorem,
Contiguumq; polo caput in tellure refigit.
Sic leuis in varios transmuto corpora flexus
Ambiguis conspecta modis: nunc colligit anceps
Strictum membra rigor, nunc gratia corporis alti
Explicat, & summas tribuit contingere nubes.
Nunc breuitate premor, nunc laxo poplite tendor
Versilis, inq; nouos conuerti cærea vultus.
Nec me mirari debet, qui Protea nouit.
Nunc premit effusos, modo clausos exerit artus
Forma situs incerta sui speciesq; biformis.
Quæ nunc extricat, nunc membra reuoluit in orbem.
Exero contractos artus, tensosq; subinde
Corrugo, vultum formis partita gemellis
Et sortes complexa duas, maiore feroces
Territo concubitus hominum breuiore capesso.

Vxorii erga maritum amoris insigne exemplum.

His assertis Hadingi concubitu potita, tanto iuuenis amore flagrauit, vt cum eum reuisendæ patriæ cupidum comperisset, virili more culta prosequi non dubitaret, laboribusq; eius ac periculis interesse voluptatis loco duceret. Quo comite susceptum iter ingressa, penatibus fortè pernoctatura succedit, quorum defuncti hospitis funus mœstis ducebatur exequijs: vbi magicæ speculationis officio superum mentem rimari cupiens, diris admodum carminibus ligno insculptis, ijsdemq; linguæ defuncti per Hadingum suppositis, hac voce eum horrendum auribus carmen edere coëgit:

Inferis me qui retraxit execrandus oppetat,
Tartaroq; deuocati spiritus pœnas luat.
Quisquis ab inferna sede reuocauit
Me functum fatis exanimemq;,
Ac rursum superas egit in auras,
Sub stygę liuenti tristibus vmbris
Persoluat proprio funere pœnas.
En præter placitum propositumq;
Quædam grata parum promere cogor.
Ex hac nanq; pedem sede ferentes
Angustum nemoris aduenientis
Passim dæmonibus præda futuri.

Tunc quæ noſtra chao fata reduxit,
Et dedit hoc rurſum viſere lumen,
Mire corporeis nexibus indens
Manes elicitos ſollicitando,
Quod niſa eſt temere flebit acerbe.
Inferis me qui retraxit execrandus oppetat,
Tartaroq; deuocati ſpiritus pœnas luat.
Nam cum monſtrigeni turbinis atra lues
Intima conatu preſſerit exta graui,
Atque manus viuos verrerit vngue fero,
Artubus auulſis corpora rapta ſecans,
Tunc Hadinge tibi vita ſuperſtes erit,
Nec rapient manes infera regna tuos,
Nec grauis in ſtygias ſpiritus ibit aquas.
Fœmina ſed noſtros crimine preſſa ſuo
Placabit cineres, ipſa futura cinis,
Quæ miſeris vmbris huc remeare dedit.
Inferis me qui reduxit execrandus oppetat
Tartaroq; deuocati ſpiritus pœnas luat.

Igitur cum apud prædictum nemus compacto ramalibus tecto noctem agerent, inuſitatæ granditatis manus domicilium penitus pererrare conſpecta. Quo monſtro territus Hadingus, nutricis opem implorat. Tunc Harthgrepa artus explicans, ac magno ſe turgore diſtendens, manum arctius comprehenſam alumno præbuit abſcindendam. Ex cuius teterrimis vulneribus plus tabi quàm cruoris manauit. Cuius facti poſtmodum ab originis ſuæ conſortibus laniata pœnas pependit: neq; illi aut naturæ conditio, aut corporis magnitudo, quo minus infeſtos hoſtium vngues experiretur, opitulata eſt. Spoliatum nutrice Hadingum grandæuus fortè quidam altero orbus oculo, ſolitarium miſeratus, Liſero cuidam piratæ ſolenni pactionis iure conciliat. Siquidem icturi fœdus veteres veſtigia ſua mutui ſanguinis aſperſione perfundere conſueuerant, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi. Quo pacto Liſerus & Hadingus arctiſſimis ſocietatis vinculis colligati, Lokero Curetum tyranno bellum denunciant. Quibus ſuperatis fugientem Hadingum prædictus ſenex ad penates ſuos equo deuehendum curauit, ibiq; ſuauiſſimæ cuiuſdam potionis beneficio recreatum, vegetiori corporis firmitate conſtaturum prædixit. Cuius augurij monitum huiuſmodi carmine probauit:

Iciendi fœderis mos apud priſcos.

Hinc te tendentem greſſus profugum ratus hoſtis
Impetet vt teneat vinclis, faucisq; ferinæ
Obiectet depaſcendum laniatibus: at tu
Cuſtodes varijs rerum narratibus imple.
Cumq; ſopor dapibus functos exceperit altus,
Iniectos nexus, & uincula dira relide.
Inde pedem referens, vbi ſe mora paruula fundet
Viribus in rapidum totis aſſurge leonem,
Qui captiuorum iactare cadauera ſueuit,
Inq; truces armos validis conare lacertis,
Et cordis fibras ferro rimare patenti.
Protinus admiſſa vapidum cape fauce crudrem,
Corporeamq; dapem mordacibus attere malis.
Tunc noua vis membris aderit, tunc robora neruis
Succedent inopina tuis, ſolidiq; vigoris
Congeries penitus neruoſos illinet artus.
Ipſe ſtruam votis aditum, famuloſq; ſopore
Conficiam, & lenta ſtertentes nocte tenebo.

Et cum dicto relatum equo iuuenem priſtino loco reſtituit. Tunc Hadingus amiculi eius rimas ſub quo trepidus delitebat, per ſummam rerum admirationem vi-

nem visus perspicuitate traijciens, animaduertit equinis freta patêre vestigijs, prohibitusq; rei inconcessæ captare conspectum, plenos stuporis oculos à terribili itinerum suorum contemplatione deflexit. Qui cum à Lokero captus, omnem prædictionis euentum certissimis rerum experimentis circa se peractum sensisset, Handuuanum Hellesponti regem apud Dunam vrbem inuictis murorum præsidijs vallatum, mœnibusq; nouatiæ resistentem bello pertentat. Quorum fastigio oppugnationis aditum prohibente, diuersi generis aues loci illius domicilijs assuetas per aucupij peritos prendi iussit, earumq; pennis accensos igne fungos suffigi curauit: quæ propria nidorum hospitia repetentes, vrbem incendio compleuere. Cuius extinguendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas reliquerunt. Adortus Handuuanum cepit, eiq; redemptionis nomine corpus suum auro rependendi potestatem fecit: cumq; hostem tollere liceret, spiritu donare maluit, adeò sæuitiam clementia temperabat. Post hæc multo orientalium robore debellato, Suetiam reuersus Swibdagerum apud Gudlandiam ingenti classe obuium pugna adortus oppressit. Sicq; non solum exterorum manubijs, verumetiam paternæ fraternæq; vindictæ trophæis ad eminentem claritatis gradum prouectus, exilio regnum mutauit, cui patriam non antè repetere quàm regere contigit. Ea tempestate cum Othinus quidam Europa tota falso diuinitatis titulo censeretur, apud Vpsalam tamen crebriorem diuersandi vsum habebat: eamq; siue ob incolarum inertiam, siue locorum amœnitatem, singulari quadam habitationis consuetudine dignabatur. Cuius numen septentrionis reges propensiore cultu prosequi cupientes, effigiem ipsius aureo complexi simulacro, statuam suæ dignationis indicem maxima cum religionis simulatione Byzantiũ transmiserunt: cuius etiam brachiorum lineamenta, confertissimo armillarum pondere perstringebant. Ille tanta sui celebritate gauisus, mittentium charitatem cupide exosculatus est. Cuius coniunx Frigga quo cultior progredi posset, ascitis fabris, aurum statuæ detrahendum curauit. Quibus Othinus suspendio consumptis, statuam in crepidine collocauit, quam etiam mira artis industria ad humanos tactus vocalem reddidit. At nihilominus Frigga cultus sui nitorem diuinis mariti honoribus anteponens, vni familiarium se stupro subiecit, cuius ingenio simulacrum demolita, aurum publicæ superstitioni consecratum, ad priuati luxus instrumentum conuertit. Nec pensi duxit impudicitiam sectari, quo promptius auaritia frueretur. Indigna fœmina quæ numinis contigio potiretur. Hoc loci quid aliud adiecerim, quàm tale numen hac coniuge dignum extitisse? Tanto quondam errore mortalium ludificabantur ingenia. Igitur Othinus gemina vxoris iniuria lacessitus, haud leuius imaginis suæ quàm tori læsione dolebat. Duplici itaq; ruboris irritamento perstrictus, plenum ingenui pudoris exilium carpsit, coq; se contracti dedecoris sordes aboliturum putauit. Cuius cessu Mithotyn quidam præstigijs celeber, perinde ac cœlesti beneficio vegetatus, occasionem & ipse fingendæ diuinitatis arripuit, barbarasq; mentes nouis erroris tenebris circunfusas, præstigiarum fama ad cerimonias suo nomini persoluendas adduxit. Hic deorum iram, aut numinum violationem confusis permixtisq; sacrificijs expiari negabat: ideoq; eis vota communiter nuncupari prohibebat, discreta superûm cuiq; libamenta constituens. Qui cum Othino redeunte, relicta præstigiarum ope, latendi gratia Pheoniam accessisset, concursu incolarum occiditur. Cuius extincti quoq; flagitia patuêre: siquidem busto suo propinquantes, repentino mortis genere consumebat, tantasq; post fata pestes ædidit, vt penè tetriora mortis quàm vitæ monumenta dedisse videretur, perinde ac necis suæ pœnas à noxijs exacturus. Quo malo obfusi incolæ, egestum tumulo corpus capite spoliant, acuto pectus stipite transfigentes: id genti remedio fuit. Post hæc Othinus coniugis fato pristinæ claritatis opinione recuperata, ac veluti expiata diuinitatis infamia ab exilio regressus, cunctos qui per absentiam suam cœlestium honorum titulos gesserant, tanquam alienos deponere coëgit, subortosque magorum cœtus, veluti tenebras quasdam superueniente numinis sui fulgore discussit. Nec solum eos deponendæ diuinitatis, verumetiam deferendæ patriæ imperio constrinxit, meritò terris extrudendos ratus, qui se cœlis tam nequiter ingerebant.

Stratagema elegans.

Mithotyn virus quidam præstigiator, diuinitatis existimationẽ sibi conciliat.

Interea

Interea Asmundus Swibdageri filius, in vltionem patris pugna cum Hadingo congressus, vt filium Henricum, cuius charitatem etiam proprio spiritui præferebat, fortissimè dimicantem occidisse cognouit, auido fati animo lucem perosus, tali carmen voce compegit:

Quis nostra fortis ausit arma sumere?
Nil proficit cassis vacillanti nitens.
Lorica iam nec commodè fusum tegit.
Armis ouemus interempto filio.
Cuius mori me cogit imminens amor.
Charo superstes ne relinquar pignori,
Vtrag; ferrum comprimi iuuat manu.
Nunc bella præter scuta nudo pectore
Exerceamus fulgidis mucronibus.
Ferocitatis fama nostræ luceat,
Audacter agmen obteramus hosticum.
Nec longa nos exasperent certamina,
Fugaq; fractus conquiescat impetus.

Quo dicto, geminam capulo manum inijciens absque periculi respectu reflexo in tergum clypeo, complures in necem egit. Igitur Hadingo familiarium sibi numinum præsidia postulante, subitò Vagnostus partibus eius propugnaturus aduehitur. Cuius aduncum Asmundus gladium contemplatus, hoc in vocem carmine clamabũdus erupit.

Quid gladio pugnas incuruo?
Ensiculus fato tibi fiet,
Framea torta necem generabit.
Hostem nanq; manu superandum
Carminibus lacerari fidis,
Plus verbis quàm vi connisus,
In magna vires ope ponens.
Quid me sic vmbone retundis
Audaci iaculo minitando?
Cùm sis criminibus miserandis
Obsitus & maculis refertus.
Infamis sic te nota sparsit
Putentem vitijs labeonem.

Hæc vociferantem Hadingus hasta traijcit amentata. Sed nec mortis Asmundo solatia defuere: siquidem inter exiguas vitæ reliquias, vulneratum interfectoris pedem, perpetua claudicatione mulctauit, clademq; suam, paruulo vltionis momento memorabilem reddidit. Ita alterum membri debilitas, alterum vitę finis excepit. Corpus eius solenni funere elatum apud Vpsalam regijs procuratur exequijs. Cuius coniux Gunnilda ne ei superesset, spiritum sibi ferro surripuit, virumq; fato insequi, quàm vita deserere præoptauit. Huius corpus amici sepulturæ mandantes, mariti cineribus adiunxerunt: dignam eius tumulo rati, cuius charitatem vitæ prætulerat. Iacet itaq; Gunnilda aliquanto speciosius virum busti quàm tori societate complexa. Post hæc Hadingo victore Suetiam populante, Asmundi filius Vffo nomine, conserendæ manus diffidentia adductus, in Daniam exercitum traijcit, hostilésque lares incessere, quàm proprios tueri satius duxit: opportunum propulsandarum iniuriarum genus existimãs, quod ab hoste pateretur inferre. Ita Danis ad propria defensanda redire compulsis, salutemq; patriæ exterarum rerum dominio præferentibus, domesticum solum hostilibus armis vacuefactum repetijt. Igitur cum Hadingus e bello Suetico regressus, ærarium suum quo bellis ac spolijs quæsitas opes excipere consueuit, furto violatum animaduerteret, cõtinuò custodem eius Glumerũ suspendio consumpsit, callidoq; commẽti genere edixit, vt si quis e noxijs ablata referre curasset, honoris locum quem Glumerus possederat obtineret. Quo promisso, sontium quidam beneficij percipiendi quàm criminis tegendi studiosior reddi- *Calliditas Hadingi.*

tus,pecuniam regi reportandam curauit.Quem conſcij in ſummam principis amicitiam receptum putantes,nec vberius quàm fidelius honoratum credentes,& ipſi pari præmij ſpe relatis pecunijs,reatum detegunt.Quorum confeſſio primùm honoribus ac beneficijs excepta,mox ſupplicijs punita,haud paruum vitandæ crudelitatis documentum reliquit. Dignos dixerim qui ſolutæ taciturnitatis pœnas patibulis luerent,quos cùm ſilẽtij ſalubritas tutos præſtare poſſet,vocis ſtoliditas in exitium pertraxit. His geſtis,Hadingus per ſummum integrandi belli apparatum hyberna permenſus,verno ſole frigoribus liquatis Suetiam repetit,ibiq; luſtrum militando confecit. Cuius milites diuturnæ expeditionis negotio conſumptis alimentis ad vltimam penè tabem redacti,ſylueſtribus fungis famem lenire cœperunt. Tã dem per ſummam neceſſitatis indigentiam commanducatis equis, ad poſtremum canina cadauera corporibus indulſerunt. Sed neq; humanis artubus veſci nephas habitum. Itaq; Danis in extremas deſperationis anguſtias compulſis,nocte concubia ſine autore tale caſtris carmen inſonuit.

Danorũ fames ingens.

Tetro penates omine patrios
Liquiſtis,hoc rus Marte ſequi rati.
Quæ vana mentes ludit opinio?
Quæ cæca ſenſus corripuit fides?
Hoc arbitrantes poſſe ſolum capi?
Non amplitudo Suetica cedere,
Non exterorum Marte valet quati,
At ſumma veſtri defluet agminis,
Cum Marte veſtros cœperit aggredi,
Nam cum ferocem vim fuga ſoluerit
Et præliorum pars vaga labitur
In terga dantes Marte prioribus
Cædis poteſtas liberior datur,
Maiorq; ferri parta licentia
Cùm ſors rebellem præcipitem fugat,
Nec tela tendat,quem metus abſtrahit.

Quod præſagium crebra Danorum cæde ſequens lucis euentus impleuit. Nocte poſtera vocẽ huiuſmodi incerto autore editã, Suetica auribus iuuẽtus excepit.

Quid me ſic Vffo prouocat ſeditione graui
Pœnas daturus vltimas? confodietur enim
Multa premendus cuſpide,exanimisq; ruet
Audaciam cœpti luens.nec petulantis erit
Liuoris intactum ſcelus,augurioq; meo
Cùm bella primùm geſſerit,contulerit q; manum,
Excepta membris ſpicula corpus vbiq; petent,
Crudosq; hiatus vulnerum faſcia nulla premet,
Nec ampla plagarum loca contrahet vlla ſalus.

Duo ſenes inter ſydera inuſitato veſtitu formaq; præditi,mirabiliter inter ſe contendunt.

Eadem nocte congreſſis exercitibus, duo ſenes humano habitu tetriores, capitibus coma vacuis,inter ſyderum micatus,triſte viſu caluitium præferentes,contrarijs votorum ſtudijs,monſtriferos diuiſere conatus.Siquidem alter Danorum partibus intẽdebat,alter Sueonum ſtudioſus extabat. Victus Hadingus cùm in Helſingiam confugiſſet,ibiq; ſolis feruore percalefactum corpus frigida maris aqua ſubluereret, inauditi generis belluam, crebris ictibus attentatam oppreſſit, necatámque in caſtra perferendã curauit.Quem facto ouantem obuia fœmina hac voce cõpellat:

Seu pede rura teras,ſeu ponto carbaſa tendas,
Infeſtos patiere deos,totumq; per orbem
Propoſitis inimica tuis elementa videbis.
Rure rues,quatiere mari,dabiturq; vaganti
Perpetuus tibi turbo comes: nec deſeret vnquam
Vela rigor: nec tecta tegent,quæ ſi petis icta
Tempeſtate ruent,diro pecus occidet algu.

Omnia

Omnia præsentis sortem vitiata dolebunt.
Vt scabies fugiere nocens, nec tetrior vlla
Pestis erit, tantùm pœnæ vis cælica pensat.
Quippe vnum è superis alieno corpore tectum
Sacrilegæ necuere manus: sic numinis almi
Interfector ades. Sed cùm te exceperit æquor,
Carceris æolici laxos patiere furores.
Te Zephyrus Boreasq́, ruẽs, te proteret Auster,
Et coniuratos certabunt edere flatus,
Donec diuinum voto meliore rigorem
Solueris, & meritã tuleris placamine pœnam.

Regressus igitur Hadingus, eodemq́; cuncta tenore perpessus, tranquilla quæq́; proprio turbidabat aduentu. Siquidem nauigante eo oborta nimbi vis ingenti classem tempestate consumpsit. Naufragum hospitia petentem, subita penatium strages excepit. Nec antè malo remedium fuit, quàm scelere sacrificijs expiato, cum superis in gratiam redire potuisset. Siquidem propitiandorum numinum gratia, Fro Deo rem diuinam furuis hostijs fecit: quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitũ, posteris imitandum reliquit. Fro Blod Sueones vocant. Cumq́; fortè gigãtum quendam Nitherorum regis Haquini filiam Regnildam pactum animaduerteret, indignam rei conditionem perosus, per summam futuræ copulæ detestationem ingenuo ausu nuptias p̃cucurrit, Noruagiamq́; profectus, tam fœdum regię virginis amatorem armis oppressit. Adeo nanq́; virtutem ocio prętulit, vt cùm regis delicijs frui liceret, non solùm suas, verumetiam alienas iniurias propulsare omni voluptate iucũdius duceret. Autorem beneficij puella crebris obtusum vulneribus ignara medẽdi cura prosequitur. Cuius ne notitiam sibi temporis interiectus eriperet, crus eius annulo vulneri incluso obsignatum reliquit. Eadem postmodum à patre eligendi mariti libertate donata, contractam coniuio iuuentutem curiosiore corporum attrectatione lustrabat, deposita quondam insignia perquirens. Spretis omnibus, Hadingum latentis annuli indicio deprehensum amplectitur, eiq́; se coniugem donat, qui coniugio suo gigantem potiri passus nõ fuerat. Apud quam diuersantem Hadingo mirum dictu prodigium incidit. Siquidem cœnante eo, fœmina cicutarum gerula, propter foculum humo caput extulisse conspecta, porrectoq́; sinu percunctari visa, qua mundi parte tam recentia gramina brumali tempore fuissent exorta. Cuius cognoscendi cupidum regem proprio obuolutum amiculo, refuga secum sub terras abduxit. Credo dijs infernalibus ita destinantibus, vt in ea loca viuus abduceretur, quæ morienti petenda fuerant. Primùm igitur vapidæ cuiusdam caliginis nubilum penetrantes, perq́; callem diuturnis adesum meatibus incedentes, quosdam prætextatos, amictosq́; ostro proceres conspicantur: quibus præteritis loca demum aprica subeunt, quæ delata à fœmina gramina protulerunt: progressiq́; præcipitis lapsus ac liuentis aquæ fluuium diuersi generis tela rapido volumine detorquentem, eundemq́; ponte meabilem factum offendunt. Quo pertransito, binas acies mutuis viribus concurrere contemplãtur: quarum conditionem à fœmina percunctãte Hadingo, ij sunt, inquit, qui ferro in necem acti, cladis suę speciem continuo protestantur exemplo, præsentique spectaculo præteritæ vitæ facinus æmulantur. Prodeuntibus murus aditu, transcensúque difficilis obsistebat: quẽ fœmina nequicquam transilire conata, cùm ne corrugati quidem corporis exilitate proficeret, galli caput quem secum fortè deferebat abruptum, vltra mœnium septa iactauit, statimque rediuiuus ales resumpti fidem spiraculi claro testabatur occẽtu. Regressus igitur Hadingus, patriamque cum coniuge repetere orsus, imminentiũ sibi piratarum insidias, celeri nauigatione cassauit. Qui licet ijsdem penè flatibus iuuarentur, ipsum tamen æquora præsulcantem paribus velis occupare non poterãt. Inter hęc Vffo cum mirę pulchritudinis filiam haberet, potiturũ ea qui vita Hadingum spoliaret edixit. Quo pacto Thuningus quidã admodum solicitatus, adcita Barmensiũ manu votiuũ studuit impetrare progressum. Quẽ excepturus Hadingus, dũ classe Noruagiã præteriret, animaduertit in littore senem crebro amiculi motu

Hadingus viuus ad inferos ducitur

appellandi nauigij monitus afferentẽ: quem repugnãtibus ſocijs, damnoſumq; profectionis diuerticulũ affirmãtibus, naue ſuſceptũ centuriãdi exercitus autorem habuit, in ordinanda agminũ ratione curioſius attẽdere ſolitũ, vt prima per dyadem phalanx, ac per tetradẽ ſecunda conſtaret, tertia verò octoadis adiectione ſuccreſceret, ſemperq; priorẽ inſequens duplicitatis augmento tranſcenderet. Idem quoq; funditorũ alas in extremã aciẽ concedere iuſſit, eisq; ſagittariorum ordines ſociauit. Ita digeſtis in cuneũ cateruis, ipſe poſt bellatorũ terga cõſiſtens, ac folliculo quẽ ceruici impenſum habebat, baliſtã extrahẽs, quæ primũ exilis viſa, mox cornu tenſiore ꝓminuit, denos neruo calamos adaptauit, qui vegetiore iactu pariter in hoſtem detorti, totidẽ numero vulnera confixerũt. Tũc Byarmenſes arma artibus permutantes, carminibus in nymbos ſoluere cœlũ, læ tamq; aëris faciẽ triſti imbriũ aſpergine cõfuderũt. E cõtrario ſenex obortã nymbiũ molẽ obuia nube pellebat, madorẽq; pluuię nubilo caſtigabat obiectu. Victorẽ Hadingum dimiſſus ſenex, nõ vi hoſtili, ſed volũtario mortis genere cõſumendum prædixit, clariſq; bellis obſcura, ac lõginquis finitima ꝓponere vetuit. Quo relicto, Hadingus ab Vffone ꝑ colloquij ſimulationẽ in Vpſalã accerſitus, amiſſis ꝑ inſidias ſocijs, noctis habitu protectus aufugit. Nã Danis ædis in quam conuiuij nõine cõtracti fuerãt, exceſſum petentibus, præſtò erat qui cuiuſq; exertũ foribus caput ferro demeteret. Cuius facti iniuriã prælio inſecutus Vffonẽ oppreſſit, eiusq; corpus depoſito odio cõſpicui operis mauſeolo mãdauit, ampli tudinẽ hoſtis elaborato buſti ſplendore cõfeſſus. Ita quẽ viuũ hoſtili ſtudio inſectari ſolebat, extinctum honoris impẽdio decorabat. Et vt ſibi deuictę gentis animos cõciliaret, fratrẽ Vffonis Hundingũ, regno præfecit, ne imperiũ potius in exteros trãſſuſum, q̃ in Aſmundi familia cõtinuatũ videretur. Cumq; ſublato iã æmulo cõplures annos ꝓ ſummã armorũ deſuetudinẽ, rerũ agitatiõe vacuus exegiſſet, tandẽ diutinũ ruris cultũ nimiãq; maritimarũ rerũ abſtinentiã cauſatus, & quaſi bellũ pace iocũdius ratus, talib. ſeipſum culpare deſidię modis aggreditur:

Byarmenſes ſuis incantationibus efficiunt, vt imber exoriatur.

Quid moror in latebris opacis
Collibus implicitus ſcrupoſis,
Nec mare more ſequor priori?
Eripit ex oculis quietem
Agminis increpitans lupini
Stridor, & vſq; polum leuatus
Queſtus inutilium ferarum
Impatiensq; rigor leonum.
Triſtia ſunt iuga vaſtitasq;
Pectoribus truciora fiſſis.
Officiunt ſcopuli rigentes
Difficilisq; ſitus locorum
Mentibus æquor amare ſuetis.
Nam freta remigiis probare
Officij potioris eſſet,
Mercibus ac ſpoliis ouare
AEra aliena ſequi locello
AEquoris inhiare lucris
Quam ſalebras nemorumq; flexus
Et ſteriles habitare ſaltus.

Cuius vxor ruralis vitę ſtudio maritimarum aviũ matutinos pertęſa cõcentus, quantũ in ſylueſtrium locorum vſu voluptatis reponeret, hac voce detexit:

Me canorus angit ales immorantem littori
Et ſoporis indigentem garriendo concitat.
Hinc ſonorus æſtuoſæ motionis impetus
Ex ocello dormientis mite demit ocium:
Nec ſinit pauſare noctu mergus altè garrulus
Auribus faſtidioſa delicatis inſerens,
Nec volentem decubare recreari ſuſtinet
Triſtiore flexione diræ vocis obſtrepens.
Tutius ſyluis fruendum dulciusq; cenſeo.
Quis maior quietis vſus, luce, nocte carpitur,
Quàm marinis immorari fluctuando motibus?

Eodem tẽpore Toſto quidã obſcuro Iutiæ loco ortus, ferocitate clarus emerſit: plebe nanq; vario petulãtię genere laceſſita, latè crudelitatis famã extulit, tãtáq; malignitatis opiniõe ꝓcrebuit, vt facinoroſi cognomine notaretur. Sed nec exterorũ iniurijs abſtinẽs, poſt fœdã patrię vexationẽ, etiã Saxoniã tẽtat. Cui⁹ duce Syfrido laborãtib. ꝑlio ſocijs pacẽ petẽte, fore quod ab ipſo poſcebatur aſſeruit, dum-

dummodo ſibi gerẽdi cum Hadingo belli ſocietatẽ polliceri voluiſſet. Refragãtẽ illum, cõditioniq; parere metuentẽ, acri minarũ genere ad eã quã optabat promiſſionẽ perduxit. Fit. n. vt quod blãdè non ſtruitur, minaciter impetretur. A quo terreſtri negotio ſuperatus Hadingus, cũ victoris claſſem inter fugiendũ repertã ꝑ foſſis laterib. nauigationi inutilem reddidiſſet, cõceſſam ſcaphã in altũ direxit. Quẽ Toſto occidiſſe ratus, cùm diu inter ꝓmiſcua necatorũ cadauera quęſitũ reperire non poſſet, ad claſſem regreſſus, animaduertit eminus mỳoparonẽ medijs maris ęſtibus fluctuantẽ. Quem cum adductis in altũ nauigijs perſequi ſtatuiſſet, fractionis periculo reuocatus, ægrè littus repetiit. Tũc correptis integris cœptũ vię genꝰ exequitur. Hadingus occupari ſe vidẽs, percõtari comitẽ cœpit, an nãdi vſum calleret, neganteq; eo, fugę diffidentia ſpõte euerſi nauigij cõcauas partes amplexus, mortis fidem inſequẽtibus fecit. Securũ deinde Toſtonẽ inopinatũq; & ſpoliorũ reliquiis auidius incubantẽ adortus, proſtrato exercitu prędã deſerere coegit ſuãq; eius fuga vlciſcitur. Nec Toſtoni in vindictã ſui animus defuit. Nam cũ ob accepti vulneris magnitudinẽ reparandarũ intra patriã virium copiã non haberet, legati titulo Britanniam petijt. In qua profectione nauigationis ſocios in aleæ luſum per laſciuiã contraxit, rixamq; a teſſerarum iactibus ortam, funeſta cæde finire docuit. Ita placido exercitij genere diſcordiã per totũ nauigiũ diffudit, cruentamq; pugnã mutatus lite iocus ꝓgenuit. Et vt aliquod ex alieno malo cõmodum caperet, correptis interfectorũ pecunijs, Collonẽ quendã piratica tunc temporis inſignẽ adciuit. Quo comite paruo pòſt in patriã reuerſus, cũ Hadingo, ſuã quam militũ fortunã expendere ꝓptante, ex prouocatione congreſſus occiditur. Nolebant enim priſcę fortitudinis duces vniuerſorum diſcrimine exequi, quod paucorum ſorte peragi potuiſſet. His geſtis, Hadingo defunctæ coniugis ſpecies per quietem obſeruata, ſic cecinit:

Quod blãdè non ſtruitur ſæpius per minas impetratur.

Bellua nata tibi eſt rabiem domitura ferarum,
Quæq; truci rapidos atteret ore lupos.

At poſt pauca ſubiunxit:

Fac caueas, ex te nocuus tibi prodijt ales
Felle ferox bubo, voce canorus olor.

Rex manè ſopore diſcuſſo, cuidã cõiecturarũ ſagaci viſum exponit. Qui lupi nomine futurę ferocitatis filiũ interpretatus, Oloris vocabulo filiam denotauit, illũ hoſtibus pernicioſum, hãc patri inſidioſam fore prędſagiẽs. Euentus augurio reſpõdit. Siquidẽ Hadingi filia Vluilda priuato cuidã Guthormo denupta, ſiue copulæ indignitate, ſiue claritatis affectatione permota, maritũ in parentis cędẽ abſq; pietatis reſpectu ſolicitat: reginã ſe, q̃ regis filiã cẽſeri malle ꝑfata. Cuius exhortationis modũ ijſdẽ penè verbis, quibus ab ipſa editus fuerat, explicare cõſtitui: q̃ ferè huiuſmodi erat: O miſerã me, cuius nobilitatẽ diſpar copulę nexus obtenebrat. O infelicẽ, cuiꝰ ſtẽmati ruſtica iugatur humilitas. O infortunatã principis ꝓlem, quã tori lege plebeius æquiparat. Miſerandã regis filiã, cuius decorẽ ignauus pater in abſoletos ac deſpicabiles trãſmiſit amplexus. Infauſtã matris ſobolẽ, cuius felicitati tori cõmerciũ derogat, cuius mũditiã immũditia ruralis attrectat, dignitatẽ indignitas vulgaris inclinat, ingenuitatẽ cõditio maritalis extenuat. At ſi quis tibi vigor ineſt, ſi qua mẽtẽ virtus poſſidet, ſi dignũ te regis generũ ꝓbas, ſocero faſces eripe, genus ꝓbitate redime, proſapię defectũ virtute æſtima, ſanguinis damnum animo penſa. Felicior eſt honos audacia, quàm hęreditate quæſitus. Melius virtute culmẽ, quàm ſucceſſione cõſcenditur. Aptius honores meritũ, q̃ natura cõciliat. Adde quòd ſenectutẽ ſubruere nephas non eſt, quæ proprio in ruinam pondere ſuppreſſa deuergit. Sufficient ſocero tot temporũ faſces, ſenilis tibi poteſtas obueniat. Quæ ſi te fruſtrata fuerit, alteri cedet. Lapſui vicinum eſt, quicquid ſenio cõſtat. Sat illi regnaſſe ſit: tibi quandoq; præeſſe conueniat. Malo prætereà virum regnare quàm patrẽ. Malo regis cõiunx, quàm nata cenſeri. Melius eſt principem intus amplecti, quàm exterius venerari. Glorioſius nubere regi, quàm obſequi. Ipſe quoq; tibi ſceptrum, q̃ ſocero malle debeas. Proximũ ſibi quenq; natura cõſtituit. Aderit cœpto facultas, ſi facto voluntas acceſſerit. Nihil eſt quod non ingenio cedat. Inſtaurandum epulũ eſt, exornandum conuiuiũ, prouidendi paratus. Inuitandus ſocer, fraudi viã familiaritas ſimula

ta præstabit. Nullo melius quàm affinitatis nomine insidiæ teguntur: adde quòd temulentia promptũ cædi iter aperiet. Cumq; rex capitis cultui intentus, fabulis mentẽ, barbæ manum intulerit, pilorũq; perplexionẽ crinali spico seu pectinis e nodatione discreuerit, applicari ferrũ visceribus sentiat. Minor occupatis solet cautela pquiri. Dextera tua tot scelerũ vindex accedat. Piũ est vltricẽ miserorũ manũ extendere. Talibus insistente Vluilda, vir suggestione victus, insidijs operam pollicetur. Interea Hadingus generi dolum cauere somnio monitus, petito cõuiuio quod ei filia charitatis simulatione parauerat, armatorũ non lõgè pfidia statuit, quibus aduersum insidias cũ res exigeret, vteretur. Quo cibũ capiente, fatelles in fraudis ministeriũ adcitus, occultato sub veste ferro opportunũ sceleri tẽpus tacitus expectabat. Quo rex animaduerso, collocatis in vicino militibus signum lituo dedit. Quibus continuò opem ferentibus, dolum in autorẽ retorsit. Interea rex Sueonũ Hundingus occasum Hadingi falsò acceptũ nuncio inferiis excepturus. optimatibus contractis, eximiæ capacitatis doliũ cereali liquore cõpletum delitiarum loco medium conuiuiis apponi præcepit: & ne quid celebritatis deesset, ipse ministri partibus assumptis, pincernam agere cunctatus nõ est. Cũq; exequendi officij gratia regiã perlustraret, offenso gradu in dolium collapsus, intercluſum humore spiritũ reddidit, deditq; pœnas siue Orco, quẽ falsa exequiarum actione placabat, siue Hadingo, cuius interitum mentitus fuerat. Quo cognito Hadingus parem veneratori gratiam relaturus, extinctoq; superesse nõ passus, suspendio se vulgo inspectante consumpsit

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER
SECVNDVS.

Hic Frotho vulgò diceba tur Frotho geffmylde, id est liberalis.

HADINGO filius Frotho succedit, cuius varij insignesq; casus fuere. Pubertatis annos emẽsus, iuueniliũ præferebat cõplementa virtutũ. Quas ne desidię corrũpẽdas præberet, abstractũ voluptatibus animũ, assidua armorũ intẽtione torquebat. Qui cũ paterno thesauro bellicis operib⁹ absumpto, stipẽdiorũ facultatẽ, qua militẽ aleret, nõ haberet, attẽtiusq; necessarij vsus subsidia circumspiceret, tali subeuntis indigenæ carmine concitatur:

Insula non longè est præmollibus ædita cliuis
Collibus æra tegens, & opimæ conscia prædæ.
Hic tenet eximium montis possessor aceruum,
Implicitus gyris serpens crebrisq; reflexus
Orbibus, & caudæ sinuosa volumina ducens,
Multiplicesq; agitans spiras, virusq; profundens.
Quem superare volens clypeo, quo conuenit vti
Taurinas intende cutes, corpusq; bouinis
Tergoribus tegito, nec amaro nuda veneno
Membra patere sinas, sanies quod conspuit vrit.
Lingua trisulca micans patulo licet ore resultet,
Tristiaq; horrifico minitetur vulnera rictu,
Intrepidum mentis habitum retinere memento,
Nec te permoueat spinosi dentis acumen,
Nec rigor aut rapida iactatum fauce venenum.
Tela licet temnat vis squamea, ventre sub imo
Esse locum scito quo ferrum mergere phas est,
Hunc mucrone petens medium rimaberis anguem.
Hinc montem securus adi, pressoq; ligone
Perfossos scrutare cauos, mox ære crumenas
Imbue, completamq; reduc ad littora puppim.

Credulus Frotho solitarius in insulam traijcit, ne comitatior belluam adoriretur

tur quàm Athletas aggredi moris fuerat. Quæ cum aquis pota ſpecum repeteret, impactum Frothonis ferrũ aſpero cutis horrore contempſit. Sed & ſpicula quæ in eam coniecta fuerant, eluſo mittentis conatu læſionis irrita reſultabãt. At vbi nil tergi duritia ceſſit, ventris curioſius annotati mollities ferro patuit: quæ ſe morſu vlciſci cupiens, clypeo duntaxat ſpinoſum oris acumen impegit. Crebris deinde linguã micatibus ducens, vitã pariter ac virus efflauit. Repertæ pecuniæ regem locupletem fecere, quibus inſtructus, claſſe Curetum partibus admouetur. Quorũ rex Dorno periculoſi belli metu huiuſmodi ad milites orationẽ habuiſſe fertur: Externũ proceres hoſtẽ, & totius fermè occidentis armis opibuſq; ſuccinctũ, ſalutarem pugnę cunctationẽ ſectantes, inediæ viribus obtinendũ cremus. Internum hoc malũ eſt, difficillimũ ære domeſticum debellare periculũ. Facile famelicis obuiatur. Melius aduerſariũ eſurie q̃ armis tentabimus. Nullũ hoſti inedia acrius iaculum adacturi. Edax viriũ peſtis edendi penuria nutritur. Armorum opẽ alimentorum inopia ſubruit. Illa quieſcentibus nobis tela cõtorqueat, illa pugnę ius officiũq; ſuſcipiat: diſcriminis expertes, diſcrimen licebit inferre. Exangues abſq; ſanguinis detrimento præſtare poterimus. inimicũ ocio ſuperare phas eſt. Quis dãnoſe quàm tutò dimicare maluerit? Quis cũ impunè certare liceat, pœnã experiri contendat? Felicior armorũ ſucceſſus aderit, ſi p̃uia fames bellum cõmittit. Hac primã confligendi copiã duce captemus: caſtra noſtra tumultus expertia maneãt: illa noſtri loco decernat: quę ſi victa ceſſerit, ocium rumpendũ eſt: facile ab indefeſſo laſſitudine cõcuſſus opprimitur. Adeſa marcore dextera pigrior in arma perueniat. Lentiores ferro manus dabit, quẽ quiſpiam prius labor exhauſerit. Præceps victoria eſt, vbi tabe cõſumptus, cũ robuſto congreditur. Taliter indẽnes aliis Danorũ autores fore poterimus. His dictis, quęcũque tutatu difficilia animaduertit defenſionis diffidentia populatus, adeò hoſtilem ſæuitiã in vaſtanda patria p̃cucurrit, vt nihil quod à ſuperuenientibus occupari poſſet intactũ relinqueret. Maiorẽ deinde copiarũ partẽ indubitatę firmitatis municipio cõplexus, ab hoſte ſe circunſideri p̃mittit. Cuius Frotho oppugnãdi diffidẽtia concitatus, cõplures inſolitæ p̃funditatis foſſas intra caſtra fieri, latenterq; per corbes humũ egeri, & in fluuiũ mœnibus p̃pinquum tacitè diſijci iuſſit. Quem dolũ crebro ceſpite foſſis ſuperaddito, occultandũ curauit, incautũ hoſtẽ præcipitio cõſumpturus, futurũq; ratus, vt ignaros deſidentis glebæ lapſus obrueret. Poſt hæc ſimulato metu caſtra pauliſper deſerere cœpit: quib. imminentes oppidanos paſſimq; eluſis veſtigijs in foueas p̃uolutos ingeſtis deſuper iaculis trucidauit. Inde profectus in Trannonẽ Rutenę gẽtis tyrannũ incidit, cuius maritimas copias ſpeculaturus, crebros clauos ex fuſtibus creat, ijſdẽq; carabũ onerat: quo hoſtilẽ noctu claſſem ſubiens, imas nauigiorũ partes terebro ſauciat: quæ ne repentinũ vndarum paterentur incurſum, patentia foraminũ loca, p̃uiſis antea clauis obſtruit, terebriq; dãnum ſtipitibus penſat. At vbi foraminum copiã mergẽdę claſſi ſufficere credidit, dẽptis obſtaculis, p̃mptum aquis aditum patefecit, hoſtilemq; claſſem ſua circunfundere p̃perauit. Ancipiti periculo circunuẽti Rutẽni, armis prius an vndis reſiſterẽt, hęſitabãt, Naufragio pereunt, dum nauigiũ ab hoſte vindicare contendunt. Internum diſcrimẽ externo atrocius erat, dum foris ferrum ſtringunt, intus fluctibus cedunt. Bina ſimul in miſeros pericula graſſabãtur. Incertũ erat celerius nando ſalus an dimicãdo peteretur. Mediũ pugnæ certamen noua fati diremit occaſio. Geminæ mortes vno ferebantur inceſſu: duę lethi viæ ſocium egere periculum. Ambiguum erat, ferrum magis an fretũ afficeret: gladios p̃pulſantẽ, tacitus fluctuum allapſus excepit: ecõtrario fluctibus obuiantẽ, obuius enſis implicuit: aquarum eluuies cruoris aſpergine fœdabatur. Victis itaq; Rutenis, patria Frothoni repetitur: qui cum legatos in Ruſciam exigendi tributi ſtudio miſſos, incolarum perfidia atroci mortis genere conſumptos animaduerteret, duplici iniuria permotus, vrbem Rotalam arcta admodum obſidione perſequitur. Qua ne fluuij interſtitio prohibente tardius potiretur, vniuerſam aquæ molem nouariuorum diuerſitate partitus, ex ignotæ profunditatis alueo meabilia vada perfecit: nec antè deſtitit quã rapidior vortex diuiduo minoratus excurſu languidiore

Dornonis Curetum regis oratio.

Frothonis ſtrategema.

Trãno Rutenorum rex.

vndas lapsu ageret, ac per exiles flexus vadosa paulatim cõstrictione rarescceret. Ita amne domito, oppidum naturæ præsidio vacuum, inoffensa militum irruptione prosternit. His gestis, ad vrbẽ Peltiscam exercitũ cõtulit, quam virib. inuictã ratus, bellum fallacia mutauit. Siquidẽ paucis admodũ conscijs ignotę opacitatis latebras petiuit, extinctumq; se quò minus hosti terroris afferret, vulgò nunciari præcepit. Additæ in fidem exequiæ, tumulusq; cõstructus. Sed & milites conscio fraudis mœrore, simulatũ ducis obitum ꝓsequuntur. Qua fama rex vrbis Vespasius perinde ac victoria potitus, tam languidã ac remissam defensionẽ egit, vt hostibus irrumpendi potestate facta, inter lusus ac ocia necaretur. Vrbe capta Frotho spe orientis imperium cõplexus, Anduani mœnib. admouetur. Qui quondã succensę ꝑ Hadingum vr bis admonitus, cunctos eius penates domesticis auibus vacuefecit, quo minus simi lis iacturæ periculo mulctaretur. Nec noua Frothoni calliditas defuit: quippe ꝑmutata cũ ancillulis veste, peritã se pugnandi puellã simulat, depositoq; virili cultu, fœmineũ æmulatus, transfugæ titulo oppidũ petit. Illic omnibus curiosius exploratis, postridie emisso comite exercitum muris affore iubet, portasq; sua pandẽdas opera pollicetur. Taliter elusis vigilib. vrbs somno sepulta diripitur, securitatis pœnas inter ritu luens, desidiaq; sua q̃ hostium virtute miserior. Nihil enim in re militari ꝓnicio sius animaduertitur, quàm per ocium metu vacuũ, solutis neglectisq; rebus nimia fiduciæ ꝑsumptione torpescere. Anduanus cum patriæ res perditas euersasq; cõspiceret, regias opes nauibus impositas, vt vndas potius quàm hostem ditaret, in altum demersit: quanquam satius fuerat aduersatiorum fauorẽ pecuniæ largitionibus occupare, q̃ eius cõmodum mortalitatis vsib. inuidere. Post hæc Frothone filiã in matrimoniũ per legatos poscente, cauendũ respondit, ne rerũ prosperitate corruptus, victoriæ successum in superbiam vertat: sed potius victis parcere, & in deiectorum conditione, pristinum fulgoris habitum venerari meminerit, discatq; in miserorũ sorte ꝓteritam æstimare fortunã. Curandum itaq;, ne cuius affinitatẽ expetat, imperium rapiat, & quam nuptijs illustrare gestiat, obscuritatis sordib. respergat, matrimonij dignitatem auaritiæ studio corrupturus. Cuius dicti comitate & victorẽ generũ adsciuit, & regni libertatem obtinuit. Interèa Sueonũ regis Hadingi coniunx Thorilda, cum priuignos suos Regnerum & Thoraldum, quorum infinito odio tenebatur, vt variis periculorum generib. implicaret, regio tãdem pecori præfeciſſet, Hadingi filia Suãhuita sororibus in famulitium sumptis, Suetiam petit, clarissimæ indolis exitiũ muliebri ingenio præcursura. Cumq; ꝓdictos adolescentes nocturnis gregum excubiis occupatos, diuersi generis portentis circunfundi videret, soroꝛes equis descendere cupientes, tali poẽmatis sono vetuit:

Aſtutia militaris egregia.

Stratagema recens.

De Anduaworege.

Thorildæ in priuignos ſæuitia.

Monstra quidem video celerem captantia saltum,
Corpora nocturnis præcipitare locis.
Bella gerit dæmon, & iniquæ dedita rixæ
Militat in mediis, turba nephanda vijs.
Effigie spectanda truci, portenta feruntur,
Hæcq; hominum nulli rura patere sinunt.
Agmina præcipiti per inane ruentia cursu,
Hac nos progressum ſistere sede iubent.
Flectere lora monent, sacrisq; absistere campis,
Aruaq; nos prohibent vlteriora sequi.
Trux lemurum chorus aduehitur præcepsq; per auras
Cursitat, & vastos edit ad astra sonos.
Accedunt Fauni Satyris, Panumq; caterua
Manibus admixta militat ore fero.
Siluanis coëunt aquili, laruæq; nocentes
Cum lamijs callem participare student.
Saltu librantur furiæ, glomerantur eisdem
Laruæ, quas simis fantua iuncta premit.
Calcandus peditis trames terrore redundat,
Tutius excelsi terga premantur equi.

Ad

Ad hæc Regnerus ſeruũ regiũ ſe profeſſus, tã longinqui à domo exceſſus cauſam aſtruxit, quòd cùm paſtoralis operis gratia rus relegatus, pecus cui præerat amiſiſſet, deſperata recuperatiõe reditu abſtinere quàm vltionis pœnã incurrere põptaſſet. Et ne fratris conditionẽ ſilẽtio põteriret, tale dictis poëma ſubiunxit.

Nos homines, non monſtra puta, ſeruoſq; manentes
Per loca paſcendos exagitaſſe greges.
At cùm per teneros ageremus tempora luſus,
Fortè remota vagum ceſſit in arua pecus.
Cumq; petita diu ſpes deforet inueniendi,
Inceſſit miſeris ſollicitudo reis.
Cumq; boum nuſquam veſtigia certa paterent,
Obtinuit mœſtus ſontia corda pauor.
Hinc eſt quod virgæ vulnus pœnale verentes,
Duximus in proprios triſte redire lares.
Credidimus quàm ferre manum, pœnamq; ſubire
Tutius aſſuetis abſtinuiſſe focis.
Sic pœnam differre iuuat, reditumq; peroſis
Hac dominum latebra fallere cura manet.
Hac ope neglecti pecoris vitabitur vltor,
Solaq; ſtat noſtris hæc fuga tuta vijs.

Tunc Suanhuita ſpecioſiſſimum lineamentorum eius habitũ curioſiori cõtẽplatione luſtratũ impenſius admirata, regibus te, inquit, non ſeruis editũ præradians luminũ vibratus eloquitur. Forma proſapiã pandit, & in oculorũ micatu naturę venuſtas elucet. Acritas viſus ortus excellentiã præfert. Nec humili loco natũ liquet, quem certiſſima nobilitatis index pulchritudo cõmendat. Exterior pupillarũ alacritas interni fulgoris geniũ confitetur. Facies fidem generi facit, & in luculẽtia vultus, maiorũ claritudo reſpicitur. Neq; enim tã comis, tamq; ingenua ſpecies, ab ignobili potuit autore profundi. Sãguinis decus cognato frontẽ decore perfundit, & in oris ſpeculo cõditio natiua reſultat. Minimè ergo tã ſpectati cælaminis ſimulacrũ obſcurus opifex abſoluit. Nũc itaq; celerrima declinatiõe crebros vię exceſs⁹ petẽtes, mõſtrigenos vitate cõcurſus, ne elegãtiſſimorũ corporũ præda, ſordidiſſimis paſtũ agminib. præbeatis. At Regnero maxim⁹ ob deformitatẽ cultus rubor inceſſerat, cui⁹ vnicũ in obſcurãda nobilitate remedium ducebat. Seruitutẽ itaq; nõ ſemper virilitate vacuã reperiri ſubiũxit. Sæpè enim ſordido cultu robuſtã obtegi manũ, fortẽq; dextrã atra veſte cõcludi interdum: itaq; naturę vitiũ virtute redimi, damnũq; generis animi ingenuitate pẽſari. Se ergo Thor deo excepto, nullã mõſtrigenę virtutis potẽtiã expauere, cuius viriũ magnitudini nihil humanarũ diuinarúmue rerũ digna poſſit ęqualitate cõferri. Sed neq; laruas liuido tãtũ ſqualore terribiles, à maſculis debere pectorib. formidari. quarũ effigies adulterino diſtincta pallore, momentaneũ corporis habitũ ab aêris teneritudine mutuari cõſueuerit. Falli igitur Suanhuitã, quę ſolidũ virorũ robur muliebriter emollire, viresq; vinci inſolitas effœminato pauore pfundere conetur. Admirata iuuenis cõſtãtiã Suãhuita, ablegato nubilę inũbrationis vapore põtẽtas ori tenebras ſuda pſpicuitate diſcuſſit, enſemq; varijs conflictibus opportunũ ſe ei daturã pollicita, mirã virginei cãdoris ſpeciẽ nouo mẽbrorũ iubare pferebat. Taliter accẽſi iuuenis cõnubiũ pacta, plato mucrone ſic cepit:

Thor deus.

In gladio quo monſtra tibi ferienda patebunt,
Suſcipe rex ſponſæ munera prima tuæ.
Hoc dignum te rite proba, manus æmula ferri
Geſtamen ſtudeat condecorare ſuum.
Ferrea vis tenerum mentis confortet acumen,
Atq; animus dextræ nouerit eſſe comes.
Æquet onus lator, & vt enſi congruat actus
Accedat grauitas, par in vtroq; tibi.
Framea quid prodeſt, vbi languet debile pectus,

Et telum trepidæ deſtituere manus?
Ferrum animo coëat, corpusq; armetur vtroq;,
Iungatur capulo, conſona dextra ſuo.
Hæc celebres edunt pugnas, quia iuncta vigoris
Plus retinere ſolent, diſſociata minus.
Hinc tibi ſi volupe eſt belli clareſcere palma,
Conſectare auſu quod premis ipſe manu.

Cumq; multa ad hunc modum coaptato rhythmorum canore prompſiſſet, dimiſſis comitibus aduerſum obſcœniſſimas portentorum cateruas, noctem dimicãdo permenſa, luce reddita varias laruarum formulas, & inuſitata ſpecierum figmẽta paſſim aruis incidiſſe cognoſcit: inter quas & ipſius Thorildæ crebris obfuſa vulneribus effigies viſebatur: quas in ſtruem congeſtas ingenti pyra accenſa cremauit, ne teter obſcœnorum cadauerum odor peſtifera exhalatione diffuſus, propius accedentes corruptionis contagio ſauciaret. Quo facto, Regnero Suetię regnum, ſibi verò Regneri torum conciliauit. Qui licet tirocinium nuptijs auſpicari deforme exiſtimaret, ſeruatæ ſalutis ſuæ reſpectu prouocatus promiſſum beneficio excoluit. Inter hæc Vbbo quidam ſororem Frothonis Vluildam iampridem matrimonio complexus, Daniæ regnum, cuius procurationem perfunctorie gerebat, uxoris nobilitate fretus occupat. Quamobrem Frotho Orientis bella deſerere coactus, apud Sueti am cum Suanhuita ſorore graue prælium facit. Quo afflictus noctu conſcenſa cymba, per occultos nauigationis anfractus, perforandæ hoſtium claſſis aditum quærebat. Deprehenſus a ſorore, rogatusq; cur tacito remigio varias meatuum ambages ſequeretur, ſimili quæſtionis modo percontantem abſoluit. Nam Suanhuita quoq; eodẽ noctis tempore ſolitariã nauigationẽ ingreſſa, ancipiti declinationis gyro multiplices ſenſim aditus receſſusq; captabat. Fratrem itaq; dudum ab eo collatæ ſibi libertatis admonitum rogare cœpit, vt quam bellũ Ruthenicum petiturus, arbitraria nubendi poteſtate donauerat, aſſumpto coniuge frui permittat, ratumq; poſt factũ habeat, quod fieri ipſe conceſſerit. Tam iuſtis precibus permotus Frotho pacẽ cum Regnero cõponit, iniuriamq; quã ex ſororis petulantia ſuſcepiſſe videbatur, 4 rogatui remiſit. A quibus etiam manu quantã per eos amiſerat donatus, deforme vulnus ſpecioſo beneficio pẽſatum gaudebat. Daniã ingreſſus, capto perductoq; ad ſe Vbboni ignouit, veniamq; quam pœnã mali merito rependere maluit, quod regnũ potius vxoris impulſu, quàm propria cupiditate tentaſſe, nec tã autor iniuriæ, quàm imitator fuiſſe videretur. Vluildã eidem ademptã amico ſuo Scoto, qui & ipſe Scoti ci nominis conditor fuit, nubere coegit, tori varietatem ſupplicij loco reputans. Cuius diſceſſum regijs etiã vehiculis proſequutus, iniuriã beneficio penſauit. Sororis ſiquidem naturam, non ingeniũ intuens, ſuæ potius famæ, quàm illius nequitię conſulebat. Quæ fraternis meritis nihil ex conſueti odij pertinacia remittens noui marити animum occidendi Frothonis, occupandiq; Danorum imperij cõſilio fatigabat. Segniter enim deſerere ſolet animus, quicquid ſolido fuerit amore cõplexus. Neq; fluidis annis molitũ continuò crimen elabitur. Primæuã quippe mentem poſterior imitatur affectio. Nec citò vitiorum veſtigia pereunt, quæ tenera moribus ætas impreſſerit. Cum vacuas mariti aures haberet, inſidias à fratre in virũ conuertit, mercede conductis, qui iugulũ dormientis cõfoderent. Qua de re Scotus per pediſſequã certior factus, nocte qua cædis miniſterium circa ſe peragendum acceperat, lecto loricatus inceſſit. Rogatus ab Vluilda quid ita aſſuetæ quietis vſum, ferreo cultu mutaſſet? Sic ad præſens ſibi collibitum retulit. Cùm ſomno obfuſus putaretur, irrumpentes inſidiatum miniſtros lecto delapſus obtruncat. Quò euenit, vt Vluildã inſidijs fratri nectendis abſtraheret, & alijs vxorum perfidiam cauendi documentum præberet. Quæ dum geruntur, adoriendæ bello Freſię Frothoni conſilium incidit, claritatem Orientis deuictione quæſitam, Occidentis oculis infundere auido. Oceanum petenti prima aduerſum Vitthonem Freſorum piratam cõgreſſio fuit, in qua ſocijs primos hoſtium impetus ſolo clypeorum obiectu patienter excipere iuſſis, non antè miſſilibus vtendum edixit, quàm penitus hoſtium iaculorum imbrem exhauſtum aduerterent. Quæ tanto à Freſis auidius emiſſa, quãto à Danis tolerabilius exce-

4 fortè, rogãti.

excepta, Vitthone Frothonis patientiam à pacis cupiditate profectam existimante. Oritur ingens classicum, & immenso pila stridore dissultant. Cum nullum incautis iaculum supereſſet, Danorum telis obfusi vincuntur. Fuga littus amplexi, inter flexuosos fossarum ambitus obtruncantur. Rhenum deinde classe rimatus, extremis Germaniæ partibus manus iniecit. Repetito oceano Fresorum classem vadosis inflictam vorticibus adortus, cæde naufragium cumulauit. Nec tantas hostium acies obtriuisse contentus, Britanniam tentat. Cuius rege deuicto, Melbricum Scoticæ regionis præfectum aggreditur. Cui cùm bellum illaturus Britannorum regem imminere ex speculatore cognosset, tergóque simul ac pectori consulere nequiret, militibus ad concionem vocatis deferenda vehicula, abijciendam suppellectilem, aurúmque quod ab eis gestaretur passim per arua disijciendum edixit, affirmans solam in opum effusione opem restare. Nec aliud concluſis subsidium supereſſe, quàm hostem ab armis in auaritiam pellicere. Libenter prædam apud exteros quæsitam supremæ necessitati impendi debere. Fore enim vt hostes non minore auiditate collectam abijcerent, quàm repertam corriperent, oneri potius quàm vsui futuram. *Fresia a Danis subacta.*

Tunc Torkillus auaritia antè alios insignis, cæterísque eloquio præstans, capite galea nudato clypeo innixus, Mouet, inquit, rex pleroſque tuæ præceptionis austeritas, qui magni æstimant, quod sanguine peperetunt: ægrè proijcitur, quod maximo constat periculo quæsitum. Inuiti deserunt, quod vitæ discrimine emerunt. Extremæ enim dementiæ est, virili animo ac manu parta muliebriter spernere, opésque hosti insperatas afferre. Quid deformius, quàm belli fortunam prædæ quã gerimus contemptu præcurrere? certúmque & præsens bonum, dubij mali metu relinquere? Nondum Scotos aspeximus, & aruum auro spargemus? Quales in prælio existimandi sunt, quos bellum petentes sola bellorum eneruat opinio? An qui hosti formidolosi fuimus, ridiculi erimus, claritatémque contemptu mutabimus? Mirabitur Britannus ab his se victum, quos solo vinci timore conspexerit. Illorum metu prememur, quibus metum priores ingessimus? Quorum præsentiam contempsimus, absentiam metuemus? Quando opes probitate mercabimur, quas timore vitamus? Pecunias pro quibus pugnauimus, pugnam vitando temnemus? Quos paupertati subijcere debuimus, diuitijs imbuemus? Spolia fortiter cepimus, molliter iaciemus? Quid turpius a nobis committi poterit, quàm aurum erogare, quibus ferrum infligere debemus? Pauor nunquam eximet, quod virtus peperit. Quod bello quæsiuimus, bello linquendum est. Tanti præda veneat, quanti empta est, ferro precium ponderetur. Præstat speciosa defungi morte, quàm lucis auiditate vilescere. A vita paruulo temporis momento deserimur. Pudor etiam fatum insequitur. Huic accedit, quod iactantes aurum, hostis hoc auidius insequetur, quo maiore metu vrgeri crediderit. Præterea neutra nobis fortuna auri odium facit. Victores namque ære quod gestamus ouabimus, victi sepulturæ præmio relinquemus. Hæc senior.

At milites regis potius quàm sodalis consilium intuentes, priorémque exhortationem posteræ præferentes, quod cuique opum erat certatim loculis egerunt. Mannos quoque variæ suppellectilis gerulos oneribus absoluunt, sicque vacuefactis crumenis, armis habilius accinguntur. Quibus progressis succedentes Britanni, in patentem latè prædam dissiliunt. Quos rex circa pecuniæ raptum auidius æquo occupatos conspiciens, cauere iubet, ne destinatas prælio manus opum onere fatigent, scientes triumphum antè carpendum, quàm censum. Proinde auro spreto, auri dominos insequantur. Nec æris, sed victoriæ fulgorem mirentur: meminerintque satius trophæum pensare, quàm quæstum: potiorem esse metallo virtutem, si ritè amborum habitum metiantur: hoc nanque exteriorem ornatum conciliari, illam interno externóque cultui precium afferre. Quamobrem remotos à pecuniæ contemplatione oculos habeant, abstractúmque auaritia animum belli studijs impendant. Præterea nouerint prædam ab hostibus de industria reiectam, aurúmque insidiis potius, quàm vsui seminatum. Sed & simplicem argenti *Regis a prædæ dehortatio.*

nitorem latentis hami fraude implicitum teneri. Neque enim facile fugę isse existimandum, qui fortem Britãnorum gentem fugæ prior adegerit. Cæterùm nihil indignius opibus esse, quæ raptorem captiuant, dum ditare creduntur. Siquidem Danos quibus opes obtulisse videantur, ferro cædéque mulctandos duxisse. Itaq; si sparsa rapiant, eo hostem instruere viderentur. Si enim æris in medio positi specie tangerentur, non solùm id, sed & si quid eis propriæ pecuniæ supereſſet amitterent. Quid enim colligere prodesset, quæ protinus erogare cogantur? Sin pecuniam prosterni renuerint, hostem haud dubiè prostraturos. Potius itaque virtute arduos, quàm cupiditate pronos existere debere, nec occiduos in auaritiam animos, sed erectos in gloriam habendos esse: armis non auro certandum fore.

Equitis Britanni verba

Finiente rege, eques Britannicus cunctis onustum auro gremium ostendens, Colliguntur, inquit, rex ex oratione tua gemini rerum affectus, vnus timoris, alter maleuolentiæ testis, cum & opibus propter hostem vti prohibeas, nosque egenos tibi quàm locupletes militare satius ducas. Quid hac deformius voluntate? quid exhortatione stolidius? Domesticas hic gazas agnoscimus, agnitas tollere dubitabimus? Quod armis repetere pergebamus, quod sanguine recuperare contendimus, vltro restitutum vitabimus? propria vendicare cunctabimur? Vter timidior est, qui parta fundit, an qui fusa legere pertimescit? En quod necessitas ademit, casus reddidit. Non hostium, sed nostra hæc spolia sunt: non attulit aurum Britanniæ Danus, sed abstulit. Quæ subacti inuitique perdidimus, gratis redeuntia fugiemus? Nephas est tantum fortunę beneficium indignanter excipere. Quid enim vesanius, quàm opes in patulo constitutas despicere, conclusas ac vetitas affectare? Ante oculos collocata fastidio dabimus, fugientia captaturi? In medio positis abstinebimus, longinqua atque extera petituri? Quando peregrina prædabimur, si propria refutamus? Nunquam deos tam infestos experiar, vt sinum paterna auitáque pecunia refertum, tam iusto onere vacuefacere compellar. Noui Danorum luxum, nunquam plena meri vasa liquissent, ni timor aufugere compulisset. Facilius vitam deseruissent, quàm vinum. Communis hic nobis affectio est, hac illis imagine respondemus. Esto, fugam finxerint, antè tamen in Scotos incident, quàm egredi queant. Nunquam porcis proculcandum aut belluis hoc aurum rure squalebit, humano melius vsui seruiturum. Præterea si exercitus à quo victi sumus spolia rapimus, fortunam in nosmet victoris transferimus. Quod enim certius victoriæ præsagium accipi posset, quàm pugnam præda præcurrere, castraq; ab hostibus deserta ante prælium capere? Satius est metu vicisse quàm ferro.

Finierat vix eques, & ecce omnium effusæ in prædam manus nitida passim æra carpsere. Mireris illic obscœnæ auiditatis ingenium, speculari posses immoderatum cupiditatis exemplum. Videres cum gramine pariter aurum conuelli, intestinum dissidium nasci, immemores hostium ciues ferro decernere, familiaritatis iura, societatis respectum negligi: auaritiam omnes, amicitias neminem intueri. Interea Frotho syluam quæ Scotiam Britanniamque secernit, vasto itinere permensus, arma milites capere iubet. Cuius aciem speculati Scoti, cum sibi leuia tantùm pila suppetere, Danos verò præstantiori armaturæ genere cultos conspicerent, pugnam fuga præueniunt. Quos Frotho Britannicæ effusionis metu modicum insecutus, Vluildæ virum Scotum cum ingenti exercitu obuium recepit, quem è remotissimis Scotiæ finibus auxilij Danis ferendi cupido perduxerat. Per hunc Scotorum insectatione relicta, cursum in Britanniam reflectere iussus, prædam quam vafrè reiecerat acriter recuperauit. Igitur quo æquiore animo opes deseruit, hoc facilius recepit. Pœnituit tunc oneris Britannos, sanguine pœnas auaritiæ dantes. Piguit inexpleta auiditati brachia porrexisse. Puduit minus regiæ exhortationi, quàm propriæ indulsisse cupiditati.

Post hæc celeberrimum insulæ oppidum Lundoniam petit: cuius murorum firmitate expugnationis facultatem negãte, mortis simulatione facta, vires ab astutia mutuatus est. Siquidem præfectus Lundoniæ Dalemannus, cum falsum de eius obitu nunciũ accepisset, receptis in deditionẽ Danis, ducẽ ex indigenis offert.

Quem

Quem vt ex magno aceruo legerent, oppidum intrare permisit. Quibus electionis diligentiam simulantibus, nocturnis insidijs circumuentus opprimitur. His gestis, regem in patriam regressum, Scato quidam conuiuio excipit, bellicis eius laboribus voluptatis licentiam permixturus. Apud quem Frotho dum regio more stratis auro puluinaribus accubaret, per Hundingum quendam ad dimicandum prouocatus, quanquam conuiualibus mentem gaudijs impendisset, plus pugnæ propinquitate quàm epularum præsentia delectatus, duello cœnam, victoria duellum absoluit. In quo dubiæ salutis vulnere susceptο, rursum Haquini pugilis adhortatione perstrictus, prouocantis nece vltionem irritatæ quietis exegit. Duos ex cubicularijs palàm insidiarum conuictos, ingentibus saxis affixos pelago obruit, ponderosum animi crimen annexa corporibus mole mulctando. Ferunt quidam Vluildam tunc ei insecabilem ferro vestem donasse, qua circumamictus nullo telorum acumine læderetur. Nec prætereundum, Frothonem contusis commolitisq; auri fragminibus cibos respergere solitum, quibus aduersum familiares veneficorum insidias vteretur. Hic dum Regnerum Suetiæ regem falso proditionis insimulatum bello lacessit, non telorum vi, sed armorum pondere & corporis æstu strangulatus interijt, Haldano, Roë, & Scato, filijs relictis. His virtute paribus, æqua regnandi incessit auiditas. Imperij cuiq; cura extitit: fraternus nullum respectus astrinxit: quem enim nimia sui charitas ceperit, aliena deserit, nec sibi quisquam ambitiosè atq; alijs amicè consulere potest. Horũ maximus Haldanus, Roë & Scato fratribus interfectis, naturam scelere polluit, regnum parricidio carpsit: & ne vllum crudelitatis exemplum omitteret, comprehensos eorum fautores prius vinculorum pœna coërcuit, mox suspendio consumpsit. Cuius ex eo maxime fortuna admirabilis fuit, quod licet omnia temporum momenta ad exercenda atrocitatis officia contulisset, senectute vitam non ferro finierit. Huius filij Roë, & Helgo fuere. A Roë Roskildia condita memoratur, quam postmodum Sueno furcatæ barbæ cognomento clarus, ciuibus auxit, amplitudine propagauit. Hic breui angustoq; corpore fuit, Helgonem habitus procerior cepit. Qui diuiso cum fratre regno, maris possessionem sortitus, regem Sclauiæ Scalcum maritimis copijs lacessitum oppressit. Quam cum in prouinciam redegisset, varios pelagi recessus, vago nauigationis genere perlustrabat. Hic licet ferocioris ingenij esset, luxuria tamen sæuitiam æquabat. Adeò siquidem proiectus in Venerem extitit, vt ambiguæ existimationis esset, tyrannide magis an libidine arserit. Apud insulam Thoro virgine Thora stuprum pati coacta, filiam suscepit, cui postmodum Vrsæ vocabulum aptauit. Hundingum Saxoniæ regis Syrici filium, apud Stadium oppidum prælio vicit, eundemq; ex prouocatione adortus duello prostrauit: ob quod Hundingi interemptor vocatus, victoriæ decus cognomine vsurpauit. Iutiæ Saxonibus ereptæ ius procurationemq; Hescæ, Eyr & Ler ducibus commisit. Apud Saxoniam ingenui ac liberti necem pari summa rependendam constituit, perinde ac liquidò constare volens, quod cunctas Theutonum familias æqua seruitus teneret, omniũq; corrupta libertas parem conditionis ignominiam redoleret. Cum ad insulam Thoro piraticam reflexisset, Thora necdum amissæ virginitatis mœrore depositο turpi commento nephariam stupri vltionem excogitauit, siquidem filiam nubilis ætatis de industria littori immissam, concubitu patrem maculare præcepit. Qui licet insidiosæ voluptatis illecebris corpus dedisset, animi tamen integritatem exuisse credendus non est, cum ei promptissimam erroris excusationem ignorantiæ beneficium afferret. O stolidam matrem, quæ filiæ pudicitiam vt suam vlcisceretur, exulare permisit, nec sanguinis sui castitatem curauit, dummodo incesti efficeret reum, per quem prior ipsa perdiderat cœlibatum. Atrocem fœminæ mentem, quæ veluti secundam sui corruptionem in pœnam corruptoris expendit, cum hoc ipso potius iniuriam augere, quàm extenuare videretur. Quippe quo se vltionem assequi credidit, culpam construxit: & dum noxam detrahere gestit, nephas adiecit, sobolis suæ nouercam agendo, cuius vt propriam expiaret infamiam, flagitio non pepercit. Nec dubium eandem refertum impudentia animum gessisse, cuius tantus à pudore excessus erat, vt iniuriæ solatium filiæ probro petere non erubesceret. Magnum, sed vno expiabile scelus, quod concubi-

Frothonis primi interitus.

Roskildia à Roë condita.

Theutoni à Danis subiugati.

tus noxam fausta proles detersit, neq; opinione tristius, quàm fructu iocundius fuit. Siquidem genitus ex Vrsa Rolpho, ortus sui infamiam conspicuis probitatis operibus redemit: quorum eximium fulgorem omnis æui memoria specioso laudum præconio celebrat. Fit enim vt lætis lugubria finiantur, & in specioſos exitus turpiter auspicata concedant. Igitur vt flagitiosus, ita felix patris error extitit, quem tanta luce mirificus postmodum filius expiauit. Interea Regnero apud Suetiam defuncto, coniunx eius Suanhuita paruo pòst & ipsa morbo ex mœstitia contracto decedit, fato virum insecuta, à quo vita distrahi passa non fuerat. Fieri nanq; solet, vt quidam ob eximiam charitatem, quam viuis impenderant, etiam vita excedentes comitari contendant. His filius Hothbrodus succedit, qui proferendi imperij studio Orienti bellum intulit, ac post immensam populorum cladem, Atislum & Hotherum filios procreauit. Hisdem Geuarum quendam egregijs sibi meritis deuinctum pædagogum adsciuit. Nec Orientis victoria contentus, Daniam petit, eiusq; regem Roë tribus prælijs prouocatum occîdit. His cognitis Helgo filium Roluonem Lethrica arce concluſit hæredis saluti consulturus, vtcunq; suam fortunam tractasset. Deinde præsides ab Hothbrodo immissos vt externo patriã dominio liberaret, missis per oppida satellitibus cæde subegit. Ipsum quoq; Hothbrodum cum omnibus copijs nauali pugna deleuit: nec solum fratris, sed etiam patriæ iniuriam plenis vltiónis armis pensauit. Quo euenit, vt cui nuper ob Hundingi cædem agnomen incesserat, nunc Hothbrodi strages cognomentum inferret. Præterea Sueones perinde ac parum prælijs afflictos abiectissimo conditionis instituto mulctauit, lege sanciens, ne cuiuspiam eorum iuxta legitimarum compositionum formulam læsio sarciretur. His gestis, ob superioris flagitij ruborem patriam penatesq; perosus, repetito Oriente decedit. Opinantur quidam, quod exprobratæ sibi turpitudinis anxius, super districtum gladium incumbendo, voluntaria se morte consumpserit. Huic filius Roluo succedit, vir corporis animiq; dotibus venustus, qui staturæ magnitudinem pari virtutis habitu commendaret. Cuius temporibus cum Danorum imperio Suetia subiaceret, Atislus Hothbrodi filius liberandæ patriæ ratione callidius quæsita, matrem Roluonis Vrsam, coniugio sibi sociandam curauit, intercedente connubij affinitate efficaciores priuigno monitus super tributi laxatione daturus. Nec fortunam votis aduersam habuit. Hic à puero liberalitatis odio imbutus adeò pecuniæ tenax extitit, vt munificum haberi infamiæ loco duceret. Quem cum Vrsa tantis auaritiæ sordibus obfusum videret, ideoq; eo carere cuperet, insidijs agendum rata, mira artis superficie fraudis formulam texit. Impietatis quippe simulationem amplexa, maritum capessendæ libertatis admonitum, nouarum rerum exhortatione solicitat, filiumq; maximis muneribus promissis, Suetiam arcessiri curat. Ita nanq; se votis maxime potituram credebat, si filio aurũ victrici nacto, regias opes fugiendo conuellere, virumq; non tantum toro, sed etiam pecunia fraudare potuisset. Neq; enim auaritiam vllo melius, quàm opum subtractione mulctandam putabat. Cuius doli profunditas ab intimis astutiæ modis profecta, haud facile ex hoc discerni poterat, quod permutandi tori studium, affectatæ libertatis imagine colorabat. Cæcam viri mentem, quæ matrem aduersum filij caput exarsisse putauit, nec suam potius strui perniciem intellexit. Stolidum mariti sensum, qui peruicacem vxoris industriam non aduertit, transferendi connubij copiam filialis odij specie molientem. Cum enim nulla muliebribus animis fiducia debeatur, is tanto stolidiorem fœminæ fidem detulit, quanto facilius eam sibi fidam, filio insidiosam putauit. Igitur promissorum magnitudine excitus Roluo, cum Atisli fortè penates ingressus, ob absentiæ diuturnitatem conuictusq; dissuetudinem parum à matre cognosceretur, leniendæ famis subsidiũ per iocum petere cepit. Quapropter dium à rege poscendum hortante, laceram vestis suæ partem exerens, operam consuentis expoſcit. Cum obseratas matris aures haberet, difficile, inquit, veram ac solidam amicitiam reperiri, cum filio mater epulum, fatu soror suendi obsequium neget. Ita matris errore mulctato, magnum eidem negatæ humanitatis ruborem iniecit. Quem cum Atislus inter epulas matri discubitu iunctum aspiceret, vtrunq;

Vrsa æstus erga maritum.

vtrunq; lasciuiæ increpans impudicum fratris sororisq; consessum asseruit. Cui Roluo, honestum in filio maternæ charitatis amplexum respondit, lacessitæ integritatis defensionem ab arctissimo naturæ vinculo mutuatus. Idem percunctantibus conuiuis, quod fortitudinis genus cæteris anteferret, patientiam nominauit. Interrogatus ab ijsdem Atislus, cui potissimũ virtuti votorum suorum studiũ obligasset: Liberalitatis sibi professionem aptauit. Exiguntur igitur hinc animositatis, inde munificentiæ pacta, priorq; Roluo virtutis experimentum edere iubetur. Qui cum igni applicaretur, parmulam parti qua acrius vrgebatur obiecit, alteroq; laterum defenso, reliquum munimento vacuum, vnico patientiæ duramento firmauit. Magna viri solertia, leniendi ardoris præsidium à clypeo mutuantis, vt inde exposito flammis, corpori propugnaret, vnde eidem inter stridentia quandoq; tela consuluisset. Æstus tamen telis acrior, cum vallatam clypeo partem expugnare non posset, defectum munimine latus inuasit. Quem pedissequa, quæ fortè propter focum astabat, intolerabili costarum ardore torreri conspiciens, egesta dolio clepsydra fuso flammam humore sopiuit, mediasq; incendij pœnas, tempestiuo liquoris beneficio repressit. Roluo patientiæ consummatione laudatur. Post hæc Atisli munera requiruntur. Ferunt illum collatis in priuignum opibus, ad vltimum ingentis ponderis torquem, quo donũ cumulatius redderet, expendisse. Igitur Vrsa tertio conuiuij die, edendæ fraudis copiam aucupata, suspicato nil tale coniuge, regia pecunia vehiculis imposita, proprijs se penatibus furtiuo subduxit egressu, subluströq; nocte fugam cum filio consecuta discedit. Insequentis se viri metu percita, per summam vlterioris fugæ diffidentiam comites abijciendæ pecuniæ iussu solicitat, vita vel opibus carituros affirmans, vnicum salutis stipendium in æris abiectione repositum, nec fugæ subsidium, nisi rerum damno carpendum. Eodem itaq; exemplo vtendum, quo sibi Frothonem apud Britannos consuluisse proditum erat. Adiecit etiam, nõ magno constare, si propria Suetis resumenda deponerent, dum inde sibi fugæ profectus, vnde eis insecutionis defectus accederet, magisq; aliena restitui, quàm sua deseri viderentur. Nec mora, quo fuga celerius carperetur, reginæ iussa complentur. Aurum crumenis egeritur, opes hostiũ raptui relinquuntur. Sunt qui asserant Vrsam retentis pecunijs æs auro oblitum, fugæ suæ vestigijs instrauisse. Credi nanq; poterat fœminam ingentia molitam facinora, metallum quoq; iactui destinatum inani fulgore pinxisse, verarum opum precia mendacis auri iubare simulantem. Videns igitur Atislus donatũ Roluoni torquem, inter alia auri insignia relictum intimum auaritiæ suæ pignus curiosius contemplatus, vt prędam exciperet, affixis humo genibus cupiditati maiestatem inclinare sustinuit. Quem Roluo tollendę pecuniæ gratia pronum dimissumq; conspiciens, proprijs prostratum muneribus risit, perinde ac cupide repetentem quod callide tribuisset. Contentis præda Suetis, ocyus ad naues se recipit, fugamq; vehementi remorũ conatu captauit. Ferunt autem illum quicquid præstare posceretur, primæ supplicationi prompta liberalitate tribuere solitum, nec vnquam ad secundam petentis vocem distulisse rogatum. Siquidem precum iterationem munificentiæ velocitate præcurrere, quàm beneficium tarditate notare maluit. Quæ res ei maximam athletarũ frequentiam conciliauit. Plerunq; enim virtus, aut præmijs pascitur, aut laudibus incitatur. Per idẽ tempus Agnerus quidam Ingelli filius, sororem Roluonis, Rutam nomine, matrimonio ducturus, ingenti conuiuio nuptias instruit, in quo cum pugiles omni petulantiæ genere debacchantes, in Ialtonem quendam nodosa passim ossa conijcerent, accidit vt eius consessor Biarco nomine iacientis errore vehementem capite ictum exciperet, qui dolore pariter ac ludibrio lacessitus, osse inuicẽ in iacientem remisso, frontem eius in occiput reflexit, idemq; loco frontis intorsit, transuersum hominis animum vultus obliquitate mulctando. Ea res contumeliosam ioci insolentiam temperauit, pugilesq; regia abire coẽgit. Qua conuiuij iniuria permotus sponsus, ferro cum Biarcone decernere statuit, violatæ hilaritatis vltionem duelli nomine quæsiturus: in cuius ingressu, vtri prior feriendi copia deberetur, diutule certatum est. Non enim antiquitus in edendis agonibus crebræ ictuum vicissitu-

Commendatio patientiæ in Roluone.

Roluonis mira liberalitas.

Pugnandi ratio quæ fuerit veteribus.

dines petebantur, sed erat cum interuallo temporis etiam feriendi distincta successio, rarisq; sed atrocibus plagis certamina gerebantur, vt gloria potius percussionũ magnitudini, quàm numero deferretur. Prælato ob generis dignitatem Agnero, tanta vi ictum ab eo editum constat, vt prima cassidis parte conscissa, supremam capitis cuticulam vulneraret, ferrumq; medijs galeæ intercluſum foraminibus dimitteret. Tunc Biarco mutuò percussurus, quo plenius ferrum libraret, pedem trunco annixus, medium Agneri corpus, præstantis acuminis mucrone transegit. Sunt qui asserant, morientem Agnerum soluto in risum ore, per summam doloris dissimulationem spiritum reddidisse. Cuius vltionem pugiles auidius expetentes, simili per Biarconem exitio mulctati sunt. Vtebatur quippe præstantis acuminis, inusitatæq; longitudinis gladio, quem Loui vocabat. Talibus operum meritis exultanti, nouam de se syluestris fera victoriam præbuit. Vrsum quippe eximiæ magnitudinis obuium sibi inter dumeta factum, iaculo confecit, comitemq; suum Ialtonem, quò viribus maior euaderet, applicato ore, egestũ belluæ cruorem haurire iussit. Creditũ nanq; erat, hoc potionis genere corporei roboris incrementa præstari. His facinorum virtutibus clarissimas optimatum familiaritates adeptus, etiam regi percharus euasit, sororem eius Rutam vxorem adsciuit, victiq; sponsam victoriæ præmium habuit. Ab Atislo lacessiti Roluonis vltionem armis exegit, eumq; victum bello prostrauit. Tunc Roluo magni acuminis iuuenem Hiarthwarum nomine, sorore Sculda sibi in matrimonium data, annuoq; vectigali impositio, Suetiæ præfectum constituit, libertatis iacturam affinitatis beneficio leniturus. Hoc loci quiddam memoratu iocundum operi inseratur. Adolescens quidam Wiggo nomine, corpoream Roluonis magnitudinem attentiori contemplatione scrutatus, ingentiq; eiusdem admiratione captus, percontari per ludibrium cœpit, quisnam esset iste krage, quem tanto staturæ fastigio prodiga rerum natura ditasset, faceto cauillationis genere inusitatum proceritatis habitum prosecutus: dicitur enim lingua Danica, krage, truncus cuius semicæsis ramis fastigia conscenduntur, ita vt pes præciſorũ stipitum obsequio perinde ac scalę beneficio nixus, sensimq; ad superiora prouectus, petitæ celsitudinis compendiũ assequatur. Quem vocis iactum Roluo perinde ac inclytum sibi cognomen amplexus, vrbanitatem dicti ingentis armillę dono prosequitur, qua Wiggo dexteram excultam extollens, læua per pudoris simulationem post tergum reflexa, ridiculum corporis incessum prębuit, præfatus exiguo lętari munere, quem fors diutinæ tenuisset inopiæ. Rogatus cur ita se gereret, inopem ornamenti manũ, nulloq; cultus beneficio gloriantem, ad aspectum reliquæ, verecundo paupertatis rubore perfundi dicebat. Cuius dicti calliditate consentaneum priori munus obtinuit. Siquidem Roluo manum quæ ab ipso occultabatur, exemplo reliquæ in medium accersendam curauit. Nec Wiggoni rependendi beneficij cura defuit: siquidem arctissima voti nuncupatione pollicitus est, si Roluonem ferro perire contingeret, vltionem se ab eius interfectoribus exacturum. Nec prętereundũ, quod olim ingressuri curiam proceres, famulatus sui principia, alicuius magnæ rei voto principibus obligare solebant, virtute tirocinium auspicantes. Interea Sculda tributariæ solutionis pudore permota, diris animum commentis applicans, maritum exprobrata conditionis deformitate, propulsandæ seruitutis monitu concitatum, atq; ad insidias Roluoni nectendas perductum, atrocissimis nouarum rerum consilijs imbuit, plus vnumquenq; libertati, quàm nęcessitudini debere testata. Igitur crebras armorum massas diuersi generis tegminibus obuolutas, tributi more per Hiarthwarum in Daniam perferri iubet, occidendi noctu regis materiam prębituras. Refertis itaq; falsa vectigalium mole nauigijs, Lethram pergitur, quod oppidum à Roluone constructum, eximijsq; regni opibus illustratum, cæteris confinium prouinciarum vrbibus regiæ fundationis & sedis autoritate præstabat. Rex aduentum Hiarthwari conuiualis impensæ delicijs prosecutus, ingẽti se potione proluerat: hospitibus prętter morem ebrietatis intemperantiam formidantibus. Cæteris igitur altiorem carpentibus somnum, Sueones quibus scelesti libido propositi communem quietis vsum ademerat, cubiculis furtim delabi cœpere. Aperitur ilico telorum occluſa congeries, & sua sibi quisq; tacitus arma connectit, deinde regiam petunt, irruptisq; penetralibus

Biarconis robur.

Facete dictum.

Voto se astringendi mos priscus.

Lethra regalis olim sedes.

netralibus in dormientium corpora ferrum destringunt. Experrecti complures, quibus non minus subitæ cladis horror, quàm somni stupor incesserat, dubio nisu discrimini restitere, socij an hostes occurrerent, noctis errore incertum reddente. Eiusdem fortè silentio noctis Hialto qui inter regios proceres spectatæ probitatis merito præeminebat, rus egressus, scorti se complexibus dederat. Hic cum obortum pugnæ fragorem stupida procul aure sensisset, fortitudinem luxuriæ prætulit, maluitq; funestum Martis discrimen appetere, quàm blandis Veneris illecebris indulgere. Quanta hunc militem regis charitate flagrasse putemus, qui cum ignorantiæ simulatione excusationem absentiæ præstare posset, salutem suam manifesto periculo obijcere, quàm voluptati seruire satius existimauit? Discedentem pellex percunctari cœpit, si ipso careat, cuius ætatis viro nubere debeat. Quam Hialto perinde ac secretius allocuturus, propius accedere iussam, indignatus amoris sibi successorem requiri, præciso naso deformem reddidit, erubescendoq; vulnere libidinosæ percunctationis dictum mulctauit, mentis lasciuiam oris iactura temperandam existimans. Quo facto, liberum quæsitæ rei iudicium à se ei relinqui dixit. Posthęc repetito ocyus oppido, confertissimis se globis immergit, aduersasq; acies mutua vulnerum inflictione prosternit. Cumq; dormientis adhuc Biarconis cubiculum præteriret, expergisci iussum, tali voce compellat:

Ocyus euigilet quisquis se regis amicum
Aut meritis probat, aut sola pietate fatetur.
Discutiant somnum proceres, stupor improbus absit,
Incaleant animi vigiles: sua dextera quenque
Aut famæ dabit, aut probro perfundet inerti.
Noxq; hæc aut finis erit, aut vindicta malorum.
Non ego virgineos iubeo cognoscere ludos,
Nec teneras tractare genas, aut dulcia nuptis
Oscula conferre, & tenues astringere mammas:
Non liquidum captare merum, tenerumúe fricare
Fœmen, & in niueos oculum iactare lacertos.
Euoco vos ad amara magis certamina Martis.
Bello opus est, nec amore leui: nihil hic quoq; facti
Molluties eneruis habet, res prælia poscit.
Quisquis amicitiam regis colit, arma capessat.
Pensandis animis belli promptissima laus est.
Ergo viris timidum nihil, aut leue fortibus insit,
Destituatq; animos armis cessura voluptas.
In precio iam fama manet, laudis sibi quisque
Arbiter esse potest, propriaq; nitescere dextra.
Instructum luxu nihil assit, plena rigoris
Omnia præsentem discant exoluere cladem.
Non debet laudis titulos aut præmia captans
Ignauo torpere metu, sed fortibus ire
Obuius, & gelidum non expallescere ferrum.

Ad hanc vocem expergefactus Biarco, cubicularium suum Scalcum ocyus excitatum, hoc alloquitur modo:

Surge puer, crebroq; ignem spiramine pasce.
Verre larem ligno, & tenues dispelle fauillas.
Scintillas extunde focis, ignisq; iacentes
Erige relliquias, & opertas elice flammas.
Languentem compelle larem producere lumen,
Ardenti rutilas accendens stipite prunas.
Proderit admota digitos extendere flamma.
Quippe calere manu debet qui curat amicum,
Et nocui penitus liuoris pellere frigus.

Rursum Hialto.

Dulce est nos domino percepta rependere dona,
Acceptare enses, famæq; impendere ferrum.
En virtus sua quenq; monet, meritum bene regem
Rite sequi, dignaq; ducem grauitate tueri.
Enses Theutonici, galeæ armillæq; nitentes,
Loricæ talo immissæ, quas contulit olim
Roluo suis, memores acuant in prælia mentes.
Res petit & par est, quæcunq; per ocia summa
Nacti pace sumus, belli ditione mereri,
Nec lætos cursus mœstis præponere rebus,
Aut duris semper casus præferre secundos.
Mente pari proceres sortem capiamus vtranq;,
Nec mores fortuna regat, quia condecet æque
Delicias ac dura pati, vultuq; sub illo
Ducamus tristes quo dulces hausimus annos.
Omnia quæ poti temulento prompsimus ore,
Fortibus edamus animis, & vota sequamur
Per summum iurata Iouem, superosq; potentes.
Danorum primus herus est meus, assit eidem
Vt probus est quisq; procul hinc procul este fugaces,
Forti opus est stabiliq; viro, non terga ferente
In dubium, belliúe truces metuente paratus.
Maxima sæpe duci virtus ex milite pendet.
Tanto etenim princeps aciem securior intrat,
Quanto illum melius procerum stipauerit agmen.
Arripiat digitis pugnacibus arma satelles,
Iniyciens dextram capulo, clypeumq; retentans,
Inq; hostis ruat, & nullos expalleat ictus.
Nemo se retro feriendum præbeat hosti,
Nemo enses tergo excipiat, pugnacia semper
Pectora vulneribus pateant, certamina prima
Fronte gerunt aquilæ, & rapidis se rictibus vrgent
Anteriore loco. species vos alitis æquet
Aduerso nullam metuentes corpore plagam.
Ecce furens æquoq; sui fidentior hostis,
Ferro artus, faciemq; aurata casside tectus,
In medios fertur cuneos, ceu vincere certus
Intimidusq; fugæ, & nullo superabilis ausu.
Suetica (me miserum) Danos fiducia spernit.
Ecce truces oculis Gotthi, visuq; feroces
Cristatis galeis hastisq; sonantibus instant,
In nostro validam peragentes sanguine cladem,
Distringunt gladios, & acutas cote bipennes.
Quid te Hiaruare loquar? quem Sculda nocente repleuit
Consilio tantaq; dedit crudescere culpa?
Quid te infande canam nostri discriminis autor,
Proditor eximij regis, quem sæua libido
Imperij, tentare nephas, furijsq; citatum
Coniugis æternam pepulit prætendere noxam?
Quis te error factum Danis dominoq; nocentem
Præcipitauit in hoc rerum scelus? vnde subibat
Impietas tanto fraudis constructa paratu?
Quid moror? extremam iam degustauimus escam.
Rex perit, & miseram sors vltima corripit vrbem.

Illaxit ſuprema dies, niſi fortè quis aſsit
Tam mollis, quod ſe plagis præbere timeſcat,
Aut imbellis ita vt domini non audeat vltor
Eſſe ſui, dignosq; animo proſcribat honores.
Tu quoq; conſurgens niueum caput exere Ruta,
Et latebris egreſſa tuis in prælia prodi.
Cædes te foris acta vocat, iam curia bellis
Concutitur, dirogq; ſtrepunt certamine portæ.
Loricas lacerat ferrum, dirumpitur hamus
Nexilis, & crebro cedunt præcordia telo.
Iam clypeum regis vaſtæ minuere ſecures.
Iam longi reſonant enſes, crepitatq; bipennis
Humanis impacta humeris, & pectora findens.
Quid pauitant animi? quid hebeſcit languidus enſis?
Porta vacat noſtris, externo plena tumultu.

Cumq; Hialto magna admodum ſtrage edita prælium cruentaſſet, tertio tabernaculum Biarconis offenderat, quem metus cauſa auidum quietis ratus tali ignauiæ exprobratione pertentat:

Vt quid abes Biarco? num te ſopor occupat altus?
Quid tibi quæſo moræ eſt? aut exi, aut igne premeris.
Elige quod præſtat. eia concurrite mecum.
Igne vrſos arcere licet, penetralia flammis
Spargamus, primosq; petant incendia poſtes.
Excipiat torrem thalamus, tectiq; ruina
Fomentum flammis, & alendo præbeat igni.
Fundere damnatis fas eſt incendia portis.
At nos qui regem voto meliore veremur,
Iungamus cuneos ſtabiles, tutisq; phalangem
Ordinibus menſi, quà rex præcepit eamus
Qui natum Boki Roricum ſtrauit auari,
Implicuitq; virum letho virtute carentem.
Ille quidem præſtans opibus, habituq; fruendi
Pauper erat, probitate minus quàm fœnore pollens,
Aurum militia potius ratus. omnia lucro
Poſt habuit, laudisq; carens congeſsit aceruos
Aeris, & ingenuis vti contempſit amicis.
Cumq; laceſsitus Roluonis claſſe fuiſſet,
Egeſtum ciſtis aurum deferre miniſtros
Iuſsit, & in primas urbis diffundere portas:
Dona magis quàm bella parans, quia militis expers
Munere non armis tentandum credidit hoſtem,
Tanquam opibus ſolis bellum geſturus, & vſu
Rerum non hominum Martem producere poſſet.
Ergo graues loculos & ditia clauſtra reſoluit,
Armillas teretes & onuſtas protulit arcas
Exitij fomenta ſui, ditiſsimus æris
Bellatoris inops, hoſtiq; adimenda relinquens
Pignora quæ patrijs præbere pepercit amicis.
Annellos vltro metuens dare, maxima nolens
Pondera fugit opum, veteris populator acerui.
Rex tamen hunc prudens, oblataq; munera ſpreuit,
Rem pariter vitamq; adimens: nec profuit hoſti
Cenſus iners, quem longo auidus cumulauerat æuo.
Hunc pius inuaſit Roluo, ſummasq; peremptis
Cepit opes, inter dignos partitus amicos

Quicquid auara manus tantis congesserat annis:
Irrumpensq; opulenta magis, quàm fortia castra,
Præbuit eximiam socijs sine sanguine prædam.
Cui nil tam pulchrum fuit, vt non funderet illud,
Aut charum quod non socijs daret, æra fauillis
Assimulans, famaq; annos non fœnore mensus.
Vnde liquet regem claro iam funere functum
Præclaros egisse dies, speciosaq; fati
Tempora, præteritos decorasse viriliter annos.
Nam virtute ardens dum viueret omnia vicit,
Egregio dignas sortitus corpore vires.
Tam præceps in bella fuit, quàm concitus amnis
In mare decurrit, pugnamq; capessere promptus
Vt ceruus rapidum bifido pede tendere cursum.
Ecce per infusas humana tabe lacunas
Cæsorum excussi dentes rapiente cruoris
Profluuio toto, & scabris limantur arenis.
Splendescunt limo allisi, laceratáq; torrens
Sanguinis ossa vehit, truncosq; superfluit artus.
Danicus humescit sanguis, stagnatq; cruenta
Latius eluuies, & corpora sparsa reuoluit.
Elisus venis validum spumantibus amnis
Impiger inuehitur, Danis Hyuarus amator
Martis, & extenta pugnantes prouocat hasta.
Attamen hic inter discrimina fatáq; belli
Frothonis video lætum arridere nepotem,
Qui Sirtuallinos auro conseuerat agros.
Nos quoq; lætitiæ species extollat honesta
Morte secuturos generosi fata parentis.
Voce ergo simus alacres, ausuq; vigentes.
Nanq; metum par est animosis spernere dictis,
Et memorabilibus lethum consciscere factis.
Deserat os animumq; timor, fateamur vtroq;
Intrepidos nisus, ne nos nota iudicet vlla
Parte aliqua signum dubij præstare timoris.
Librentur stricto meritorum pondera ferro.
Gloria defunctos sequitur, putriq; fauillæ
Fama superstes erit, nec in vllum decidet æuum,
Quod perfecta suo patrauit tempore virtus.
Quid clausis agitur foribus, quid pessula valuas
Iuncta seris cohibent? etenim iam tertia te vox
Biarco ciet, clausoq; iubet procedere tecto.

Contra quæ Biarco:

Quid me Roluonis generum, quid bellice Hialto
Tanta voce cies? etenim qui magna profatur,
Grandiloquisq; alios verbis inuitat ad arma,
Audere & dicta factis æquare tenetur,
Vt vocem fateatur opus. sed desine donec
Armer, & horrendo belli præcingar amictu.
Iamq; ensem lateri iungo, iam corpore primum
Lorica galeaq; tegor, dum tempora cassis
Excipit, & rigido conduntur pectora ferro.
Nemo magis clausis refugit penetralibus vri
Cumq; sua rogus esse domo, licet insula memet
Ediderit, strictaq; habeam natalia terræ,

Biſſenas regi debebo rependere gentes
Quas titulis dedit ille meis. attendite fortes,
Nemo lorica ſe veſtiat interituri
Corporis, extremum perſtringat nexile ferrum,
In tergum redeant clypei, pugnemus apertis
Pectoribus, totoſq; auro denſate lacertos:
Armillas dextræ excipiant, quo fortius ictus
Collibrare queant, & amarum figere vulnus.
Nemo pedem referat, certatim quiſque ſubire
Hoſtiles ſtudeat gladios, haſtasq; minaces,
Vt charum vlciſcamur herum. ſuper omnia felix
Qui tanto ſceleri vindictam impendere poſſit,
Et fraudem iuſto punire piacula ferro.
Ecce mihi videor ceruum penetraſſe ferocem
Theutonico certe qui ſnyrtir dicitur enſe,
A quo belligeri cepi cognomen, vt Agner
Ingelli natum fudi, retuliq; trophæum.
Ille meo capiti impactum perfregit Hothingum
Eliſum morſu gladium, maiora daturus
Vulnera, ſi melius ferri viguiſſet acumen.
Cui contra læuam lateris cum parte ſiniſtri
Diſſecui, dextrumq; pedem, labensq; ſub artus
Incidit in medias ferrum penetrabile coſtas.
Hercule nemo illo viſus mihi fortior vnquam.
Semiuigil ſubſedit enim cubitoq; recliuis
Ridendo excepit lethum, mortemq; cachinno
Spreuit, & elyſium gaudens ſucceſſit in orbem.
Magna viri virtus, quæ riſu calluit vno
Supremam celare necem, ſummumq; dolorem
Corporis ac mentis læto compeſcere vultu.
Nunc quoque cuiuſdam præclaro ſtemmate nati
Vitales fibras ferro rimabar eodem,
Et ferrum penitus intra præcordia merſi.
Filius hic regis, & auito ſanguine lucens
Indole clarus erat, teneriſq; nitentior annis.
Non illi humatum poterat prodeſſe metallum,
Non enſis, non vmbo teres. tam viuida ferri
Vis erat, obiectis tardari neſcia rebus.
Ergo duces vbi ſunt Gotthorum, militiæq;
Hiartwari veniant, & vires ſanguine penſent.
Qui iaciunt, qui tela rotant, niſi regibus orti.
Surgit ab ingenuis bellum, clariſſima Martem
Stemmata conficiunt, nec enim vulgaribus auſis
Res agitur, quam ſola ducum diſcrimina tentant.
Illuſtres obeunt proceres, en maxime Roluo
Magnates cecidere tui, pia ſtemmata ceſſant.
Non humile obſcurumúe genus, non funera plebis
Pluto rapit, vilesq; animas, ſed fata potentum
Implicat, & claris complet phlegethonta figuris.
Non memini certamen agi, quo promptius eſſet
Alternare enſes, partiriq; ictibus ictus.
Dans vnum tres accipio, ſic mutua Gotthi
Vulnera compenſant, ſic dextra potentior hoſtis
Vindicat acceptam cumulato fœnore pœnam,
Quanquam adeò ſolus multorum funere letho

Corpora tradiderim pugnans, vt imagine collis
Editus è truncis excresceret arcubus agger,
Et speciem tumuli congesta cadauera ferrent.
Et quid agit, qui me nuper prodire iubebat
Eximia se laude probans, aliosq; superba
Voce terens, & amara serens opprobria, tanquam
Vno bissenas complexus corpore vitas?

Ad hæc Hialto.

Quanquam subsidio tenui fruor, haud procul absum,
Hac quoque qua stamus opus est ope, nec magis vsquam
Vis aut lecta manus promptorum in bella virorum
Exigitur, iam duræ acies & spicula scutum
Frustatim secuere meum, partesq; minutim
Auulsas absumpsit edax per prælia ferrum.
Prima sibi testis res est, seq; ipsa fatetur.
Fama oculo cedit, visusq; fidelior aure est.
Rupti etenim clypei retinacula sola supersunt.
Sectus & in gyro remanet mihi peruidus vmbo.
Et nunc Biarco viges, quanquam cunctatior æquo
Extiteris, damnumq; moræ probitate repensas.

At Biarco.

Carpere me necdum, probrisq; lacessere cessas?
Multa moras afferre solent, nanque obuius ensis
Cunctandi mihi causa fuit, quem Sueticus hostis
In mea præualido contorsit pectora nisu.
Nec parcè gladium capuli moderator adegit:
Nam quantum in nudo vel inermi corpore fas est
Egit in armato, sic duri tegmina ferri
Vt molles traiecit aquas, nec opis mihi quicquam
Aspera loricæ poterat committere moles.
Et nunc ille vbi sit qui vulgo dicitur Othin
Armipotens vno semper contentus ocello?
Dic mihi Ruta precor vsquam si conspicis illum?

Ad hæc Ruta.

Adde oculum propius, & nostras prospice chelas,
Antè sacraturus victrici lumina signo
Si vis præsentem tutò cognoscere Martem.

Tum Biarco.

Si potero horrendum Friggæ spectare maritum
Quantumcunq; albo clypeo sit tectus, & altum
Flectat equum, Lethra nequaquam sospes abibit.
Fas est belligerum bello prosternere diuum,
Ante oculos regis clades speciosa cadentes
Excipiat, dum vita manet studeamus honeste
Posse mori, clarumq; manu decerpere funus.
Ad caput extincti moriar ducis obrutus, ac tu
Eiusdem pedibus moriendo allabere pronus,
Vt videat quisquis congesta cadauera lustrat,
Qualiter acceptum domino pensauimus aurum.
Præda erimus coruis, aquilisq; rapacibus esca,
Vescetur q; vorax nostri dape corporis ales.
Sic belli intrepidos proceres occumbere par est,
Illustrem socio complexos funere regem.

Hanc maxime exhortationum seriem idcirco metrica ratione compegerim, quod earundem sententiarum intellectus, Danici cuiusdam carminis compendio digestus,

digestus, à compluribus antiquitatis peritis memoriter vsurpatur. Contigit autem potitis victoria Gothis omne Roluonis agmen occumbere, neminemq; excepto Wiggone ex tanta iuuentute residuum fore. Tantum enim excellentissimis regis meritis ea pugna à militibus tributum est, vt ipsius cædes omnibus oppetendæ mortis cupiditatem ingeneraret, eiq; morte iungi vita iucundius duceretur. Lætus Hiartuarus prandendi gratia positis mensis conuiuium pugnæ succedere iubet, victoriam epulis prosecuturus. Quibus oneratus magnæ sibi admirationis esse dixit, quod ex tanta Roluonis militia nemo qui saluti fuga, aut captione consuleret, repertus fuisset. Vnde liquidum fuisse, quanto fidei studio regis sui charitatem coluerint, cui superstites esse passi non fuerint. Fortunam quoq; quod sibi ne vnius quidem eorum obsequium supereſſe permiserit causabatur, quàm libentissime se talium virorum famulatu vsurum testatus. Oblato Wiggone perinde ac munere gratulatus, an sibi militare vellet perquirit. Annuenti destrictum gladium affert. Ille cuspidem refutans, capulum petit: hunc morem Roluoni in porrigendo militibus ense extitisse præfatus. Olim nanq; se regum clientelæ daturi, tacto gladij capulo obsequium polliceri solebant. Quo pacto Wiggo capulum complexus, cuspidem per Hiartuarum agit, vltionis compos, cuius Roluoni ministerium pollicitus fuerat. Quo facto, ouans irruentibus in se Hiartuari militibus cupidius corpus obtulit, plus voluptatis se ex tyranni nece, quàm amaritudinis ex propria sentire vociferans. Ita conuiuio in exequias verso, victoriæ gaudium funeris luctus insequitur. Clarum ac semper memorabilem virum, qui voto fortiter expleto, mortem sponte complexus suo ministerio mensas tyranni sanguine maculauit. Neq; enim occidentium manus viuax animi virtus expauit, cum prius à se loca quibus Roluo assueuerat, interfectoris eius cruore respersa cognosceret. Eadem itaq; dies Hiartuari regnum finiuit ac peperit. Fraudulenter enim quæsitæ res, eadem sorte defluunt qua petuntur, nullusq; diuturnus est fructus, qui scelere ac perfidia partus fuerit. Quo euenit, vt Sueones paulò ante Daniæ potitores, ne suæ quidem salutis potientes existerent. Protinus enim à Sialandensibus deleti, læsis Roluonis manibus iusta exoluere piacula. Adeò plerunq; fortunæ sæuitia vlciscitur, quod dolo ac fallacia patratur.

Totum Roluonis agmẽ occumbit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI SECVNDI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER TERTIVS.

HOTHERVS Atisli frater, idemq; Geuari regis alumnus, cuius mentionem præmisi, post Hiartuarum vtriusq; regni imperium sumit. Huius tempora si ab ætatis eius origine cœpero, aptius explicabuntur. Pulchrius enim pleniusq; extrema annorum illius curricula perstringuntur, vbi prima silentio non damnantur. Interfecto ab Helcone Hodbroddo, filius Hotherus sub tutela Geuari regis pueritiæ procursum exegit. Adolescens collacteis ac coëuis summa corporis firmitate præstabat. Cæterum ingenium eius crebræ dotauerant artes. Quippe natationis, arcus, cæstuumq; peritia, necnon quantamcunque ea ætas capere poterat, agilitate pollebat. Haud minus exercitio, quàm viribus potens. Immaturam adhuc ætatem vberrimis animi beneficijs transcendebat. Nemo illo chelis, aut lyræ scientior fuerat. Præterea sistro ac barbyto, omniq; fidium modulatione callebat. Ad quoscunque volebat motus varijs modorum generibus humanos impellebat affectus. Gaudio, mœstitia, miseratione, vel odio, mortales afficere nouerat. Ita aurium voluptate, aut horrore animos

animos implicare ſolebat. Tot iuuenis artibus Geuari filia Nanna admodum delectata, amplexum eius expetere cœpit. Fit enim vt virtute iuuenum virgines incalescant,& quorum minus complacet forma, probitas acceptetur. Multiplices enim amor aditus habet. Alijs amoris decor, alijs animi virtus, quibuſdã artium vſus voluptatis iter aperit, nonnullis comitas Veneris copiam parat, complures famæ candor acceptos facit. Nec leuius vulnus fortes quàm pulchri puellis infligere ſolent. Accidit autem vt Othini filius Balderus Nannæ corpus abluentis aſpectu ſolicitatus, infinito amore corriperetur. Vrebat illum venuſtiſſimi corporis nitor, animũq; perſpicuæ pulchritudinis habitus inflammabat. Validiſſimum nanq; libidinis irritamentum eſt decor. Hotherum itaq; per quem maxime votum interpellandum timebat, ferro tollere conſtituit, ne moræ impatiens amor, vllo fruendæ libidinis obſtaculo tardaretur. Eodem fortè tempore Hotherus inter venandum errore nebulæ perductus, in quoddam ſylueſtrium virginum conclaue incidit, à quibus proprio nomine ſalutatus, quænam eſſent, perquirit. Illæ ſuis ductibus auſpicijsq; maxime bellorum fortunam gubernari teſtantur. Sæpe enim ſe nemini conſpicuas prælijs intereſſe, clandeſtinisq; ſubſidijs optatos amicis præbere ſucceſſus. Quippe conciliare proſpera, aduerſa infligere poſſe pro libito memorabant, adiecto, qualiter in collacteam eius Nannam inter lauandum conſpectam, Balderus exarſerit: hortatæq; ne eum, quamuis infeſtiſſimo odio dignum, armis laceſſeret, ſemideum hunc eſſe teſtantes, arcano ſuperum ſemine procreatum. His acceptis, Hotherus labentis hoſpitij tegmine defectus, ſub dio ſe relictum totiusq; expertem vmbraculi medijs repente campis expoſitum conſpicatur. Præcipue vero puellarum præpetem fugam, lociq; uerſilem ſitum, ac fallacem ædis imaginem mirabatur. Ignorabat enim quæ circa ſe geſta fuerant, ludibrium tantum, inaneq; præſtigioſarum artium extitiſſe commentum. Vnde rediens Geuaro, ordinem inſecutæ errorem ſuum ludificationis exponit, filiamq; eius continuò poſtulauit. Cui Geuarus quamlibentiſſime ſe fauturum ſubiunxit, ni Balderi iram repulſa contracturum metueret, priorem illum ſibi conſentaneas preces porrexiſſe teſtatus. Nam ne ferro quidem ſacram corporis eius firmitatem cedere perhibebat. Adiecit tamen, ſcire ſe gladium arctiſſimis obſeratum clauſtris, quo fatum ei infligi poſſit: hunc à Mimingo ſyluarum ſatyro poſſideri. Eidem quoq; armillam eſſe, mira quadam arcanaq; virtute, poſſeſſoris opes augere ſolitam. Horum præterea locorum aditum inuium, impedimentis obfuſum, haud facile mortalibus patêre poſſe. Maiorem ſiquidem itineris partem inuſitati frigoris vi perenniter obſideri. Iubet itaq; ceruis iugalibus currum inſtruat, cuius celeritate eximio gelu rigentia iuga tranſcendat. Quô cum peruenerit, tabernaculum ſuum ita à ſole auerſum conſtituat, vt vmbram ſpecus cui Mimingus aſſueuiſſet excipiat, nec ipſum mutua tamen obumbratione contingat, ne ſatyrum inſolitæ obſcuritatis iactus exitu deturbaret. Ita armillam enſemq; in expedito fore, quorum alterum opum, alterum belli fortuna comitaretur, in vtroq; ingens poſſeſſori præmium eſſe. Hactenus Geuarus. Nec inerter Hotherus quæ ab ipſo didicerat executus, tabernaculo ad prædictum modum locato, noctu curas, interdiu venationes agebat. Vtranq; temporis vicem peruigil exſomnisq; ducebat, ita diſcrimina lucis noctisq; partitus, vt hanc rerum meditationi tribueret, illam conuectandis corporis alimentis impenderet. Cumq; fortè pernox attonita curis mente langueſceret, obumbrantem tabernaculo ſuo ſatyrum haſta petiuit, obrutumq; ictu, nec ſatis fugæ potentem, vinculis intercepit. Vltima deinde per ſummam verborum atrocitatem minatus, enſem, armillasq; depoſcit. Nec ſegniter ſatyrus ſalutis redemptionem, quæ ab ipſo petebatur, exhibuit. Adeò cunctis re prior eſt vita, cum nihil apud mortales ſpiritu charius exiſtere ſoleat. Hotherus opum adeptione lætatus, patriam repetit, paucis, ſed inſignibus ſpolijs felix. Quibus eum Gelderus Saxoniæ rex potitum comperiens, milites in tam illuſtris prædæ raptum, crebro concitabat hortatu. Paruit iuuentus regi, properanter inſtruens claſſem. Quod præuidens Geuarus, quippe diuinandi doctiſſimus erat, induſtriaq; præſagiorum excultus, vocato Hothero, iubet congreſſuri ſecum Gelderi iacula patienter excipiat, non antè ſua remiſſurus, quàm hoſtem miſſilibus carere conſpiciat. Cæ-

Amoris aditus multi.

Hominibus vita nihil eſt prius.

ciat. Cæterum roſtratas admoueat falces, quibus nauigia lacerari, caſſidesq; & ſcuta militibus detrahi poſſint. Cuius conſilio obſequutus Hotherus, ſalutarem eius exitum expertus eſt. Siquidem ad primos Gelderi impetus ſubſiſtere ſuos, ac corpora ſcutis protegere iubet, præſentis pugnæ victoriam patientia capeſſendam teſtatus. At hoſtis miſſilibus nulla ex parte cohibitis, ijſdemq; per ſummam pugnandi cupiditatem effuſis, hoc auidius haſtas ac ſpicula torquere cœpit, quo Hotherum in his excipiendis patientius ſe gerere comperit. Quæ partim ſcutis, partim nauigijs infixa rarum dedere vulnus, complura innoxia ac fruſtra videbantur excuſſa. Siquidem Hotheri milites regis imperium exequentes, receptam telorum vim conſerta clypeorum teſtudine repellebant: nec rarus quidē eorum numerus erat, quæ leui ictu vmbonibus impacta fluctibus incidebant. Quorum omnium copia vacuefactus Gelderus, dum eadem ab hoſtibus correpta, alacrius in ſe retorqueri conſpiceret, mali cacumen puniceo ſcuto complexus (indicium id pacis erat) ſaluti deditione conſuluit. Quem Hotherus amiciſſimo vultu, benigniſſimoq; ſermone exceptum, non minus humanitate quàm arte perdomuit. Ea tempeſtate Helgo Halogiæ rex, Cuſonis Finnorum Byarmorumq; principis filiam, nomine Thoram, crebræ legationis officio procabatur. Adeò quod per ſe minus validum eſt, alieni indigum noſcitur. Nam cum eius temporis iuuenes matrimonij poſtulationem propria voce proſequendi conſuetudinem haberent, hic tanto oris vitio obſitus erat, vt non ſolum exteras, ſed etiam domeſticas aures erubeſceret. Adeò calamitas omnis conſcios vitat. Eo ſiquidem naturæ damna moleſtiora ſunt, quo liquidius patent. Huius Cuſo legatione ſpreta, coniugio indignum reſpondit, qui propria parum virtute ſubnixus, ad id impetrandum precaria mutuaretur officia. Quod audiens Helgo, Hotherum quem politioris facundiæ nouerat, ſuis fauere ſtudijs obſecrabat, alacriter ſe quicquid is imperaſſet executurum pollicitus. Ille ſedula iuuenis ſupplicatione deuictus, armata claſſe Noruagiam petit, quod verbis non poſſet, viribus peracturus. Cumq; pro Helgone per ſummam eloquij ſuauitatem egiſſet, refert Cuſo, mentem filiæ conſulendam, ne quid contra nolentem, paterna videretur ſeueritate præſumptum. Accerſitamq; an proco allubeſceret, percontatus annuentis Helgoni nuptias pollicetur. Igitur Hotherus obſeratas Cuſonis aures ad ea quæ precabatur exaudienda, rotundæ volubilisq; facundiæ dulcedine patefecit. Quæ dum in Halogia geruntur, Balderus poſtulandæ Nannæ gratia, Geuari fines armatus ingreditur. A quo cum ipſius Nannæ mentem cognoſcere iuberetur, exquiſitis verborum delenimentis puellam aggreſſus, cum nullum votis locum efficere potuiſſet, repulſæ cauſam cognoſcere inſtitit. Quæ reſpondit, nuptijs Deum mortali ſociari non poſſe, quod ingens naturæ diſcrimen copulæ commercium tollat. Sed & ſuperos interdum pacta reſcindere ſolitos, ſubitoq; vinculum diſijci, quod impares contraxiſſent. Neq; enim ſtabilem diſſonis ineſſe nexum, cum apud excelſos humilium ſemper fortuna ſordeſcat. Præterea abundantiæ & egeſtatis diuiduum contubernium eſſe, nec inter ſplendidas opes obſcuramq; pauperiem firma ſocietatis iura conſiſtere. Ad vltimum, ſupernis terreſtria non iugari, quæ tanto originis interuallo diſcors rerum natura ſecreuerit, quod à diuinæ luculentia maieſtatis infinitum diſtet humana mortalitas. Hac reſponſi cauillatione eluſis Balderi precibus, detrectandi coniugij prudens argumenta texebat. Quod cum Hotherus ex Geuaro cognoſceret, multa ſuper Balderi petulantia, apud Helgonem querulus diſſerebat: incerti ambo quid facto opus eſſet, varijs ſententiam conſilijs agitabant. Amica ſiquidem in aduerſis collocutio tametſi periculum non tollit, ægritudinem minuit. Inter cætera animi vota, fortitudinis ſtudio præponderante manus, claſſe cum Baldero conſeritur. Hominibus aduerſum deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus ac Thoro ſacraq; deûm agmina propugnabant. Diuinis humanisq; viribus permixtum aſpiceres bellum. At Hotherus tunica ferrum ſpernente ſuccinctus, confertiſſimos deorum cuneos irrumpebat, & quantum terrenus in ſuperna poterat, graſſabatur. Sed & Thoro inuſitato clauæ libratu cuncta clypeorum obſtacula lacerabat, tantum ad ſe inceſſendum hoſtes inuitans, quantum ſocios ad tuendum. Nullum erat armaturæ genus, quod impellenti non cederet. Nemo fe-

Apud excelſos humilium conditio ſolet ſordeſcere.

rientem tutò excipere poterat. Quicquid ictu arcebat, obruit. Non clypei, non cassides impactum pertulere robur. Nulli corporis aut virium magnitudo subsidio fuit. Proinde victoria ad superos concessisset, ni Hotherus inclinata suorum acie celerius aduolans, clauam præciso manubrio inutilem reddidisset. Quo telo defecti diui subitam dedere fugam. Inimicum opinioni esset, nisi fidem antiquitas faceret, deos ab hominibus superari. Deos autem potius opinatiue, quàm naturaliter dicimus. Talibus nanq; non natura, sed gentium more, diuinitatis vocabulum damus. Cęterum Balderum fuga cursu quæsita seruauit. Cuius nauigijs victores aut ferro laceratis, aut fluctu obrutis, non contenti deos vicisse, classis reliquias sæuitia insequuntur, earum iactura funestam belli cupidinem expleturi. Adeò plerunq; insolentiam successus exasperat. Testis belli portus Balderi fugam vocabulo refert. Gelderum quoq; Saxoniæ regem, eodem consumptũ bello, remigum suorum cadaueribus superiectum, ac rogo nauigijs extructo impositum, pulcherrimo funeris obsequio extulit. Cineres eius perinde ac regij corporis reliquias, non solum insigni tumulo tradidit, verumetiã plenis venerationis exequijs decorauit. Post hæc, ne connubij spem vlterior rerum importunitas moraretur, repetito Geuaro cupitis Nannæ complexibus fruitur. Deinde Helgonem ac Thoram plenis liberalitatis officijs prosequutus, nouam Suetiæ nuptam aduexit, cunctis tam venerabilis victoria, quàm Balderus ridiculus fuga. Quo tempore cum Sueonum magnates, soluendi tributi gratia Daniam petiuissent, ob egregia patris merita, à popularibus loco regio cultus, fallax fortunæ lenocinium expertus est. Siquidem à Baldero quem paulò ante deuicerat prælio superatus, ad Geuarum decurrere necesse habuit, victoria post regnũ amissa, quam priuatus adeptus fuerat. Victor Balderus, vt afflictum siti militem opportuni liquoris beneficio recrearet, nouos humi latices terram altius rimatus aperuit. Quorum erumpentes scatebras sitibundum agmen hianti passim ore captabat. Eorundem vestigia sempiterno firmata vocabulo, quanquam pristina admodum scaturigo desierit, nondum prorsus exoleuisse creduntur. Idem laruarum Nannæ speciem simulantium continua noctibus irritamenta perpessus, adeò in aduersam corporis valetudinẽ incidit, vt ne pedibus quidẽ incedere posset: quamobrem biga rhedaúe emetiendorum itinerum consuetudinem habere cœpit. Tanta amoris vi suffusum pectus, ad extremam penè tabem eum redegerat. Nihil enim sibi victoriam dedisse credidit, cuius Nanna præda non fuerit. Fro quoq; deorum satrapa sedem haud procul Vpsala cepit, vbi veterem litationis morem tot gentibus ac seculis vsurpatum, tristi infandoq; piaculo mutauit. Siquidem humani generis hostias mactare aggressus, fœda superis libamenta persoluit. Inter hæc Hotherus defectam ducibus Daniam, Hiartuarumq; celeres perempti Roluonis pœnas dedisse cognoscens, quod vix spe complecti posset, casu sibi collatũ dicebat. Nam & Roluonem quem quod ab eius patre suum interfectũ meminisset vita spoliare debuerat, aliena opera supplicium luisse, & sibi potiendæ Daniæ copiam insperato rerũ beneficio patuisse. Quippe regnum eius auito sibi iure competere, si rite maiorum stemmata reuoluantur. Inde Sialandiæ portum Isoram ingenti classis numero occupat, imminentis fortunæ beneficio vsurus. Vbi rex ab occurrente sibi Danorum populo constitutus, paulò post Atisli fratris quem Suetis præesse iusserat, excessu cognito, Sueticum Danico imperium sociat. Cæterum Atislum mors ignominiosa consumpsit. Dum enim Roluonis inferias per summam animi hilaritatem conuiuio celebraret, potione auidius sumpta, subito fine sordidæ intemperantiæ pœnas pependit. Ita dum alienum fatum impensioribus lætitiæ modis excolit, proprium irrumpere coëgit. Balderus quoq; classe Sialandiam petens, cum & armis celeber & maiestate conspicuus haberetur, Hothero Suetiam tenente, quicquid super regni fastigio postulabat, promptissimis Danorum suffragijs impetrauit. Tam ancipiti censura maiorum nostrorum sententia fluctuata est. Huic Hotherus à Suetia regressus infestum intulit bellum. Acerrimum imperij cupidis de rerum summa certamen incesserat. Eidẽ Hotheri fuga finem imposuit. Qui cum in Iutiam concessisset, vicum in quo manendi vsum habuit, nomine suo nuncupandum curauit. Vbi

uit. Vbi hybernis peractis, ſolitarius incomitatusq; Suetiam repetit. Ibi magnatibus accerſitis, ob infelices rerũ curſus, quibus ipſum Balderus bis victor afflixerat, lucis ac vitæ pigere ſe dixit. Deinde conſalutatis omnibus, difficilia aditu loca deuio calle ſectatus, expertes humani cultº indagines perluſtrabat. Fit enim vt quibus inſolabilis animi dolor inciderit, obſcuros externosq; ſeceſſus quaſi quoddam pellendæ triſtitiæ remediũ captent, nec magnitudinem mœroris inter humanos queant tolerare conuictus. Adeò plerunq; amica eſt ægritudini ſolitudo. Præcipue enim illuuies ac ſqualor delectant, quos aduerſa animi valetudo concuſſerit. Conſueuerat autem in editi montis vertice conſulenti populo plebiſcita depromere. Quamobrem venientes occultantis ſe regis inertiam cauſabantur, abſentiaq; eius grauiſſimis omnium querelis lacerata eſt. At Hotherus extrema locorũ deuia peruagatus, inſuetũq; mortalibus nemus emenſus, ignotis fortè virginibus habitatum reperit ſpecum. Eaſdem eſſe conſtabat, quæ eum inſecabili veſte quondam donauerant. A quibus cur eo locorum venerit interrogatus, infauſtos belli declarat euentus. Itaq; fide earum damnata, geſtarũ infeliciter rerũ fortunã triſtesq; caſus deflere cœpit, ſecus ſibi ceſſiſſe queſtus, quàm ab ipſis promiſſum accepit. At nymphæ eum quanquam raro victor extiterit, æquam tamen hoſtibus cladem ingeſſiſſe dicebant, nec minoris ſtragis autorem fuiſſe quàm complicem. Cæterum in expedito victoriæ gratiam fore, ſi inuſitatæ cuiuſdam ſuauitatis edulium augendis Balderi viribus excogitatum pręripere potuiſſet. Nihil enim factu difficile futurum, dummodo hoſti in augmentum roboris deſtinato potiretur obſonio. Ex quarũ dictis, Hotherus promptiſſimam inferendi Baldero belli fiduciam mente præſumpſit, quanquam deos armis inceſſere terrenis arduum niſibus videretur. Fuere quoq; ex ſuis qui illũ tutò bellum cum ſuperis commiſſurum negarent: atq; illi infinitus animi calor reſpectũ maieſtatis ademerat. Apud fortes enim non ſemper impetum ratio ſubruit, aut conſilio temeritas ſuccumbit. Vel fortaſſe meminerat Hotherus excellẽtiſſimis viris incertiſſimã extare potentiã, exiguamq; glebam ingentes arietare currus. Contrà Balderus Danis in arma contractis, Hotherũ acie excipit. Ingenti vtrinq; clade geſta, ac ferè pari partium ſtrage edita, nox præliũ ſoluit. Cuius tertio fermè peruigilio Hotherus clàm cunctis res hoſtium exploraturus egreditur. Somnum quippe eius profecta ab imminenti diſcrimine cura diſcuſſerat. Ita plerũq; ingens animi motus quieti corporis aduerſatur, nec alterius requiem vnius inquietudo patitur. Igitur in hoſtiũ caſtra perueniens, tres nymphas arcanæ dapis gerulas Balderi caſtris exceſſiſſe cognoſcit. Quas curſim inſequens (nam earum fugam roſcida prodidere veſtigia) tandem tecta quibus aſſueuerant ſubit. Igitur ab his quiſnam eſſet rogatus, citharœdum ſe dixit. Nec experimentum profeſſioni diſſonum fuit. Oblatam nanq; chelim inflexis ad muſam neruis, compoſitisq; plectro fidibus moderatus, gratũ auribus melos promptiſſima modulatione fundebat. Cæterũ tres illis colubræ fuere, quarum tabo ſolidatiuæ confectionis epulum Baldero temperare ſolebant. Iamq; anguium aperto ore multa pulmento ſanies influebat. Sed & nympharum quædam humanitatis ſtudio Hotherum epulo compertiuiſſent, ni trium maxima vetuiſſet, fraudem Baldero fieri proteſtans, ſi ipſius hoſtem corporei roboris incrementis auxiſſent. Ille ſe non Hotherum, ſed Hotheri comitem dicebat. Eædem nanq; nymphæ accurati nitoris cingulũ, potentemq; victorię zonam clementi benignitate ei largitæ ſunt. Qui cum priſtinum iter remetiendo calle quo venerat repedaret, obuij ſibi Balderi latus hauſit, eumq; ſeminecem proſtrauit. Quo militibus nunciato, totis Hotheri caſtris alacer exultantium clamor inſonuit, Danis Balderi fortunam publico mœrore proſequentibus. Qui cum indubitatum ſibi fatum imminere ſentiret, dolore vulneris accenſus, die poſtera prælium renouat. Quo feruente, lectica ſe in aciem deferri iuſſit, ne intra tabernaculum obſcura morte defungi videretur. Poſtera nocte eidem Proſerpina per quietem aſtare aſpecta, poſtridie ſe eius complexu vſuram denunciat. Nec inane ſomnij præſagium fuit: nam Balderũ elapſo triduo, nimius vulneris cruciatus abſumpſit. Cuius corpus exercitus regio funere elatum, facto

Solitudo amica ægritudini.

Antrum dearum.

colle condendum curauit. Hunc quidam noſtri temporis viri, quorum præcipuus Haraldus erat, vigente veteris ſepulturę fama, ſpe reperiendę pecuniæ noctu adorti, repentino cœptum horrore liquerunt. Ex ipſo nanq; perrupti montis cacumine, ſubita torrentis vis, magno aquarũ ſtrepitu prorumpere videbatur, cuius rapidior moles incitatiſſimo lapſu ſubiectis infuſa campis quicquid offendebat inuolueret. Ad cuius impetum deturbati foſſores, abiectis ligonibus, variam carpſere fugam, irruentis aquæ vorticibus implicandos ſe rati, ſi cœptum diutius exequi niterentur. Ita à dijs loci illius præſidibus incuſſus ſubitò metus, iuuenum animos auaritia abſtractos, ad ſalutis curam conuertit, neglectoq; cupiditatis propoſito, vitę ſtudioſos eſſe docuit. Huius autem ſcaturiginis ſpeciem adumbratam, non veram fuiſſe conſtat, nec ab imis terræ viſceribus genitam, ſed præſtigioſa quadam adminiſtratione productam, cum in arido liquidos manare fontes, natura non ſinat. Omnes hunc poſteri collem, ad quos fractionis eius fama tranſierat, intentatum liquere. Quamobrem an quicquam opum contineat, parum compertum, cum nemo opacam eius crepidinem, obſtante periculi metu, poſt Haraldum tentare præſumpſerit. At Othinus quanquam deorum præcipuus haberetur, diuinos tamen & aruſpices, cæterosq; quos exquiſitis præſcientiæ ſtudijs vigere compererat, ſuper exequenda filij vltione ſolicitat. Plerunq; enim humanæ opis indiga eſt imperfecta diuinitas. Cuius Roſtiophus Phinnicus, alium ex Rinda Ruthenorum regis filia ſuſcitandum prædixit, qui fraternæ cladis pœnas exigere debeat. Deos ſiquidem conſortis ſui vltionẽ orituri fratris officio deſtinaſſe. Hoc audito, Othinus os pileo ne cultu proderetur obnubens, prædictum regem ſtipendia meriturus accedit. A quo magiſter militum effectus, recepto exercitu, pulcherrimam ex hoſtibus victoriam retulit. Quem rex ob pugnam ſtrenue editam, in primum amicitiæ gradum adſciuit, haud parcius donis, quàm honoribus cultum. Idem poſt paruulum temporis interuallum, ſolus hoſtium acies in fugam propulit, mirificæq; cladis autor pariter ac nuncius redijt. Admirationi omnibus erat, quod tanta de innumeris ſtrages vnius accipi viribus potuiſſet. Quibus meritis fretus Othinus, tacite regem amoris ſui conſcium facit. Cuius benigniſſimo fauore recreatus, dum à puella oſculum peteret, alapam recepit. Nec eum aut contumeliæ deformitas, aut iniuriæ dolor, propoſito depulit. Poſtero ſiquidem anno, ne quod auide orſus erat, ignominioſe deſereret, peregrina veſte ſumpta, regis contubernium repetit (Neq; enim facile ab occurrentibus dignoſci poterat, cum veras oris notas falſus ſqualor abſtergeret, veterem habitum noua furaretur illuuies) Roſterum ſe vocitari, fabriliumq; rerum officio callere perhibuit. Itaq; multiplices rerum formas ſpecioſiſſimis æris lineamentis complexus adeò profeſſionem artificio commendauit, vt recepto à rege magni ponderis auro, matronarum ornamenta procudere iuberetur. Igitur complura fœminei cultus inſignia fabricatus, tandem armillam cæteris operoſius expolitam, annuloſq; complures pari ſtudio decuſatos puellæ præbuit. Sed nullis flecti meritis indignatio poteſt. Quem Rinda baſium ſibi porrigere cupientem, colapho percuſſit. Minus enim acceptantur dona quæ præſtat inuiſus: ſanè gratiora ſunt, quæ ab amicis porriguntur. Adeò interdum ex offerente oblati precium pendet. Non dubitauit enim peruicacis animi puella, quin ſubdolus ſenex libidinis aditum ficta liberalitate captaret. Præterea acre eidem atq; intractabile ingenium fuit: ſiquidem dolum obſequio inſtrui, donorumq; ſtudio flagitijs votum ſubeſſe cognouit. Quam pater plurimum obiurgare quod nuptias detrectaret aggreſſus, illa ſenile peroſa connubium, teneris puellarum annis præproperos complexus negabat, ab infirmioris ætatis excuſatione reſpuendarum nuptiarum ſubſidium mutuata. At Othinus nihil amantium ſtudijs perſeuerantiæ robore efficacius expertus, quanquam geminæ repulſæ ignominia affectus fuiſſet, tertio regem priori ſpecie confuſa, perfectiſſimam rei militaris induſtriam profeſſus acceſſit. Eundem in hanc curam non voluptas modo, ſed etiam demendæ ignominiæ cupido perduxerat. Ita præſtigiarum peritis verſili vultu varios habitus præ ſe ferendi promptiſſima quondam poteſtas inceſſerat: quippe præter naturalem corporis ſpeciem, cuiuſlibet ætatis ſtatum ſimulare callebant. Igitur ſenex iocundum profeſſionis ſuæ ſpectacu-

Rinda anſtera pudicitia.

ſpectaculum editurus, inter promptiſſimos inſolentius obequitare ſolebat, nec eo quidem officij genere puellæ rigor inflecti potuit: vix ſiquidem animus ſyncere in gratiã redit, cum quo vehemens ſemel odium geſſit. Quam cum diſceſſurus oſculo petere vellet, ita ab ea propulſus eſt, vt mentum terræ nutabundus impingeret. Quam protinus cortice carminibus adnotato contingens, lymphanti ſimilem reddidit, receptam toties iniuriã modeſto vltionis genere inſequutus. Adhuc tamen propoſitum exequi non cunctatus, quippe ſpem eius fiducia maieſtatis inflauerat, puellari veſte ſumpta, quarto regem viator indefeſſus petiuit. A quo receptus non modo ſedulum ſe, ſed etiam importunũ exhibuit. Qui quod muliebriter propemodum cultus eſſet, à pleriſq; fœmina credebatur. Cæterum ſe vocabulo wecham arte medicam teſtabatur, profeſſionem quoq; promptiſſimis commendabat officijs. Tandem in reginæ famulitium adſcitus, puellæ pediſſequam egit. Cuius etiam pedum ſordes ſerotinis horis abluere ſolebat. Licebat quoq; lymphã pedibus miniſtranti ſuras ac ſuperiores femorum partes contingere. At quoniam vario fortuna paſſu graditur, quod arte promptum non erat, in expedito caſus conſtituit. Accidit enim puellam corporis firmitate defectã, circumſpectis morbi remedijs in ſalutis præſidium manus quas ante damnauerat aduocare, quemq; ſemper faſtidio habuerat ſeruatorem adſciſcere: qui curioſius cuncta doloris indicia perſcrutatus, vt morbo quamprimum occurreretur, medicata potione vtendum aſſeruit. Cæterum eius temperamenti tantam acerbitatẽ fore, vt niſi puella vinculis ſe continendam dediſſet, curationis vim perferre nõ poſſet. Ab intimis enim fibris, morbi propulſandam eſſe materiam. Quo pater audito, filiam vincire non diſtulit, iniectamq; toro ad omnia quæ medicus admouiſſet, patientiam præſtare iuſſit. Fallebat illum fœminei ſpecies cultus, quo ſenex ad obumbrandam artis ſuę peruicaciam vtebatur: quę res medicamenti ſpeciem ad ſtupri licentiam tranſtulit. Medicus nanq; Veneris occaſione ſumpta, mutato curationis officio, prius ad exercendæ libidinis, quàm pellendæ febris negocium procurrit, aduerſa puellæ valetudine vſus, cuius inimicam ſibi incolumitatem expertus fuerat. Aliam quoq; ea de re opinionem ſubtexere nõ pigebit. Aiunt enim quidam, quod cum rex laborantem amore medicum tanto animi ac corporis impendio nihil profeciſſe cognoſceret, ne bene meritum debita mercede fraudaret, clandeſtino filiæ concubitu potiri permiſerit. Adeò interdum paterna in prolem graſſatur impietas, cum naturæ clementiam violenta corrumpit affectio. Quem errorem edito filiæ partu plena ruboris pœnitentia inſecutus eſt. At dij, quibus præcipua apud Byzantium ſedes habebatur, Othinum varijs maieſtatis detrimentis diuinitatis gloriam maculaſſe cernentes, collegio ſuo ſubmouendum duxerunt. Nec ſolum primatu eiectum, ſed etiam domeſtico honore cultuq; ſpoliatum proſcribendum curabant: ſatius exiſtimantes probroſi antiſtitis potentiam ſubrui, quàm publicę religionis habitum prophanari, ne vel ipſi alieno crimine implicati inſontes, nocentis crimine puniretur. Videbant enim apud eos, quos ad deferendos ſibi diuinitatis honores illexerant, vulgato maioris Dei ludibrio obſequium contemptu, religionem rubore mutari, ſacra pro ſacrilegio duci, ſtatas ſolennesq; cerimonias puerilium deliramentorum loco cenſeri. Mors præ oculis, metus in armis erat, & in omnium caput vnius culpam recidere putares. Hunc itaq; ne publicam religionem exulare cogeret exitio mulctantes, Ollerum quendam non ſolum in regni, ſed etiam in diuinitatis inſulas ſubrogauere, tanquam deos ac reges creare in æquo poſitũ foret. Quem licet perfunctorie flaminem creauiſſent, integro rerum honore donabant, ne alieni officij procurator, ſed legitimus dignitatis aduerteretur eſſe ſucceſſor. Et ne quid amplitudinis deeſſet, Othini quoq; ei nomen imponunt, vocabuli fauore inuidiam nouitatis excluſuri. Quo denis fermè annis diuini ſenatus magiſtratum gerente, tandem Othinus dijs atrocitatem exilij miſerantibus, ſatis iam graues pœnas dediſſe viſus, ſqualoris deformitatem priſtino fulgoris habitu permutauit. Iam enim ſuperioris infamiæ notam medij temporis interuallum exederat. Extitere tamen qui ipſum recuperandæ dignitatis aditu indignum cenſerent, quod ſcœnicis artibus, & muliebris officij ſuſceptione teterrimum diui nominis opprobrium edidiſſet. Sunt

Mira patris in filiam impietas.

qui asserant eum quosdam deorum adulando, quosdam præmijs permulcendo, amissę maiestatis fortunam pecunia emercatum fuisse, & ad honores quibus iampridem defunctus fuerat, ingentis summæ precio reditum comparasse. Quos si quanti emerit rogas, illos consule, qui quanti diuinitas væneat didicerunt. Mihi minus constare fateor. Igitur Ollerus ab Othino Byzantio pulsus, in Suetiam concessit: vbi veluti nouo quodam orbe opinionis suæ monumenta restaurare connisus, à Danis interfectus est. Fama est illum adeò præstigiarum vsu calluisse, vt ad traijcienda maria osse quod diris carminibus obsignauisset, nauigij loco vteretur, nec eo segnius quàm remigio præiecta aquarum obstacula superaret. At Othinus recuperatis diuinitatis insignibus, tanto opinionis fulgore cunctis terrarũ partibus innitebatur, vt eum perinde ac redditum mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec vllus orbis locus extaret, qui numinis eius potentię non pareret. Qui cum filiũ Boum, quem ex Rinda sustulerat, bellici laboris studiosum cognosceret, accersitum fraternę cladis memorem esse iubet, potius à Balderi interfectoribus vltionem exactu rum, quam armis innoxios oppressurum, quod aptior ac salubrior pugna competeret, vbi pium belli locum iusta vindictæ licentia tribuisset. Interea Geuarus Gunnonis satrapæ sui dolo nunciatur oppressus: cuius cladem Hotherus acerrimis vltionis viribus insequuturus, interceptum Gunnonem atq; ardenti pyræ iniectum cremauit, quod ipse Geuarum antè per insidias occupatum nocturno viuum igni consumpserat. Taliter educatoris manibus parentando, filios demum Herletum, Geritũq; Noruagiæ prætulit. Post hæc, vocatis in concionem maioribus, bello quo Boum excipere debeat, periturum se refert, idq; non dubijs coniecturæ modis, sed veris vatum prædictionibus expertũ. Orat proinde filium suum Roricũ regno præficiãt, ne ius hoc ad externas, ignotasq; familias improborũ censura transfunderet: plus voluptatis se ex filij successione, quàm amaritudinis ex propinqua morte percepturũ testatus. Quo ocyus impetrato, pugna cum Boo congressus occiditur. Nec iocunda Boo victoria extitit. Quippe tã grauiter affectus acie excessit, vt scuto exceptus, atq; à peditibus vicissim subeuntibus domum relatus, postridie vulnerũ dolore consumeretur. Cuius corpus magnifico funeris apparatu, Rutenus tumulauit exercitus, nomine eius insignem extruens collem, ne tanti iuuenis monumenta à posterorũ memoria citius dilaberentur. Igitur Curetes ac Sueones, perinde ac Hotheri morte tributariæ sortis onere liberati, Daniam quam annuis vectigaliũ obsequijs amplecti solebant, armis aggredi animũ induxerunt. Ea res Sclauis quoq; defectionis audaciã ministrauit, aliosq; complures, ex obsequentibus hostes effecit. Cuius iniuriæ propulsandæ gratia Roricus contractã in arma patriã, recensitis maiorum operibus, ad capessendã virtutem impenso hortationis genere concitabat. At Barbari ne bellum absq; duce committerent, capite opus esse cernentes, creato sibi rege, cæteris militiæ viribus ostensis obscuriore loco, binos armatorũ manipulos condunt. Nec Roricum insidiæ fefellere, qui cum classem suam vadosi cuiusdã gurgitis arctis faucibus inhærere conspiceret, harenis quibus insidebat abstractam profundo adegit, ne limosis inflicta paludibus, diuersa ab hostibus parte peteretur. Præterea latebras socijs interdiu captandas constituit, quibus insistentes, ex improuiso nauium suarũ irruptoribus insultarent, fore posse præfatus, vt in autorũ caput propriæ fraudis euentus recideret. Barbari vero qui insidijs addicti fuerant, Danicæ circunspectionis ignari, irruptione temere edita, omnes oppressi sunt. Reliqua Sclauorum manus ignorata sociorum strage, super Rorici mora multa anceps admiratione pendebat: quem inter ęgras mentium fluctuationes diutule expectatum cum præstolatio indies molestior fieret, classe tandem petendum ducebat. Erat autem inter eos vir corporis habitu insignis, officio magus, qui prospectis Danorum turmis, vt paucorum impendio, inquit, complurium pericula redimantur, publicam stragem priuato discrimine præcurrere liceat. Ego vero in hanc confligendi legem non deero, si cui vestrum mutuus decernendi mecum ausus incesserit. In primis autem prætaxata à me conditione vtendum postulo, cuius talem sanè formulam texui: si vicero, vectigalium nobis concedatur immunitas: si vincar, pristina vobis tributa soluantur: aut enim hodie patriam seruitutis iugo victor exuam, aut victus in-

Ollerus præstigiator insignis.

ctus inuoluam. In vtranq; fortunam prædem me, vademq; recipite. Quod audiens Danorum quidam animi quam corporis viribus robuſtior, percunctari Roricum cœpit, quid ei pręmij foret, qui pugna prouocantem exciperet. At Roricus cum ſenas fortè armillas haberet, ita mutuis nexibus inuolutas, vt ab inuicem ſequeſtrari nequirent, nodorum inextricabiliter ſerie cohærente, eaſdem certamen audenti in præmium pollicetur. At iuuenis parum fortunę certus, ſi, inquit, Rorice rem proſpere geſſero, tua vincentis mercedem liberalitas æſtimet, tu palmam arbiter metiaris: ſin propoſitũ mihi parum ex ſententia ceſſerit, quid victo pręmij debes, quem aut ſæua mors, aut ignominia grauis inuoluet? has imbecillitas habere comites conſueuit, hæc ſuperatorum ſtipendia ſunt, quos quid niſi extremum dedecus manet? Quænam ſoluenda merces? Quæ gratia referenda, cui fortitudinis precium adeſt? Quis impotentem Martis hedera redimiuit, præmijs victricibus decorauit? Virtuti, non ignauiæ palma tribuitur. Gloria infelicitas caret. Illam quippe triumphus laudis, hanc aut finis iners, aut vita deformis inſequitur. Ego vero, qui quorſum duelli fortuna vergat ambigo, præmium audacter expetere non præſumo, quod an iure mihi debeatur ignoro. Neq; enim incerto victoriæ, certũ victoris præmium occupare conceditur. Superſedeo trophæo dubius coronæ conſtanter meritũ flagitare. Recuſo lucrũ, quod mihi mortis æque ac vitæ ſtipendiũ eſſe poterit. Stoliditatis eſt immaturo fructui manus inijcere, eumq; decerpere velle quem necdũ quis ſatis ſibi debitum nouerit. Hæc manus aut palmam mihi præſtabit, aut finem. Hæc fatus, gladio barbarũ ferit, fortuna minus, quam ingenio promptus. Ab eo ſiquidẽ repercuſſus, primi ictus magnitudine exanimatus eſt. Quo triſte Danis ſpectaculũ dante, victorẽ ſocium Sclaui ingenti donatũ pompa, magnificis excepere tripudijs. Idẽ die poſtera ſiue recentis victoriæ ſucceſſu elatus, ſiue alterius adipiſcendæ cupidine accenſus, hoſtes comminus aditos priſtinæ prouocationis verbis laceſſere inſtituit. Fortiſſimũ nanq; Danorum à ſe proſtratũ ratus, nemini illorum ſecũ vlterius prouocatione dimicandi ſpiritũ ſupereſſe credebat. Vnius quoq; pugilis occaſu, totius ſe exercitus vires labefactaſſe confiſus, nihil ad quos poſteriores ſui conatus intenderent, executione difficile arbitrabatur. Nihil enim ſucceſſu magis inſolentiã nutrit, nec vllũ proſperitate efficacius ſuperbiæ incitamentũ eſt. Dolebat itaq; Roricus, vnius viri petulantia publicã labefactari virtutem, illuſtresq; victorijs Danos, nõ modo à quondã victis inſolenter excipi, verumetiã ignominioſe cõtemni. Præterea neminem ita animo promptũ, aut manu ſtrenuum in tanto militum numero reperiri, cui ſalutem ſuam pro patria deuouendi cupido ſuppeteret. Tam probroſam Danicæ cunctationis infamiã prima Vbbonis magnanimitas repulit. Præſtabat etenim corpore, incantandi artibus pollens. Huic quoq; deinduſtria certaminis præmiũ perquirenti, rex armillas ſpopondit. Tum ille, quam (inquit) promiſſo fidem deferam cum ipſe pignus in manibus habeas, nec ſub aliena munus cuſtodia deponas? Præſtò ſit cui pignoris depoſitũ credas, ne promiſſum retractandi fas ſit. Accendit enim pugilum animos irreuocabilis præmij certitudo. Quod eum profectò per ludibriũ dixiſſe conſtabat, quem in propulſandã patriæ contumeliam ſola virtus armauerat. Quem Roricus auri cupidine captum ratus, ne præter regiam conſuetudinem reuocaturus donum, aut promiſſum reſciſſurus videretur, vt erat in nauigio collocatus, armillas ingenti excuſſas iactu petitori porrigere ſtatuit. Sed conatum eius fefellit interſtitij magnitudo. Armillæ enim languido, ac parum vegeto motu, citra deſtinatum locum collapſæ fluctibus interceptę ſunt, vnde Rorico Slyngebond inoleuit agnomen. Quæ res Vbboni magno virtutis indicio fuit. Neq; enim eum obrutæ mercedis damnũ audaci mentis propoſito exuit, ne virtutem auaritiæ ſtipendijs obnoxiã feciſſe videretur. Igitur auide petito certamine, ſe potius honeſtati intentum, quàm quæſtui deditum, pecuniæ cupiditati fortitudinẽ prætuliſſe, monſtrabat, fiduciam ſui non in precio, ſed magnanimitate repoſitam oſtenſurus. Nec mora circuatur campus, milite circus ſtipatur, concurrunt pugiles, fit fragor, fremit ſpectatrix turba votorũ ſuffragijs diſcors. Excandeſcunt igitur athletæ animis, & mutuis in vulneribus ruentes, eundem lucis ac pugnæ exitum ſortiuntur: Credo procurante fortuna, ne alter alterius exitio gloriam

Belli fortuna incerta.

Vbbo magnanimus & artibus incantãdi pollens.

voluptatemq; perciperet. Quæ res Rorico rebellium animos conciliauit, tributaq; restituit. Eodem tempore Horwendillus & Fengo, quorũ pater Gerwendillus lutorum præfectus extiterat, eidem à Rorico in lutiæ præsidiũ surrogantur. At Horwendillus triennio tyrannide gesta, per summã rerum gloriã piraticæ incubuerat, cum rex Noruagiæ Collerus operum eius ac famæ magnitudinẽ æmulatus, decorum sibi fore existimauit, si tam late patentẽ piratæ fulgorem superior armis obscurare quiuisset. Cuius classem varia fretũ nauigatione scrutatus offendit. Insula erat medio sita pelago, quã piratæ collatis vtrinq; secus nauigijs obtinebant. Inuitabat duces iocunda littorũ species: hortabatur exterior locorũ amœnitas, interiora nemorum verna perspicere, lustratisq; saltibus secretam syluarũ indaginem pererrare, vbi fortè Collerũ Horwendillumq; inuicem sine arbitris obuios incessus reddidit. Tunc Horwendillus prior regẽ percontari nisus, quo pugnæ genere decernere libeat, præstantissimũ affirmans quod paucissimorũ viribus ederetur. Duellum siquidẽ ad capessendam fortitudinis palmã omni certaminis genere efficacius fore, quod propria virtute subnixũ, alienæ manus opem excluderet. Tam fortẽ iuuenis sententiã admirans Collerus, cum mihi, inquit, pugnæ delectũ permiseris, maxime vtendũ iudico, quæ tumultuationis expers duorum operam capit. Sanè & audacior, & victoriæ promptior ęstimatur. In hoc communis nobis sententia est, hoc vltro iudicio conuenimus. At quoniã exitus in dubio manet, inuicem humanitati deferendũ est, nec adeò ingenijs indulgendũ, vt extrema negligantur officia. Odiũ in animis est, adsit tamen pietas quæ rigori demum opportuna succedat. Nam etsi mentium nos discrimina separant, naturæ tamen iura conciliant. Horum quippe consortio iungimur, quantuscunq; animo liuor dissocier. Hæc itaq; pietatis nobis conditio sit, vt victum victor inferijs prosequatur. His enim suprema humanitatis officia inesse constat, quę nemo pius abhorruit. Vtraq; acies id munus rigore deposito concorditer exequatur. Faceſſat post fatũ liuor, simultasq; funere sopiatur. Absit nobis tantæ crudelitatis specimen, vt quanquam viuis odiũ interceſſerit, alter alterius cineres persequamur. Glorioſum victori erit, si victi funus magnifice duxerit. Nã qui defuncto hosti iusta persoluerit, superstitis sibi fauorem asciscit, viuũq; beneficio vincit, quisquis extincto studium humanitatis impenderit. Est & alia nõ minus luctuosa calamitas, quæ viuos interdum damnata corporũ parte contingit. Huic nõ segnius quàm vltimæ sorti succurrendum existimo. Sæpe enim incolumi spiritu membrorum clades pugnantibus incidit: quę sors omni fato tristior duci solet, quod mors omnium memoriã tollat, viuens vero proprij corporis stragẽ negligere nequeat. Hoc quoq; malum ope excipiendũ est. Conueniat igitur alterius ab altero læsionem denis auri talentis sarciri. Nam si pium est alienis calamitatibus compati, quanto magis proprijs misereri? Nemo naturæ non consulit: quam qui negligit, sui parricida est. In hæc data acceptaq; fide, pugnam ineunt. Neq; enim eis aut mutui occursus nouitas, aut vernantis loci iocunditas, quo minus inter se ferro occurrerent, respectui fuit. Horwendillus appetendi hostis, quàm muniendi corporis nimio animi calore auidior redditus, neglecta clypei cura, ambas ferro manus iniecerat: nec audacię euentus defuit. Collerum siquidem scuto crebris ictibus absumpto spoliatũ, desecto tandem pede exanimem occidere coëgit. Quẽ ne pacto abesset, regio funere elatum magnifici operis tumulo, ingentiq; exequiarũ apparatu prosequutus est. Deinde sororem eius Selam nomine, piraticis exercitam rebus, ac bellici peritã muneris persequutus occîdit. Triennium fortissimis militiæ operibus emensus, opima spolia, delectamq; prædam Rorico destinat, quo sibi propiorem amicitiæ eius gradum conscisceret. Cuius familiaritate fultus, filiæ eius Geruthæ connubium impetrauit, ex qua filium Amlethum sustulit. Tantę felicitatis inuidia accensus Fengo, fratrem insidijs circumuenire constituit. Adeò ne à nesessarijs quidem secura est virtus. At vbi datus parricidio locus, cruenta manu fuestam mentis libidinem satiauit. Trucidati quoq; fratris vxore potitus, incestum parricidio adiecit. Quisquis enim vni se flagitio dederit, in aliud mox procliuior ruit: ita alterum alterius incitamentum est. Idem atrocitatem facti tanta calliditatis audacia texit, vt sceleris excusationẽ beneuolentiæ simulatione componeret, parricidiumq;

Pugnæ genus id præstantissimum est, quod pauciſsimorũ viribus ediſur.

Plurium scelerum concurrentium mirũ exemplum.

ricidiũq; pietatis nomine coloraret. Gerutham ſiquidẽ quanquam tantæ manſuetudinis eſſet, vt neminẽ vel tenui læſione commouerit, incitatiſſimũ tamen mariti odiũ expertam, ſaluandæq; eius gratia fratrẽ à ſe interfectum dicebat, quod mitiſſimã & ſine felle fœminã grauiſſimum viri ſuperciliũ perpeti indignũ videretur. Nec irrita propoſiti perſuaſio fuit. Neq; enim apud principes fides mendacio deeſt, vbi ſcurris interdum gratia redditur, obtrectatoribus honos. Nec dubitauit Fengo, paricidales manus flagitioſis inferre complexibus, geminæ impietatis noxã pari ſcelere proſequutus. Quod videns Amlethus, ne prudentius agendo patruo ſuſpectus redderetur, ſtoliditatis ſimulationẽ amplexus, extremum mentis vitiũ finxit, eoq; calliditatis genere non ſolũ ingenium texit, verumetiã ſalutem defendit. Quotidie maternũ larem pleno ſordiũ torpore complexus, abiectũ humi corpus obſcœni ſqualoris illuuie reſpergebat. Turpatus oris color, illitaq; tabo facies ridiculæ ſtoliditatis dementiã figurabant. Quicquid voce edebat, deliramentis conſentaneũ erat. Quicquid opere exhibuit, profundã redolebat inertiam. Quid multa? Nõ virum aliquẽ, ſed delirantis fortunæ ridendum diceres monſtrum. Interdum foco aſſidens, fauillasq; manibus verrens: ligneos vncos creare, eoſdemq; igni durare ſolitus erat: quorum extrema contrarijs quibuſdam hamis, quo nexuum tenaciores exiſterent, informabat. Rogatus quid ageret, acuta ſe referebat in vltionem patris ſpicula præparare. Nec paruo reſponſum ludibrio fuit, quod ab omnibus ridiculi operis vanitas contemneretur, quanquã ea res propoſito eius poſtmodum opitulata fuerit. Quæ ſolertia apud altioris ingenij ſpectatores primam ei calliditatis ſuſpicionem iniecit. Ipſa nanq; exiguæ artis induſtria, arcanũ opificis ingenium figurabat. Nec credi poterat obtuſi cordis eſſe, cui tam exculto manus artificio calluiſſet: deniq; exactiſſima cura prętuſtorum ſtipitum congeriem aſſeruare ſolebat. Fuere ergo qui illum vegetioris ingenij aſſerentes, ſapientiam ſimplicitatis prætextu occulere, profundumq; animi ſtudium calliditatis commento obſcurare putarent, nec aptius aſtum deprehendi poſſe, quàm ſi illi inter latebras vſquam excellentis formæ fœmina applicaretur, quæ animum eius ad amoris illecebras prouocaret. Naturæ ſiquidem tam præceps in Venerem eſſe ingenium, vt arte diſſimulari non poſſit: vehementiorem quoq; hunc motum fore, quàm vt aſtu interpellari queat: ideoq; ſi is inertiam fingeret, futurũ vt occaſione ſuſcepta, voluptatis ilico viribus obtemperaret. Procurantur igitur qui iuuenem in longinquas nemorum partes equo perductum, eo tentamenti genere aggrederentur. Inter quos fortè quidam Amlethi collacteus aderat, à cuius animo nondum ſociæ educationis reſpectus exciderat. Hic præteriti conuictus memoriam præſenti imperio anteponens, Amlethum inter deputatos comites, inſtruendi potius quàm inſidiandi ſtudio proſequebatur, quod eum vltima paſſurum non dubitaret, ſi vel modicum ſenſati animi indicium præbuiſſet, maxime vero ſi Veneris palàm rebus vteretur. Quod ipſi quoq; Amletho obſcurum non fuit. Equum ſiquidem conſcendere iuſſus, ita ſe ceruice de induſtria collocauit, vt ſuum ipſius ceruici dorſum obuertens, aduerſa caudam fronte ſpectaret. Quam frenis quoq; complecti cœpit, perinde atq; ea parte ruentis equi impetum moderaturus. Qua aſtutiæ meditatione patrui commentum illuſit, inſidias expugnauit. Ridiculum ſatis ſpectaculum fuit, cum idem habenæ expers, regente caudam ſeſſore procurreret. Procedens Amlethus cum obuium inter arbuſta lupum habuiſſet, comitibus tenerioris ætatis equum occuriſſe dicentibus, perpaucos huiuſmodi in Fengonis grege militare ſubiunxit, vt modeſto ita faceto imprecationis genere patrui diuitias inſequutus. Qui cum illo prudenti reſponſo vſum aſtruerent, ipſe quoq; ſe deinduſtria locutum aſſeuerabat, ne aliqua ex parte mendacio indulgere videretur. Falſitatis enim alienus haberi cupiens, ita aſtutiam veriloquio permiſcebat, vt nec dictis veracitas deeſſet, nec acuminis modus verorum iudicio proderetur. Idem littus prætereiens, cum comites inuento periclitatæ nauis gubernaculo, cultrum à ſe eximiæ granditatis repertum dixiſſent, eo, inquit, prægrandem pernam ſecari conuenit, profectò mare ſignificans, cuius immenſitati gubernaculi magnitudo congrueret. Harenatum quoq; prætereitis cliuis, ſabulum perinde ac farra aſpicere iuſſus, eadem albicantibus maris procellis permoli-

In Venerem natura tam præceps eſt, vt arte diſſimulari nõ poſſit.

ta esse respondit. Laudato à comitibus responso, idem à se prudenter auditum asseuerabat. Ab ijsdem quo maiorẽ exercendæ libidinis audaciam sumeret deinduſtria relictus, immissam à patruo fœminam, perinde ac fortuitu oblatã obscuro loco obuiam recepit, constupraſſetq; ni collacteus eius tacito consilij genere insidiarum indicium detulisset. Considerans enim quonam aptius modo occultũ monitoris officiũ exequi, periculosamq; iuuenis lasciuiã præcurrere posset, repertam humi paleã, œstri præteruolantis caudæ submittendã curauit. Egit deinde ipsum in ea potissimũ loca, quibus Amlethum inesse cognouit, eoq; facto maximum incauto beneficium attulit, nec callidius transmissum indicium, quàm cognitũ fuit. Siquidẽ Amlethus viso œstro, simulq; ſtramine quod caudæ insitũ gestabat, curiosius pernotato, tacitũ cauendæ fraudis monitũ intellexit. Igitur insidiarum suspicione conterritus, quo tutius voto potiretur, exceptã amplexibus fœminam ad paluſtre procul inuiũ protrahit. Quam etiam peracto concubitu, ne rem cuiquam proderet, impensius obtestatus est. Pari igitur studio petitum ac promissum est silentium. Maximam enim Amletho puellæ familiaritatem vetus educationis societas conciliabat, quod vterq; eosdem infantiæ procuratores habuerit. Domum itaq; reductus, cunctis an Veneri indulsisset per ludibriũ interrogantibus, puellam à se constupratã fatetur. Interrogatus rursum quo rem loco egerit, quóue puluino vsus fuerit, vngulæ iumenti, cristæq; galli, laquearibus quoq; tecti innixum se dixit. Horum enim omnium particulas vitandi mendacij gratia cum tentandus proficiscereturcontraxerat. Quæ vox multo circunstantiũ risu excepta est, quanquam nihil rerũ veritati per iocum detraxerit. Puella quoq; ea de re interrogata, nihil eum tale gessisse perhibuit. Fides negationi habita est, eo quidẽ pronius, quo minus satellites facti conscios fuisse constabat. Tum is qui præstandi indicij gratia œstrum signauerat, vt salutẽ Amlethi vaframenti sui beneficio constitisse monstraret, nuper se eius vnicè studiosum extitisse dicebat. Nec inepta iuuenis responsio fuit. Ne enim indicis meritũ negligere putaretur, quiddam straminis gerulũ subitis adlapsum pennis, quodq; paleã posteriore corporis parte defixã gestaret, sibi conspectũ retulit. Quod dictũ, vt cęteros cachinno concussit, ita Amlethi fautorẽ prudentia delectauit. Superatisq; omnibus, arcanamq; iuuenilis induſtriæ serã patefacere nequeuntibus, quidã amicorum Fengonis præsumptione quàm solertia abundantior fore negabat, vt inextricabile calliditatis ingenium vsitato insidiarum genere proderetur. Maiorem quippe eius peruicaciam esse, quam vt leuibus experimentis attingi debeat. Quamobrem multiplici illius astutiæ simplicem tentationis modum afferri non oportere. Subtiliorẽ itaq; rationis viam altiore animi sensu à se repertam dicebat, executioni non incongruã, & propositæ rei indagationi efficacissimam. Fengone siquidem per ingentis negocij simulationem deinduſtria absentiam præstante, solum cum matre Amlethum cubiculo claudi oportere, procurato antea viro, qui ambobus inscijs in obscura ædis parte consisteret, quid illis colloquio foret attentius excepturus. Futurum enim vt si quid filius saperet, apud maternas aures eloqui non dubitaret, nec se genitricis fidei credere pertimesceret. Idem se explorationis ministrum cupidius offerebat, ne potius autor consilij quàm executor videretur. Delectatus sententia Fengo, facta longinquæ profectionis simulatione discedit. Is vero qui consilium dederat, conclaue quo cum matre Amlethus recludebatur tacite petiuit, submissusq; ſtramento delituit. Nec insidiarum Amletho remedium defuit. Veritus enim ne clandestinis cuiuspiam auribus exciperetur, primum ad ineptæ consuetudinis ritum decurrens, obstrepentis galli more occentum edidit, brachijsq; pro alarum plausu concussis, conscenso ſtramento corpus crebris saltibus librare cœpit, si quid illic clausum delitescceret experturus. At vbi subiectam pedibus molem persensit, ferro locum rimatus suppositum confodit, egestumq; latebra trucidauit. Cuius corpus in partes consciſſum, aquis feruentibus coxit, deuorandumq; porcis per os cloacæ patentis effudit, atq; ita miseris artubus cœnum putre constrauit. Taliter elusis insidijs conclaue repetit. Cumq; mater magno eiulatu questa præsentis filij socordiam deflere cœpisset, quid, inquit, mulierum turpissima grauissimi criminis dissimulationem falso lamenti genere expetis, quæ scorti more lasciuiens, nefariam

Iocando Veritas sæpe dicitur.

nefariam ac deteſtabilem tori conditionem ſecuta, viri tui interfectorem pleno inceſti ſinu amplecteris, & ei qui prolis tuæ parentem extinxerat, obſcœniſſimis blandimentorum illecebris adularis? Ita nempe equæ coniugum ſuorum victoribus maritantur: brutorum natura hæc eſt, vt in diuerſa paſſim cõiugia rapiantur: hoc tibi exemplo prioris mariti memoriam exoleuiſſe conſtat. Ego vero nõ ab re ſtolidi ſpeciem gero, cum haud dubitẽ, quin is qui fratrem oppreſſerit, in affines quoq; pari crudelitate debacchaturus ſit: vnde ſtoliditatis quàm induſtriæ habitũ amplecti præſtat, & incolumitatis præſidium ab extrema deliramentorũ ſpecie mutuari. In animo tamen paternæ vltionis ſtudiũ perſeuerat, ſed rerum occaſiones aucupor, temporũ opportunitates operior. Non idem omnibus locus competit. Contra obſcurum immitemq; animũ, altioribus ingenij modis vti conuenit. Tibi vero ſuperuacuũ ſit meã lamentari deſipientiã, quæ tuam iuſtius ignominiã deplorare debueras. Itaq; non alienæ, ſed propriæ mentis vitiũ defleas neceſſe eſt. Cætera ſilere memineris. Tali conuicio laceratã matrem ad excolendum virtutis habitum reuocauit, præteritosq; ignes præſentibus illecebris præferre docuit. Reuerſus Fengo, inſidioſæ explorationis autorẽ nuſquam repertum, diutinæ inquiſitionis ſtudio proſequebatur, nemine ſe eum vſpiã conſpexiſſe dicẽte. Amlethus quoq;, an vllum ipſius veſtigiũ deprehenderit per iocum rogatus, in cloacam illũ iuiſſe retulit, perq; eius ima collapſum, ac nimia cœni mole obrutum, à ſubeuntibus paſſim porcis eſſe conſumptum. Quod dictum tametſi veri confeſſionem exprimeret, quia ſpecie ſtolidũ videbatur, auditoribus ludibrio fuit. Cumq; Fengo priuignum indubitatę fraudi ſuſpectũ tollere vellet, ſed id tum ob aui eius Rorici, tum ob coniugis offenſam exequi nõ auderet, Britanniæ regis officio necandum duxit, innocentiæ ſimulationem alieno miniſterio quæſiturus. Ita dum occultare ſæuitiam cupit, amicum inquinare, quàm ſibi infamiã conſciſcere maluit. Diſcedens Amlethus, matri tacite iubet, textilibus aulam nodis inſtruat, ſuasq; poſt annum inferias falſo peragat, eoq; tempore reditum pollicetur. Proficiſcuntur cum eo bini Fengonis ſatellites, literas ligno inſculptas (nam id celebre quondam genus chartarũ erat) ſecum geſtantes, quibus Britannorũ regi tranſmiſſi ſibi iuuenis occiſio mandabatur. Quorũ Amlethus quietem capientiũ loculos perſcrutatus, literas deprehendit, quarum perlectis mandatis, quicquid chartis illitum erat, curauit abradi, nouisq; figurarũ apicibus ſubſtitutis, damnationem ſuam in comites ſuos, mutato mandati tenore, conuertit. Nec mortis ſibi ſententiã ademiſſe, & in alios periculũ tranſtuliſſe contentus, preces huiuſmodi falſo Fengonis titulo ſubnotatas adiecit, vt Britanniæ rex prudentiſſimo ad ſe iuueni miſſo filiam in matrimonium erogaret. At vbi in Britanniam ventũ, adeunt legati regem, literasq; quas alienæ cladis inſtrumentũ putabant, propriæ mortis indices obtulerunt. Quo diſſimulato rex, hoſpitali illos humanitate proſequitur. Tunc Amlethus omnem regiarum dapum apparatum, perinde ac vulgare edulium aſpernatus, ſummam epularum abundantiã miro abſtinentiæ genere auerſatus eſt, nec minus potioni quàm dapibus pepercit. Admirationi omnibus erat, quod alienigenæ gentis iuuenis, accuratiſſimas regię menſæ delicias, & inſtructiſſimas luxu epulas, tanquam agreſte aliquod obſoniũ faſtidiret. Soluto conuiuio, rex quum amicos ad quietem dimitteret, per quendam cubiculo immiſſum, nocturna hoſpitũ colloquia clandeſtino explorationis genere cognoſcenda curauit. Interrogatus igitur à ſocijs Amlethus, quid igitur ita heſternis epulis, perinde ac venenis abſtinuiſſet? panem cruoris cõtagio reſperſum, potioni ferri ſaporem ineſſe, carneas dapes humana cadaueris oliditate perfuſas, ac veluti quadã funebris nidoris affinitate corruptas dicebat. Addidit quoq; regem ſeruilibus oculis eſſe, reginam tria ancillaris ritus officia præſe tuliſſe, non tam cœnam quàm eius autores plenis opprobrij conuicijs inſecutus. Cui mox ſocij priſtinum mentis vitiũ exprobrantes, varijs petulantiæ ludibrijs inſultare cœperunt, quod probanda culparet, cauſaretur idonea, quod inſignem regem, excultamq; moribus fœminam parũ honeſto ſermone laceſſeret, laudemq; meritos extremi dedecoris opprobrio reſperſiſſet. Quibus rex ex ſatellite cognitis, talium autorem ſupra mortalem habitum, aut ſapere, aut deſipere teſtatus eſt,

In malum quod quis alteri machinatur, ſæpius ille ipſe mirabiliter incidit.

tam paucis verbis perfectiſſimam induſtriæ altitudinem complectendo. Accerſitum deinde villicum, vnde panem adſciuerat percontatur. Qui quum eum domeſtici piſtoris opera confectum aſſereret, ſciſcitatur item, vbi materię eius ſeges creuiſſet, & an vllum illic humanæ ſtragis indicium extaret. Qui reſpondit, haud procul abeſſe campum, vetuſtis interfectorum oſſibus obſitum, & adhuc manifeſta antiquæ ſtragis veſtigia præ ſe ferentem, quem à ſe perinde ac cæteris feraciorem opimæ vbertatis ſpe, verna fruge conſertum dicebat. Itaq; ſe neſcire, an panis hoc tabo vitioſi quicquam ſaporis contraxerit. Quo audito rex, Amlethum vera dixiſſe coniectans, vnde lardum quoq; allatum fuiſſet, cognoſcere curæ habuit. Ille ſues ſuos per incuriam cuſtodia elapſos, putri latronis cadauere paſtos aſſeuerabat, ideoq; fortè eorum carnibus corruptioni affinem inceſſiſſe ſaporem. Quum rex in hoc quoq; veracem Amlethi ſententiam comperiſſet, quonam liquore potionem miſcuiſſet inquirit. Vt farre, & aqua temperatam cognouit, demonſtratum ſibi ſcaturiginis locum in altum fodere aggreſſus, complures gladios rubigine adeſos reperit, ex quorum odore lymphas vitium traxiſſe exiſtimatum eſt. Alij ideo potionem notatam referunt, quod in eius hauſtu apes abdomine mortui alitas deprehenderit, vitiumq; referri guſtu, quod olim fauis inditum extitiſſet. A quo rex culpati ſaporis cauſas competenter editas videns, quum ab eodem exprobratam ſibi oculorũ ignominiam, ad generis fœditatem pertinere cognoſceret, clàm conuenta matre, quis ſibi pater extitiſſet inquirit. Qua neminem ſe præter regem paſſam dicente, rem quæſtione ex ea cognoſcendam minatus, quod ſeruo ortus eſſet accepit, notatæ originis ambiguitatem extorto confeſſionis indicio perſcrutatus. Igitur vt conditionis ſuæ rubore contuſus, ita iuuenis prudentia delectatus, eundem cur reginam ſeruilium morum exprobratione maculaſſet, interrogat. Sed dum coniugis comitatem nocturno hoſpitis ſermone laceſſitam doluit, eandem ancilla matre creatam didicit. Siquidem ille tria ſe circa eam ſeruilis ritus vitia denotaſſe dicebat: Vnum, quod ancillæ more pallio caput obduxerit: alterum, quod veſtem ad greſſum ſuccinxerit: tertium, quod ciborum reliquias dentium anguſtijs inhærentes ſtipite eruerit, erutasq; commanducauerit. Matrem quoq; eius in ſeruitutem captiuitate redactam memorabat, ne potius ſeruili more, quàm genere eſſe videretur. Cuius induſtriam rex perinde ac diuinũ aliquod ingenium veneratus, filiam ei in matrimonium dedit, affirmationem quoq; eius tanquam cœleſte quoddam teſtimonium amplexatus eſt. Cæterum comites ipſius, vt amici mandatis ſatisfaceret, proxima die ſuſpendio conſumpſit. Quod beneficium Amlethus tanquam iniuriam ſimulata animi moleſtia proſecutus, aurum à rege compoſitionis nomine recepit, quod poſtmodum igni liquatum clàm cauatis baculis infundendum curauit. Apud quem annum emenſus, impetrata profectionis licentia patriam repetit, nihil ſecum ex omni regiarum opum apparatu præter gerulos auri bacillos deportans. Vt Iutiam attigit, præſentem cultum priſtinis permutauit moribus, quibus ad honeſtatem vſus fuerat, in ridiculæ conſuetudinis ſpeciem deinduſtria conuerſis. Cumq; triclinium in quo ſuæ ducebãtur exequiæ, ſqualore obſitus intraſſet, maximum omnibus ſtuporem iniecit, quod obitum eius falſo fama vulgauerat. Ad vltimum horror in riſum conceſſit, exprobrantibus ſibi mutuò per ludibrium conuiuis viuum affore, quem ipſi perinde ac defunctũ inferijs proſequerentur. Idem ſuper comitibus interrogatus, oſtenſis quos geſtabat baculis, hic, inquit, & vnus & alius eſt. Quod vtrum verius, an iocoſius protulerit neſcias. Siquidem ea vox, quanquam à pleriſq; vana exiſtimata fuerit, à veri tamen habitu non deſciuit, quæ peremptorum loco penſationis eorum precium demonſtrabat. Pincernis deinde quo maiorem conuiuis hilaritatem afferret coniunctus, curioſiore propinandi officio fungebatur. Et ne greſſum laxior veſtis offenderet, latus gladio cinxit, quem plerunq; deinduſtria diſtringens, ſupremo digitos acumine vulnerabat: quamobrem à circunſtantibus curatum, vt gladius cum vagina ferreo clàuo traijceretur. Idem quo tutiorem inſidijs aditum ſtrueret, petitam poculis nobilitatem crebris potionibus onerauit, adeoq; cunctos mero obruit, vt debilitatis temulentia pedibus, intra regiam quieti ſe traderent, eundemq; conuiuij & lecti locum ha-

Nimium potus & conuiuii & lecti locus ſit idẽ.

cum haberent. Quos quum insidijs opportunos animaduerteret, oblatam propositi facultatem existimans, præparatos olim stipites sinu excipit, ac deinde ædem in qua proceres passim fusis humi corporibus permixtam somno crapulam ructabantur, ingressus, compactam a matre cortinam, quæ etiam interiores aulæ parietes obducebat, resciſſis tenaculis decidere coëgit. Quam stertentibus superiectam, adhibitis stipitum curuaminibus, adeò inextricabili nodorum artificio colligauit, vt nemo subiectorum, tametsi validius adniteretur, consurgendi effectum assequi posset. Post hæc tectis ignem inijcit, qui crebrescentibus flãmis late incendium spargens, totos inuoluit penates, regiam consumpsit, omnésque aut profundum carpentes somnum, aut frustra assurgere conantes, cremauit. Inde petito Fengonis cubiculo, qui prius a comitibus in tabernaculum perductus fuerat gladium fortè lectulo cohærentem arripuit, suumq; eius loco defixit. Excitato deinde patruo, proceres eius igne perire retulit, adesse Amlethum veterum vncorum suorum ope succinctum, & iam debita paternæ cladis supplicia exigere auidum. Ad hanc vocem Fengo lectulo desiliens, dum proprio defectus gladio nequicquam alienum distringere conatur, opprimitur. Fortem virum, æternoq; nomine dignum, qui stultitiæ commento prudenter instructus, augustiorẽ mortali ingenio sapiẽtiam admirabili ineptiarum simulatione suppressit, nec solum proprię salutis obtentum ab astutia mutuatus, ad paternę quoq; vltionis copiam eadem ductum præbente peruenit. Itaq; & se solerter tutatus, & parentem strenuè vltus, fortior, an sapientior existimari debeat, incertum reliquit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI TERTII FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER QVARTVS.

DERACTA vitrici strage, Amlethus facinus suum incerto popularium iudicio offerre veritus, latebris vtendum existimauit, donec quorsum inconditæ plebis vulgus procurreret dicisset. Igitur vicinia quæ noctu incendium speculata fuerat, manè causam conspecti ignis nosse cupiens, collapsam in cineres regiam animaduertit, ruinásque eius adhuc tepidas perscrutata, nihil præter informes combustorum corporum reliquias reperit. Adeo autem vorax flamma omnia perederat, vt ne index quidem extaret, ex quo tantæ cladis causa accipi posset. Corpus quoque Fengonis ferro confossum inter cruentas spectabatur exuuias. Aliis indignatio patens, alijs mœror, quibusdam gaudium occultum incesserat. Hi ducis lamentabantur interitũ, hi sopitam parricidæ tyrannidem gratulabantur. Ita regis necis euentus diuidua spectatorum sententia excipiebatur. Ea vulgi tranquillitate Amlethus relinquendarum latebrarum fiduciam adeptus, accersitis quibus arctiorem patris memoriam inhærere cognouerat, concionem petit, in qua orationem huiusmodi habuit. *Oratio perfecta eloquentiæ plena.* Non vos moueat proceres præsens calamitatis facies, si quos miserabilis Horwendilli exitus mouet: non vos inquam moueat, quibus in regem fides, in parentem pietas seruata est. Parricidæ, non regis intueamini funus. Luctuosior siquidem illa facies erat, quum ipsi regem nostrum ab iniquissimo paricida (ne dicam fratre) flebiliter iugulatum vidistis. Ipsi laceros Horwendilli artus, ipsi corpus crebris vulneribus absumptum plenis miserationis oculis aspexistis. Quẽ ab atrocissimo carnifice spiritu spoliatum, vt patria libertate exueretur, quis dubitet? vna manus ei fatum, & vobis seruitutem iniecit. Quis igitur tam amens, vt Fengonis crudelitatem Horwendillianæ præferat pietati: Mementote qua vos Horwendillus be-

neuolentia fouerit, iuſtitia coluerit, humanitate dilexerit. Memineritis ademptum vobis mitiſſimum regem, iuſtiſſimum patrem, ſubrogatum tyrannum, ſuffectum paricidam, erepta iura, contaminata omnia, pollutam flagitiis patriam, impoſitum ceruicibus iugum, ereptum libertatis arbitrium, & nunc his finis, quum ſuis autorem criminibus obrutum, ſuorum pœnas ſcelerum paricidam pependiſſe cernatis. Quis mediocriter prudens ſpectator, beneficium iniuriæ loco duxerit? Quis mentis compos proprium in autorem ſcelus recidiſſe condoleat? Quis cruentiſſimi lictoris cladem defleat, aut crudeliſſimi tyranni iuſtum lamentetur interitum? Præſtò eſt autor rei quem cernitis. Ego quidem & parentem & patriam vltione proſequutum me fateor. Opus, quod veſtris pariter manibus debebatur, exercui. Quod vos mecum communiter condecebat, ſolus impleui. Adde quòd neminem tam præclari facinoris ſocium habui, nec cuiuſpiam mihi comes opera fuit: quanquam haud ignorem vos huic manum daturos negocio, ſi petiſſem, à quibus fidem regi, beneuolentiam principi ſeruatam non dubito. Sed ſine veſtro diſcrimine nefarios puniri placuit: neque enim alienos humeros oneri ſubijcien dos putabam, cui ſuſtentando proprios ſuffecturos credebam. Incineraui ego alios, ſolum Fengonis truncum veſtris manibus concremandum reliqui, in quo ſaltem iuſtæ vltionis cupidinem exatiare poſſitis. Concurrite alacres, extruite rogum, exurite impium corpus, decoquite ſceleſtos artus, ſpargite noxios cineres, diſijcite immites fauillas: non urna, non tumulus nefandas oſſium reliquias claudat. Nullum paricidij veſtigium maneat, nullus contaminatis artubus intra patriã locus exiſtat, nulla contagium vicinia contrahat, non mare, non ſolum dãnati cadaueris hoſpitio polluatur. Cætera ego præbui, id ſolùm vobis pietatis officiũ relictum eſt. His exequijs proſequendus tyrannus, hac pompa paricidæ funus ducendum. Sed neque eius cineres, qui patriam libertate nudauerit, à patria tegi conuenit. Præterea quid meas reuoluam ærumnas? calamitates recenſeam? retexã miſerias? quas ipſi me plenius noſtis. Ego à vitrico ad mortem quæſitus, à matre contemptus, ab amicis conſputus, annos flebiliter exegi, dies calamitosè duxi, incertum vitæ tempus periculis ac metu refertum habui. Poſtremò omnem ætatis partem, maxima cum rerum aduerſitate miſerabiliter emẽſus ſum. Sępè me tacitis intra vos queſtibus ſenſu vacuum gemebatis deeſſe vltorem patri, paricidio vindicem. Quæ res occultum mihi veſtræ charitatis indicium attulit, in quorũ animis nec dum regiæ cladis memoriam exoleuiſſe cernebam. Cuius itaq; tam aſperũ pectus, tam ſaxeus rigor, quem non paſſionum mearum compaſſio molliat, ærumnarum miſeratio nõ flectat? Miſeremini alumni veſtri, moueamini infortunijs meis, qui ab Horwendilli nece immunes geritis manus. Miſeremini quoq; afflictæ genitricis meæ, & reginæ quondam veſtræ, extincto congaudete dedecori, quę viri ſui fratrem interfectoremq; cõplexa, geminũ ignominiæ põdus fœmineo perpeti corpore cogebatur. Quamobrem vt vltionis ſtudium occultarẽ, obſcurarẽ ingeniũ, adumbratũ non verum inertiæ habitũ amplexatus ſum, ſtoliditatis figmento vſus, ſapientiæ commentũ texui, quod nunc an efficax fuerit, vtrũ finis ſui complementum attigerit, veſtro conſpectui patet: vos tantæ rei arbitros habere cõtentus ſum. Ipſi paricidales fauillas pedibus proculcatis: deſpicamini cineres eius, qui iugulati fratris vxorem polluit, flagitio temerauit, dominũ læſit, maieſtatem proditionis ſcelere laceſſiuit, acerbiſſimam vobis tyrannidem intulit, libertatem ademit, inceſto paricidium cumulauit. Me tam iuſtę vindictę miniſtrũ, tam pię vltionis æmulũ patrio ſuſcipite ſpiritu, debito proſequimini cultu, benigno refouete contuitu. Ego patriæ probrum dilui, matris ignominiam extinxi, tyrannidem repuli, paricidã oppreſſi, inſidioſam patrui manum mutuis inſidijs eluſi: cuius ſi ſupereſſet, indies ſcelera percrebreſcerent. Dolebam & patris & patriæ iniuriam, illum extinxi vobis atrociter, & ſupra quàm viros decuerat, imperantem. Recognoſcite beneficium, veneramini ingenium meum, regnum ſi merui date, habetis tãti autorem muneris, paternę poteſtatis hæredem, non degenerem, non paricidam, ſed legitimum regni ſucceſſorem, & pium noxæ paricidalis vltorem. Debetis mihi recuperatum libertatis beneficium, excluſum afflictantis imperiũ, ademptũ oppreſſoris iugum, excuſ-

ſum

Eesti Wabariigi Ra... Toompe... Ioss.

ſum paricidæ dominiũ, calcatum tyrannidis ſceptrũ. Ego ſeruitute vos exui, indui libertate, reſtitui culmen, gloriam reparaui, tyrannum ſuſtuli, carnificẽ triumphaui. Præmium penes vos eſt, ipſi meritum noſtis, à veſtra merces virtute requiritur. Flexerat hac oratione adoleſcẽs omnium animos, quoſdam ad miſerationem, alios ad lacrymas vſq; perduxit. At vbi quieuit mœror, rex alacri cunctorum acclamatione cenſetur. Plurimum quippe ſpei in eius induſtria ab vniuerſis reponebatur, qui tãti facinoris ſummam profundiſſimo aſtu texuerat, incredibili molitione cõcluſerat. Mirari illum complures videres, tanto temporis tractu ſubtiliſſimum texiſſe cõſiliũ. His apud Daniam geſtis, ternis nauigiis impenſius adornatis, ſocerum viſurus ac coniugem, Britanniam repetit. In clientelam quoq; armis præſtantem, iuuentutem adſciuerat, exquiſito decoris genere cultam, vt ſicut cuncta deſpicabili dudum habitu geſſerat, ita nũc magnificis ad omnia paratibus vteretur, & quicquid olim paupertati tribuerat, ad luxuriæ impenſam conuerteret. In ſcuto quoq; ſibi parari iuſſerat omnem operum ſuorum contextum, ab ineuntis ætatis primordijs auſpicatus, idq́; exquiſitis picturæ notis adumbrãdum curauit. Quo geſtamine perinde ac virtutum ſuarum teſte vſus, claritatis incrementa contraxit. Iſtic depingi videres Horwendilli iugulum, Fengonis cum inceſtu paricidium, flagitioſum patruum, fratruelem ridiculum, aduncas ſtipitum formas, ſuſpicionem vitrici, diſſimulationem priuigni, procurata tentamentorum genera, adhibitam inſidijs fœminam, hiantem lupum, inuentum gubernaculum, præteritum ſabulum, initum nemus, inſitam œſtro paleam, inſtructum indicijs adoleſcentem, eluſis comitibus rem ſeorſum cum virgine habitam. Cerneres itaque adumbrari regiam, adeſſe cum filio reginam, trucidari inſidiatorem, trucidatum decoqui, cloacæ coctum infundi, infuſum ſuibus obijci, cœno artus inſterni, inſtratos belluis abſumendos relinqui. Videres etiam vt Amlethus dormientium comitum ſecretum deprehenderit, vt obliteratis apicibus, alia figurarum elementa ſubſtituerit, vt dapem faſtidierit, potionémque contempſerit, vt vultum regis arguerit, vt reginam ſiniſtri moris notauerit. Aſpiceres quoque legatorum ſuſpendium, adoleſcentis nuptias figurari, Daniam nauigio repeti, inferias conuiuio celebrari, comitum loco baculos percontantibus oſtendi, iuuenem pincernæ partes exequi, diſtricto per induſtriam ferro digitos exulcerari, gladium clauo pertundi, conuiuales plauſus augeri, increbreſcere tripudia, aulæam dormientibus inijci, iniectam vncorum nexibus obfirmari, pertinacius ſopitos inuolui, tectis torrem immitti, cremari conuiuas, depaſtam incendio regiam labefactari, Fengonis cubiculum adiri, gladium eripi, inutilem erepti loco conſtitui, regem priuigni manu proprij mucronis acumine trucidari. Hæc omnia excultiſſimo rerum artificio militari eius ſcuto opifex ſtudioſus illeuerat, res formis imitatus, & facta figurarum adumbratione complexus. Sed & comites ipſius, quo ſe nitidius gererent, oblitis tantum auro clypeis vtebantur. Quos Britanniæ rex benigniſſimè exceptos, regij apparatus impenſis proſequitur. Qui inter epulandum, an Fengo viueret, integríſque fortunis eſſet cupide percontatus, cognoſcit è genero ferro perijſſe, de cuius fruſtra ſalute perquireret. Cúmque interfectorem eius crebris percontationibus inueſtigaret, eundem cladis eius autorem, ac nuncium extare didicit. Quo audito, tacitum animi ſtuporem contraxit, quod ad ſe promiſſam quondam Fengonis vltionem pertinere cognoſceret. Ipſe equidem ac Fengo, vt alter alterius vltorem ageret, mutua quondam pactione decreuerant. Trahebat itaque regem hinc in filiam pietas, in generum amor, inde charitas in amicum, & præterea iuriſiurandi firmitas, ipſa quoque mutuæ obteſtationis religio, quam violare nefarium erat. Tandem cum affinitatis contemptu iuratoria præponderauit fides, conuerſusq́ue ad vltionem animus, neceſſitudini religionem anteposuit. Sed quoniam hoſpitalitatis ſacra violare nefas credebatur, aliena manu vltionis partes exequi præoptauit, innocentiæ ſpeciem occulto facinore prætenturus. Igitur inſidias officijs texit, lædendíque curam adumbratis beneuolentiæ ſtudijs obſcurauit. Et quia coniunx eius nuper morbo conſumpta fuerat, Amlethum reparandarum nuptiarum legationem ſuſcipere iubet, admodum ſe ſingulari ipſius induſtria delectatum præfatus. Regnare ſiquidem in Sco-

Amlethus, cũ ſuos aduerſarios ingenioſè ſuſtuliſſet, regno potitur.

Britãni regũ in iureiurãdo religio.

Ex bibl...

tia fœminam asserebat, cuius vehementer connubium affectaret. Sciebat nanque eam non modò pudicitia cœlibem, sed etiam insolentia atrocem, proprios semper exosam procos, amatoribus suis vltimum irrogasse supplicium, adeò vt ne vnus quidem è multis extaret, qui procationis eius pœnas capite non luisset. Proficiscitur itaque Amlethus quanquam periculosa legatio imperaretur, iniuncti muneris obsequium non detrectans, sed partim domesticis seruis, partim regis vernaculis fretus, ingressusq; Scotiam quum haud procul reginæ penatibus abesset, recreandorum equorum gratia iunctum viæ pratum accessit, ibiq; loci specie delectatus, quieti consuluit, iocũdiore riui strepitu somni cupidinem prouocante, ordinatis qui stationem eminus obseruarent. Quo audito regina denos iuuenes exterorum aduentum, apparatumq; speculaturos emittit. Quorum vnus vegetioris ingenij, elusis vigilibus peruicacius subiens clypeum Amlethi, quem capiti fortè dormiturus affixerat, tanta lenitate submouit, vt ne superiacentis quidem quietem turbaret, aut cuiuspiam ex tanto agmine somnum perrumperet, dominam non modo nuncio, sed etiam rerum indicio certiorem redditurus. Delegatas quoq; ei literas loculis quibus asseruabantur pari calliditate subduxit. Quibus regina ad se perlatis clypeum curiosius contemplata, ex affixis notulis totius argumenti summam elicuit, eumq; affore intellexit, qui exactissimo prudẽtiæ consilio fretus, de patruo paternæ cladis pœnas acceperit. Literas quoq; nuptiarũ suarum petitionem cõtinentes intuita, totos obliterauit apices, quod senũ admodum connubiũ abhorreret, iuuenum complexus appeteret. Inscripsit autẽ mandatũ perinde atq; à Britanniæ rege sibi transmissum, & eius titulo pariter ac nomine consignatum, quo se latoris peti coniugio simularet. Quinetiam facta quę ex eius scuto cognouerat, scripto cõplectenda curauit, vt & clypeum literarum testẽ, & literas clypei interpretes existimares. Deinde eos, quorũ exploratione vsa fuerat, scutũ referre, literasq; loco suo restituere iubet, eodem fallaciæ genere Amlethum insequuta, quo eũ in cauillandis comitibus vsum acceperat. Interea Amlethus clypeũ capiti fraude subductũ expertus, occlusis de industria oculis quietem callidius simulat, quod vero sopore amiserat, ficto recuperaturus. Alterã quippe fallendi vicẽ hoc pronius ab insidioso quærendam putauit, quo solam prosperius egerit: nec eum opinio fefellit. Speculatorẽ quippe clãdestino aditu scutũ ac charam pristino loco reponere cupientẽ prosiliens corripit, captumq; vinclorum pœna coercuit. Deinde excitatis comitibus, reginæ penates accedit. Cui ex soceri persona consalutatæ scriptũ est, eiusdemq; sigillo obsignatũ porrexit. Quod quũ accepisset Hermuthruda, (reginę id nomen erat) perlegisseteq;, operã Amlethi, industriamq; verbis impensioribus prosequuta, iustas Fẽgonem pœnas pependisse dicebat, ipsum verò Amlethum rem humana æstimatione maiorem incomprehẽsæ profunditatis ingenio molitum, quod non solum paterni exitij, maternique concubitus vltionem inscrutabili sensus altitudine cõmentus fuisset, verumetiam regnum eius a quo crebras insidias expertus fuerat, conspicuis probitatis operibus occupasset. Quamobrem mirari se tam eruditi ingenij, virũ vno nuptiarũ errore labefactari potuisse, qui quum humanas penè res claritate transcendat, in ignobilem obscuramq; copulam prolapsus videatur. Quippe coniugem eius seruis parẽtibus esse, quanquã eos fortuna regijs honoribus exornasset. In expetendis siquidem coniugijs prudenti non formæ fulgorẽ, sed generis metiendũ. Quapropter si rite copulam appetat, prosapiã ęstimet, nec specie capiatur, quę quũ illecebrarũ irritamentũ sit, multorum candorẽ inaniter fucata detersit. Esse vero quã sibi nobilitate parem ascisscere possit. Se siquidem nec rebus tenuem, nec sanguine humilem, eius amplexibus idoneam fore, vtpote quã nec regijs opibus vincat, nec auito splendore præcellat: quippe reginam se esse, & nisi refragaretur sexus, regẽ existimari posse, imò quod verius est, quemcunq; toro suo dignata fuerit, regẽ existere, regnumq; se cum amplexibus dare. Ita & nuptijs sceptrũ, & sceptro nuptias respondere. Nec parui beneficij esse eam proprios offerre amplexus, quę circa alios ferro repulsam exequi cõsueuerat. Hortatur itaq; placẽdi studiũ in se transferat, in se votũ nuptiale deflectat, genusq; formæ præferre discat. Hęc dicens, astrictis

Connubium expetenti quæ æstimanda.

ctis in eum complexibus ruit. Ille tam comi virginis eloquio delectatus, in mutua prorumpit oscula, alternos complexuum nodos conserit, sibiq; quod virgini placitum protestatur. Fit deinde cõuiuium, accersuntur amici, corrogãtur primores, nuptiæ peraguntur: quibus expletis, quum nupta Britãniam repetit, valida Scotorum manu propius subsequi iussa, cuius opera aduersum varios insidiarum obiectus veteretur. Redeunti Britannici regis filia, quam in matrimonio habebat, occurrit: quę quanquam se superductæ pellicis iniuria læsam quereretur, indignum tamẽ aiebat maritali gratiæ pellicatus odiũ anteferri, neq; se adeò virum auersaturam, vt quod ei fraudulentius intentari sciat, silentio occultare sustineat, habere enim se pignus coniugij filium, cuius saltem respectus coniugalem matri charitatem commendare debuerat. Ipse enim, inquit, matris suæ pellicem oderit, ego diligam: tuos in me ignes nulla calamitas sopiet, nullus liuor extinguat, quin & in te sinistre excogitata detegam, & quas deprehenderim insidias pandam. Quamobrem cauendum tibi socerum putes, quòd ipse legationis prouentum carpseris, omnemq; eius fructũ in temet, eluso mittentis voto, peruicaci vsurpatione transtuleris. Qua voce se coniugali, quàm paternę charitati propiorem ostendit. Hæc loquente ea adest Britannię rex, generumq; arctius quàm affectuosius amplexatus, conuiuio excipit, liberalitatis specie fraudis propositum celaturus. Amlethus cognita fraude, metum dissimulanter habuit, ducentisq; equitibus in comitatum receptis, subarmalem vestem indutus obsequitur inuitanti, maluitq; regiæ simulationi periculosè parêre, q̃ turpiter repugnare. Adeò honestatem in cunctis obseruandam putabat. Quem comminus obequitantem rex sub ipsa bipatentium portarum testudine adortus iaculo transegisset, ni ferrum subarmalis togæ durities reppulisset. Amlethus leui recepto vulnere, eo loci se contulit, vbi Scoticam iuuentutem expectandi officio fungi iusserat, captiuo nouæ coniugis speculatore ad regem remisso, qui se destinatas dominæ literas loculorum custodiæ furtim exemisse testando, crimen in Hermutrudam refunderet, ipsumq; accurato genere excusationis reatu proditionis absolueret. Quem rex auidius fugientem insequi non moratus, maiore copiarum parte priuauit, ità vt Amlethus die postero salutem prælio defensurus, desperatis admodum resistendi viribus ad augendam multitudiuis speciem exanima sociorum corpora, partim subiectis stipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viuentum more equis imposita, nullo armorum detracto perinde ac præliatura feriatim in aciem cuneumque digesserit. Nec rarius mortuorum cornu erat, quàm viuẽtium globus. Stupenda siquidem illa facies erat, quum extincti raperentur ad prælia, defuncti decernere cogerentur. Quæ res autori otiosa non fuit, quum ipsæ extinctorum imagines lacessentibus solis radijs immensi agminis speciem darent. Ita enim inania illa defunctorum simulacra pristinum militum numerum referebant, vt nihil ex eorũ grege hesterna strage diminutum putares. Quo aspectu territi Britanni, pugnã præcurrere fuga, à mortuis superati, quos viuos oppresserant. Quæ victoria nescio callidior, an felicior existimanda sit. Rex dum segnius fugam intendit, ab imminentibus perimitur Danis. Victor Amlethus ingenti præda acta, conuulsisq; Britannię spolijs, patriam cum coniugibus petit. Interea defuncto Rorico, Vigletus regnum adeptus, Amlethi matrem omni petulantiæ genere fatigatam regijs opibus vacuefecerat, filium eius fraudato Lethrarum rege, cui dignitatum iura dandi tollendique ius esset, Iutiæ regnum occupasse conquestus. Quam rem Amlethus tanta animi moderatione excepit, vt Vigleto splendidissimis victoriæ suæ manubijs donato, calumniam beneficio rependere videretur. Quem postmodum exigendæ vltionis occasione suscepta, bello lacessitum deuicit, atque ex occulto hoste, manifestus euasit. Fiallerum Scaniæ præfectum exilio adegit: quem ad locum, cui Vndensakre nomen est, nostris ignotum populis, concessisse est fama. Post hæc quum à Vigleto Scaniæ Sialandiæque viribus recreato per legatos ad bellum prouocaretur, mirifica animi industria duas circa se res, quarum alteri probrum, alteri periculum inesset, fluctuari peruidit. Sciebat quippe sibi si prouocationem sequeretur, imminere vitæ periculum: si refugeret, instare militiæ probrum. Præponderauit tamen in contẽplatore virtutũ animo seruandę honestatis cupido, ob-

Spectaculũ visu horrendũ.

Britãni à mortuis fugantur.

tuditque cladis formidinem impensior laudis auiditas, ne solidus gloriæ fulgor meticulosa fati declinatione corrũperetur. Animaduertebat quoq; tãtum penè inter ignobilem vitam,& splendidam mortẽ discriminis interesse,quantũ dignitas à contẽptu distare cognoscitur. Tanta autẽ Hermutrudæ charitate tenebatur, vt maiorem futuræ eius viduitatis, quàm propriæ necis solicitudinẽ animo insitã gestaret,omniq; studio circunspiceret,qualiter ei secundas nuptias, ante belli ingressum cõsciscceret. Quamobrem Hermutruda virilem professa fiduciam,ne in acie quidem se eum deserturam spopondit,detestabilẽ inquiens fœminã,quæ marito morte cõseri formidaret. Quam promissionis nouitatem parum executa est. Nam quum Amlethus apud Iutiam à Vigleto acie interemptus fuisset, vltro in victoris prædam,amplexumq; concessit. Ita votum omne fœmineum,fortunę varietas abripit,temporum mutatio dissoluit,& muliebris animi fidem lubrico nixã vestigio,fortuiti rerum casus extenuant: quæ sicut ad pollicendum facilis,ita ad persoluendũ segnis: varijs voluptatis irritamentis astringitur, atq; ad recentia semper auidius expetenda, veterum immemor: anhela,præceps cupiditate dissultat. Hic Amlethi exitus fuit,qui si parem naturæ atq; fortunæ indulgentiam expertus fuisset, æquasset fulgore superos, Herculea virtutibus opera transcendisset. Insignis eius sepultura, ac nomine campus apud Iutiam extat. Vigletũ tranquillam ac diuturnam regni procurationem emensum morbus consumpsit. Cui filius Wermundus succedit. Hic prolixis trãquillitatis ocijs fœliciſſima temporũ quiete decursis,diuturnam domesticę pacis constantiam inconcussa rerum securitate tractabat. Idẽ prolis expers iuuentam exegit,senior verò filium Vffonem sero fortunæ munere susci tauit,quum nullam ei sobolem elapsa tot annorum curricula peperissent. Hic Vffo coæuos quosq; corporis habitu supergressus,adeò hebetis ineptiq; animi principio iuuentæ existimatus est,vt priuatis ac publicis rebus inutilis videretur. Siquidem ab ineunte ætate nunquam lusus aut ioci consuetudinem præbuit, adeoq; humanæ delectationis vacuus fuit, vt labiorum continentiã iugi silentio premeret, & seueritatem oris à ridendi prorsus officio temperaret. Verum vt incunabula stoliditatis opinione referta habuit,ita postmodũ conditionis contemptum claritate mutauit: & quantum inertiæ spectaculũ fuit,tantũ prudentię & fortitudinis exemplũ euasit. Cuius pater socordiã contemplatus,filiam ei Slesvicensiũ prẹfecti Frowini in matrimonium asciscit,illustrissimi viri affinitate vtilissimum gerendi regni subsidiũ recepturo. Huic erant filij Keto,& Wigo,splendidissimæ indolis iuuenes,quorum Wermundus non minus quàm Frowini virtutem futuris filij profectibus deputabat. Ea tempestate regnabat apud Suetiam Atislus, vir fama studioq; conspicuus: qui cùm finitimos latè bello pressisset,ne partum virtutibus fulgorem ocio desidiæq; corrumpendum relinqueret,complura nouarum rerum officia sedulo frequentationis studio celebranda curauit. Inter quæ etiam insigni armatura succinctus,quotidianam solitarij incessus consuetudinem præbuit: tum quod in re militari nihil crebro armorum vsu præstantius nosset,tum vt huius agitatione studij claritatis incrementa contraheret, in quo non minus sibi fiducia, quàm laudis cupido vendicauit. Tantam quippe nullius rei violentiam existimabat,vt eius obiectu mẽtis suæ robur quassandum timeret. Qui cum traiectus in Daniam armis Frowinum apud Slesvicum acie prouocasset,magnisq; inuicem cædibus copiæ funderentur, accidit ipsos agminũ duces ita inter se ferro concurrere,vt rem duelli more prosequerentur,& prẹter publicã belli sortem priuati conflictus specie decertarent. Hunc enim congressionis euentum par amborum expetebat affectus, vt virtutẽ non partium ope,sed propria virium experientia testarentur. Quo euenit,vt crebrescentibus vtrinq; plagis, Atislus armis superior prostrato Frowino priuatę victoriæ publicam iungeret, passimq; diuulsa Danorum agmina profligaret. Inde Suetiam reuersus, Frowini necem non solum virtutum suarum imaginibus adscripsit,verumetiam impensiore verborum iactantia prosequi consueuit, gloriã facti vocis petulantia demolitus. Aliquando enim speciosius virtutes silẽtij verecundia teguntur,quàm sermonis petulantia publicantur. Frowini filios Wermũdus paternæ dignitatis honoribus euehit, extincti pro patria amici, liberos iusto

Muliebris animi fides lubrica.

admo

admodum beneficio prosequutus. Quę res Atislo referendi in Daniam belli monitum præbuit. Redijt itaq; superioris pugnæ fiducia concitatus, non modo tenues angustasq; copias, verum omne virtutis Sueticæ robur aduectās, perinde ac totius Daniæ imperium rapturus. Quod Frowini filius Keto per primipilum suum Folconem nomine Wermundo, tunc fortè villam Ialungam tenenti, nunciādum curauit. Qui regē cum amicis epulantem reperiens, mandatū adhortatione prosequutus, adesse belli facultatē diutile postulatam, & vltro se Wermundi votis ingerere dixit, cum & prompta vincēdi prętetur occasio, & maturus triumphi titulus optionis eius arbitrio tribuatur. Magnam itaq; & inopinā felicitatis dulcedinem esse, quam ei longis affectatam suspirijs, præsentis euentus auspicia largiantur. Veniisse siquidem Atislum innumeris Sueonum copijs succinctum, perinde ac victoriæ certitudinem indubitata animi præsumptione complexum. Cumq; præliaturum hostē fatum fugæ anteferre dubiū non sit, felicē recētis vulneris vltionē oblata belli facultate præstari. Quem Wermundus præclarè ac fortiter legationis partes executum testatus, paulisper epulis refici iubet, quod itinera ieiunijs officere soleant. Qui cum nequaquam sibi capiendi cibi ocium suppetere dixisset, potione sitim lenire deposcitur. Quo præbito, poculū quoq; (nam aureum erat) adseruare iubetur, affirmante Wermūdo, commeādi calore defessis commodius cratere quàm palma lympham excipi, meliusq; bibendi vsum ciphi, quàm manus subsidio celebrari. Quo tam beneuolis verbis muneris magnitudinem prosequente, delectatus vtroque iuuenis, se prius ad perceptæ potionis mensuram proprij cruoris haustu vsurum, quàm regis conspectibus terga admoturum promittit. Tam fortē eius promissionem Wermundus mercedis nomine veneratus, aliquanto plus voluptatis ex dato beneficio, quàm miles ex accepto percepit. Nec animosius locutum eū, quàm præliatum expertus est. Commisso nanque bello contigit vt inter varios turmarum procursus concurrentibus Folcone & Atislo, manúmque diutile conserentibus, Sueonum exercitus ducis sui euentum sequutus, fugam ingrederetur: Atislus quoque saucius ad naues ex acie conuolaret. Cumq; Folco vulneribus ac labore hebetatus, sed & æstu & labore pariter sitiq; perfusus, fugam insequi destitisset hostilem, recreandi corporis gratia, proprium casside cruorem excepit, hauriendumq; ori præbuit. Quo facto, receptum a rege cruorem speciosissimè pensauit. Quod videns fortè Wermundus, impensius eum peractæ promissionis laudauit. Cui Folco speciosa vota ad debitum finem perducenda respondit. Qua voce non minorem facti sui commēdationem quam Wermūdus exhibuit. Cumq; victores, vt post prælium fit, depositis armis, ac quiescentes, varijs inuicem sermonibus vterentur, Sleswicensiū, præfectus Keto, magnę sibi admirationis esse prędicauit, qualiter Atislus crebris obstātibus causis elapsionis copiā impetrauerit, præsertim cum is ante omnes bella gesserit primus, fuga verò pestremus incesserit: nec alius quispiam ex hostibus fuerit, cuius tātis Danorū studijs affectaretur occasus. Ad hæc Wermundus, nosse eū oportere aiebat, omnem bellorū aciem quadrifaria dimicātium varietate distingui. Esse enim primi generis bellatores, qui fortitudinem modestia tēperantes, rebelles acrius cędant, fugientibus instare erubescant, hos siquidē, quos diuturna armorū experientia certiore virtutis testimonio prosequatur, quiq; gloriam suam non in victorum fuga, sed vincendorum expugnatione constituant. Esse præliantium & aliud genus, qui corporis animiq; viribus freti, sed nulla miserationis parte prædi ti, in hostium tam terga quàm pectora, communi cædis atrocitate desæuiant. Tales quippe esse, qui iuuenilis animi calore prouecti, tyrocinij rudimēta bellorum auspicijs ornare contendant, quosq; tam ætatis quàm laudis ardor inflammet, inq; fas & nefas pari nisus securitate præcipitet. Esse etiam tertios, quibus inter metum pudoremq; anxijs progressum terror adimat, recursum ruboris obstaculum tollat, qui sanguine clari, inaniq; tantum proceritate conspicui, aciem numero non viribus densent, hostem vmbra potius quàm armis feriant, & in bellatorum grege solo corporum spectaculo censeantur. Hos magnarum opum dominos fore, genere quàm animo præstantiores, quos lucis auiditas rerum dominio cō tracta, plus ignauiæ quàm nobilitatis viribus indulgere compellat. Esse item & alios

Quatuor bellatorum genera

qui ſpeciem non rem in bellum perferant, ſeq; extremis ſociorum agminibus inſerentes, primi fugam, poſtremi prælium gerant: in quibus imbecillitatis habitum, certi pauoris indicium detegat, cum ſemper quæſitis deinduſtria ſubterfugijs, pugnantium terga timidioris progreſſus pigritia ſubſequantur. His ergo de cauſis regem fuga ſeruatum exiſtimari debere, cum à primi ordinis militibus nulla perſecutionis inſtantia fugiens premeretur, qui non victos arcere, ſed victoriam conſeruare curæ habeant, perindeque cuneos denſent, vt trophæi nouitas competentibus nixa præſidijs perfectam ſucceſſus copiam adſequatur. Secundi verò generis pugnatores, quibus obiecta quæq; perimere ſtudium ſit, non animi, ſed opportunitatis inopia Atiſlum intactum liquiſſe, quod eos non tam lædendi auſus, quàm facultas defecerit. Sed & tertij ordinis viros, qui ipſum pugnæ tempus trepido vagationis genere deducentes, ſucceſſus etiam ſociæ partis impediunt, quanquam lædendi regis locum habuerunt, attentandi tamen audacia caruiſſe. His modis Wermundus ſtupidam Ketonis admirationem abſoluens, veras ſeruatiregis cauſas aſſertione ſua editas memorabat. Poſt hæc Atiſlus Suetiam refugus petit, Frowini cædem petulantius iactans, ac facinoris huius memoriam verboſo laudum ſuarum relatu inceſſanter oſtentans, non quod receptæ cladis ruborem æquo animo ferret, ſed vt recentis fugæ vulnus antiquæ victoriæ titulis recrearet. Cuius rei Keto & Wigo, vt par erat, indignatione permoti, in paternæ vltionis vota coniurant. Quam ſe parum bello exequi poſſe credentes, ſumpto leuioris armaturæ paratu, Suetiam ſolitarij petunt, ingreſſiq; nemus, in quo regem abſque comite verſari ſolitum fama cognouerant, tela latebris mandant, inde cum Atiſlo profugorum nomine diutile conuerſati, cum ab eo quam patriam haberent interrogarentur, Sleſwicenſes ſe eſſe, patriamque cædis cauſa liquiſſe teſtantur. Quod rex eos non de patrandi facinoris voto, ſed de patrati noxa aſtruxiſſe credebat. Ea quippe fraude percunctantis ſtudium eludere cupiebant, vt relationis certitudo caſſum quærenti pareret intellectum, & reſponſionis veritas tacitis adumbrata figmentis, opinionem incuteret falſitatis. Plurimum quippe deformitatis olim ab illuſtribus viris in mendacio reponebatur. Tum Atiſlus ſcire ſibi libitum dixit, quis Danorum opinione Frowini interfector credatur. Ad hæc Keto, dubitari (inquit) cui tanti facinoris claritatem arrogari conueniat præſertim cum eum publica autoritas acie extinctũ perhibeat. Reſpondit Atiſlus, fruſtra alijs Frowini necem adſcribi, quam ipſe duntaxat alterna manus conſertione peregerit. Mox an vlla Frowino ſoboles ſupereſſet perquirit. Ketone deinde duos eius filios extare dicente, ætatis eorum ac ſtaturę habitum perquam libenter ſe cognoſcere dixit. Refert Keto, hos ſibi corpore propemodũ æquales eſſe, ętate pares, proceritate perſimiles. Tunc Atiſlus, ſi mens, inquit, illis ac virtus paterna conſtaret, acerba mihi tempeſtas ingrueret. Interrogante deinde eo, an crebram paternæ necis mentionem haberent: Keto quicquid remedio temperari non poſſit, ſuperuacuè verbis replicari ſubiunxit. Nihil prodeſſe teſtatus inexpiabile malum aſſiduis iterare moleſtijs. Quo dicto, documentum dedit vltionem minis pręcurri non oportere. Cumq; regem acuendi roboris gratia quotidie ſolitariæ digreſſionis officio vtentem videret, receptis armis cum fratre præuium eius cõſectatur inceſſum. Quibus Atiſlus viſis harenam preſſit, quod imminentes vitare deforme exiſtimaret. Illis deinde ſe perempti ab eo Frowini pœnas ſumpturos dicentibus, præſertim cum plurimo iactantiæ faſtu ſe ſolùm necis eius fateatur autorem, Cauendũ eis, inquit, ne dum vltionis effectum appetant, infirmas & inopes virium manus ſtulta ſecum audacia cõſerant, dumq; alienum affectent exitium, proprium experiantur occaſum, optimæ indolis habitum præpropera laudis cupidine conſumpturi: quamobrem parcant iuuentæ, parcant & indoli, nec temerè votum eis inceſſerit pereundi. Itaque paternę cladis iniuriam pecunia a ſe rependi permittant, ingentisq; gloriæ loco habeant, quod tantum principem mulctæ nomine coërcuiſſe, & veluti quodam terroris imperio concuſſiſſe credantur. Hęc verò ſe non timore percitũ, ſed adoleſcentiæ eorum miſeratione motum docere. A quo Keto fruſtra tẽpus tanta verborum ambage deduci præfatus, quod tam iuſtæ vltionis affectum pecuniæ pro-

Rex Atiſlus ambiguitate verborum decipitur.

promissione labefactare conetur, progredi illum iubet, & si quid sibi virium sit, solitario secum experiri congressu. Nam & se remoto fratris adminiculo proprijs acturum viribus, ne manu impari pugna conseri videretur infamis. Duos siquidem cum vno decernere vt iniquum, ita etiam probrosum apud veteres credebatur. Sed neque victoria hoc pugnæ genere parta laudabilior habita, quòd potius dedecori quàm gloriæ iuncta videretur. Quippe vnum à duobus opprimi vt nullius negocij, ita maximi ruboris loco ducebatur. Tanta autem Atislum fiducia ceperat, vt ambos ad se pariter incessendum hortaretur, præfatus se tutioris pugnæ potestatem facturum, quibus pugnandi votum detrahere nequeat. Quam indulgentiam Keto ita auersatus est, vt prius se fato, quàm ea vsurum testaretur, oblatã certaminis conditionẽ vitio sibi vertendam existimãs. Quem Atislus manum secum cupidius conserentem, modesto pugnæ genere excipere cupiens, clypeum eius duntaxat adacto leuius mucrone conuerberat, animosior salutis suæ, quã efficacior defensor. Quo diutile gesto, monet vti fratrem cœpti cõsortem adsciscat. nec alienæ manus opem exposcere erubescat, cùm solitariam sui conatus experientiam sine effectu ẹsse videat. Abnuenti parcendum negat, minasq; opere prosecutus, summis eum viribus tentat. A quo tam valido ferri ictu exceptus est, vt ipsum diffissa casside capiti illabi cogeretur. Quo vulnere irritatus, nam multus è vertice cruor profundebatur, Ketonem crebris ac vegetis ictibus petitum, genibus humum petere coẽgit. Quod Wigo intueri non passus, propior priuatæ charitati, quàm publicæ cõsuetudini, ruborem pietati cedere coẽgit, inuasoq; Atislo fraternæ imbecillitatis protector quàm spectator esse maluit. Quo facto plus opprobrij quàm laudis contraxit, quòd in iuuãdo fratre statutas duelli leges soluisset, eidemq; vtilius quàm honestius opem tulisse videretur. Siquidẽ ex altera lãce dedecoris, ex altera pietatis partibus indulsit. Itaq; prõptius quã speciosius Atisli cædes ab ipsis peracta noscebatur. Quæ ne vulgo clàm esset, corpus eius abscisso capite equo impẽsum extra nemus ferentes, propinquioris pagi incolis tradunt, Frowini filios paternæ necis vltionem ab Atislo Sueonum rege exegisse testantes. Talem præ se victoriam ferentes, primis à Wermundo honoribus excipiuntur, vtilissimũ ab eis opus editũ iudicante, sublatiq; æmuli gloriam quàm admissi opprobrij famam cupidius intuente, nec tyranni necem vllis ignominiæ partib. affinem censente. In prouerbium apud exteros ductum, quod priscum dimicandi ius, regius labefactasset interitus. Cumq; Wermundus ætatis vitio oculis orbaretur, Saxoniæ rex Daniam duce vacuam ratus, eiq; per legatos mandat, regnum quod præter ætatis debitum teneat sibi procurandum committat, ne nimis longa imperij auiditate patriã legibus, armisq; deficiat. Qualiter enim regẽ censeri posse, cui senectus animum, cæcitas oculum pari caliginis horrore fuscauerit? Quod si abnuat, filiumq; habeat, qui cum suo ex prouocatione confligere audeat, victorem regno potiri permittat. Si neutrum probet, armis secum non monitis agendum cognoscat, vt tandem inuitus præbeat, quod vltroneus exhibere contemnat. Ad hæc Wermundus altioribus suspirijs fractus, impudentius se ætatis exprobratione lacerari respondit, quem non ideo huc infelicitatis senectus prouexerit, quod pugnæ parcus timidius inuentam exegerit. Nec aptius sibi cęcitatis vitium obiectari, quod plerunque talem ætatis habitum, talis iactura consequi soleat, potiusque condolendum calamitati quàm insultandum videatur. Iustius autem Saxoniæ regi impatientię notã afferri posse, quem potius senis fatum operiri, quàm imperium poscere decuisset, quod aliquanto præstet defuncto succedere, quàm viuum spoliare. Se tamen ne tanquam delirus priscæ libertatis titulos externo videatur mancipare dominio, propria manu prouocationi pariturũ. Ad hæc legati, scire se inquiũt, regem suum conserendæ cũ cæco manus ludibrium perhorrere, quod tã ridiculũ decernendi genus rubori quàm honestati propinquius habeatur. Aptius verò per vtriusque pignus & sanguinem amborum negocio consuli. Ad hęc obstupefactis animo Danis, subitaq; respõsi ignorantia perculsis, Vffo qui fortè cum cęteris aderat, responsionis à patre licẽtiam flagitabat, subitoq; velut ex muto vocalis euasit. Cumq; Wermundus quisnam talem àse loquendi copiam postularet inquireret,

Duos cũ vno decernere probrosum fuit apud veteres.

Defuncto succedere, quàm viuũ spoliare magis decet.

miniſtriq; eũ ab Vffone rogari dixiſſent, ſatis eſſe perhibuit, vt infelicitatis ſuæ vul neribus alienorum faſtus illuderet, ne etiam a domeſticis ſimili inſultationis petulantia vexaretur. Sed ſatellitibus Vffonem hunc eſſe pertinaci affirmatione teſtantibus, liberum ei ſit, inquit, quiſquis eſt cogitata profari. Tum Vffo, fruſtra ab eorum rege regnum appeti, inquit, quod tam proprij rectoris officio, quàm fortiſſimorum procerum armis, induſtriaq; niteretur. Prętereà nec regi filium, nec regno ſucceſſorem deeſſe, ſciantq; ſe non ſolùm regis eorum filium, ſed etiam quemcunque ex gentis ſuæ fortiſſimis ſecũ adſciuerit, ſimul pugna aggredi conſtituiſſe. Quo audito legati, riſere, vanam dicti animoſitatem exiſtimãtes. Nec mora, condicitur pugnę locus, eidemq; ſtata temporis meta pręfigitur. Tantum autem ſtuporis Vffo loquendi ac prouocandi nouitate præſentibus iniecit, vt vtrum voci eius an fiduciæ plus admirationis tributum ſit, incertum extiterit. Abeuntibus autem legatis, Wermundus reſponſionis autore laudato, quod virtutis fiduciam non in vnius, ſed duorum prouocatione ſtatuerit, potius ſe ei, quicunque ſit, quàm ſuperbo hoſti regno ceſſurum perhibuit. Vniuerſis autem filium eius eſſe teſtantibus, qui legatorum faſtum fiduciæ ſublimitate contẽpſerit, propius eum accedere iubet, quod oculis nequeat, manibus experturus. Corpore deinde eius curioſius contrectato, cum ex artuum granditate, lineamentisq; filium eſſe cognoſſet, fidem aſſertoribus habere cœpit, percontatiq; eum, cur ſuauiſſimum vocis habitum, ſummo diſſimulationis ſtudio tegendum curauerit, tantoq; ætatis ſpatio ſine voce & cunctis loquendi commercijs degere ſuſtinuerit, vt ſe linguæ prorſus officio defectum, natiuæq; taciturnitatis vitio obſitum credi permitteret? Qui reſpondit, ſe paterna hactenus defenſione contentum, non prius vocis officio opus habuiſſe, quàm domeſticam prudentiam externa loquacitate preſſam animaduerteret. Rogatus item ab eo, cur duos quàm vnum prouocare maluit: hunc idcirco dimicationis modũ à ſe exoptatum reſpondit, vt Atiſli regis oppreſſio, quæ quod a duobus geſta fuerat Danis opprobrio extabat, vnius facinore penſaretur, nouumq; virtutis ſpecimen priſca ruboris monumenta conuelleret. Ita antiquæ crimen infamiæ, recentis famæ litura reſpergendum dicebat. Quem Wermundus iuſtam omniũ æſtimationem feciſſe teſtatus, armorum vſum, quòd eis parum aſſueuiſſet, præ diſcere iubet. Quibus Vffo oblatis, magnitudine pectoris anguſtos loricarũ nexus explicuit, nec erat vllam reperire quæ eum iuſto capacitatis ſpacio contineret. Maiore ſiquidem corpore erat, quàm vt alienis armis vti poſſet. Ad vltimũ cùm paternam quoq; loricã violenta corporis aſtrictione diſſolueret, Wermundus eã à læuo latere diſſecari, fibulaq; ſarciri præcepit, partẽ quæ clypei præſidio muniatur ferro patere parui exiſtimãs. Sed & gladiũ quo tutò vti poſſit, ſumma ab eo cura conciſci iuſſit. Oblatis compluribus Vffo manu capulum ſtringens, fruſtatim ſingulos agitando cõminuit, nec erat quiſquam ex eis tanti rigoris gladius, quem non ad primæ concuſſionis motum crebra partium fractione diſſolueret. Erat autem regi inuſitati acuminis gladius Skrep dictus, qui quodlibet obſtaculi genus vno ferientis ictu medium penetrando diffinderet, nec adeò quicq; prædurum foret, vt adactam eius aciẽ remorari potuiſſet. Quem ne poſteris frudendum relinqueret, per ſummã alienæ cõmoditatis inuidiã in profunda defoderat, vtilitatẽ ferri quod filij incremẽtis diffideret, cæteris negaturus. Interrogatus autẽ an dignum Vffonis robore ferrũ haberet, habere ſe dixit. Quod ſi pridẽ à ſe terræ traditũ recognito locorum habitu reperire potuiſſet, aptũ corporis eius viribus exhiberet. In campũ deinde perduci ſe iubẽs, cum interrogatis per omnia comitibus defoſſionis locum acceptis ſignorum indicijs cõperiſſet, exactum cauo gladium filio porrigit. Quem Vffo nimia vetuſtate fragilem exeſumq; conſpiciens, feriendi diffidentia percontatur, an hunc quoq; priorum exemplo probare debeat, prius habitum eius, quàm rem ferro geri oporteat explorandum teſtatus. Refert Wermundus, ſi præſens ferrum ab ipſo ventilando collideretur, non ſupereſſe quod viriũ eius habitui reſpõderet. Abſtinendũ itaq; facto, cuius in dubio exitꝰ maneat. Igitur ex pacto pugnæ locus expetitur. Hũc fluuius Eidorus ita aquarum ambitu vallat, vt earum interſtitio repugnãte, nauigij duntaxat aditus pate-

Armorum vſus, prius quã quis eiſdem vtatur, eſt diſcẽdus.

Vffonis robur.

A facto, cuius in dubio manet exitus abſtinendum.

pateat. Quem Vffone ſine comite petente, Saxoniæ regis filium inſignis viribus athleta conſequitur, crebris vtrinque turbis alternos riparum anfractus ſpectandi auiditate complentibus. Cunctis igitur huic ſpectaculo oculos inferentibus, Wermundus in extrema pontis parte ſe collocat, ſi filium vinci contigiſſet, flumine periturus. Maluit enim ſanguinis ſui ruinam comitari, quàm patriæ interitum plenis doloris ſenſibus intueri. Verùm Vffo geminis iuuenum congreſſibus laceſſitus, gladij diffidentia amborum ictus umbone vitabat, patientius experiri conſtituens, quem è duobus attentius cauere debuiſſet, vt hunc ſaltem vno ferri impulſu contingeret. Quem Wermundus imbecillitatis vitio, tantam recipiendorum ictuum patientiam præſtare exiſtimans, paulatim in occiduam pontis oram mortis cupiditate ſe protrahit, ſi de filio actum foret fatum præcipitio petiturus. Tanta ſanguinis charitate flagrãtem ſenem fortuna protexit. Vffo ſiquidem filium regis ad ſecum auidius decernendum hortatus, claritatem generis ab ipſo conſpicuo fortitudinis opere æquari iubet, ne rege ortum plebeius comes virtute præſtare videatur. Athletam deinde explorandæ eius fortitudinis gratia, ne domini ſui terga timidius ſubſequeretur, admonitum, fiduciam à regis filio in ſe repoſitam egregijs dimicationis operibus penſare præcepit. Cuius delectu vnicus pugnæ comes adſcitus fuerit. Obtemperantem illum propiúſque congredi rubore compulſum, primo ferri ictu mediũ diſſecat. Quo ſono recreatus Wermundus, filij ferrum audire ſe dixit, rogatq; cui potiſſimũ parti ictum inflixerit. Referentibus deinde miniſtris, eum nõ vnam corporis partẽ, ſed totam hominis tranſegiſſe compagẽ, abſtractũ præcipitio corpus ponti reſtituit, eodem ſtudio lucem expetẽs, quo fatũ optauerat. Tum Vffo reliquum hoſtẽ prioris exemplo conſumere cupiens, regis filiũ ad vltionem interfecti pro ſe ſatellitis manibus parentationis loco erogandã impenſioribus verbis ſolicitat. Quem propius accedere ſua adhortatione coactũ, infligendi ictus loco curioſius denotato, gladioq; quod tenuem eius laminam ſuis imparem viribus formidaret in aciem alterã verſo, penetrabili corporis ſectione tranſuerberat. Quo audito Wermũdus Skrep gladij ſonum ſecundo ſuis auribus inceſſiſſe perhibuit. Affirmãtibus deinde arbitris vtrunq; hoſtem ab eius filio conſumptũ, nimietate gaudij vltum fletu ſoluit: ita genas quas dolor madidare non poterat, lætitia rigauit. Saxonibus igitur pudore mœſtis, pugilũq; funus ſumma cũ ruboris acerbitate ducẽtibus, Vffonem Dani iocundis excepere tripudijs. Quieuit tum Atiſlanæ cædis infamia, Saxonumq; opprobrijs expirauit. Ita Saxoniæ regnum ad Danos tranſlatum.

Cui dolor non poterat, ei gaudiũ lacrymas elicit.

Saxones à Danis victi.

Poſt patrem Vffo regendum ſuſcepit, vtriuſque imperij procurator effectus, qui ne vnum quidem ritè moderaturus credebatur. Hic à compluribus Olauus eſt dictus, atq; ob animi moderationem manſueti cognomine donatus. Cuius ſequentes actus vetuſtatis vitio ſolennem fefellere notitiam. Sed credi poteſt glorioſos eorũ proceſſus extitiſſe, quorum tam plena laudis principia fuerint. Tam breui factorum eius proſecutione animaduerto, quot illuſtrium gentis noſtræ virorum ſplendorẽ ſcriptorum penuria laudi memoriæq; ſubtraxerit. Quod ſi patriam hanc fortuna latino quõdã ſermone donaſſet, innumera Danicorum operum volumina tererẽtur.

Scriptorum penuria in Dania.

Vffoni Dan filius ſuccedit, qui cum tranſfuſis in exteros prælijs trophęorum frequentia rerum dominium propagaſſet, partũ gloriæ fulgorem tetro ſuperbię ſqualore fuſcauit, ita à clariſſimi parentis honeſtate degenerans, vt cùm ille cæteris moderatione præſtiterit, hic cæteros faſtuoſa tumidus elatione cõtempſerit. Sed & paterna bona, vel quę ipſe exterarum gẽtium manubijs pepererat, flagitijs diſſipiebat: opes quę regio ſplendori ſeruire debuerant, voracibus ſumptuũ impenſis tribuens. Sic interdum à maioribus ſuis ſimilia portentis pignora deſciſcunt.

Post hunc regnat Hugletus, qui Homothum & Hogrinium Suetiæ tyrannos maritimo fertur oppreſſiſſe conflictu.

Cvi Frotho ſuccedit, cognomento Vegetus, qui ipſam cognominis ſpeciem corporis animiq́ue firmitate teſtatus, denis Noruagiæ ducibus bello conſumptis, inſulam quæ ex eo poſtmodum nomen obtinuit, ipſum poſtremo regem inuaſurus acceſſit. Frogerus hic erat, gemina admodum ſorte conſpicuus, quod non minus armis quàm opibus illuſtris regiam ditionem athletico decoraret officio, tan-

Frotho ſtarke

tumq; gymnicis palmis, quantum dignitatis ornamentis polleret. Hic, vt quidã ferunt, Othino patre natus, a dijs immortalibus beneficium præstare rogatis, muneris loco obtinuit, non ab alio vinci, quàm qui certaminis tempore subiectũ pedibus eius puluerem manu conuellere potuisset. Quem Frotho tanta à superis firmitate donatum comperiens, duelli postulatione solicitat, deorum indulgentiã fallacia tentaturus. Primum igitur imperitię simulatione dimicationis ab ipso documentum efflagitat, cuius eum vsu experientiaq; callere sciat. Ille hostem professioni suæ non solùm cedere, sed etiam supplicare gauisus, sapere eum asseruit, senili industriæ iuuenilem animum subijciendo, quòd ei facies cicatricibus vacua, fronsq; nullis armorum vestigijs exarata, tenuem huius rei notitiam extare testetur. Ita ediuerso bina quadratæ formæ spacia cubitalibus figurata lateribus humi denotat, à locorum vsu documenti initium editurus. Quibus descriptis assignatam vterque sibi partem complectitur. Tum Frogerum Frotho arma secum, ac locum permutare iubet. Nec difficilis admissio fuit. Frogerum siquidem hostilium nitor cõcitabat armorum, quòd Frotho præditum auro capulum loricamq; pari specie radiantem, sed & cassidem in eundem modum eximio comptã fulgore gestaret. Igitur Frotho loco quo Frogerus excesserat, puluere correpto, omen sibi victorię datum existimauit. Nec augurio elusus, continuò Frogerum occîdit, tam paruulo vaframẽto maximam fortitudinis gloriam assecutus. Quippe quod nullius antè viribus licuit, astutia præstitit.

Post hũc Dan regnum capessit, qui cùm duodecimum ætatis annum ageret, legationum petulantia fatigatur, Saxonibus bellũ aut tributum afferre iussus. Sed rubor pugnam pensioni antepositum, potius ad strenuè moriendum, quàm timidè viuendum impellens. Itaq; prælata pugnandi sorte, Danorum iuuentus Albyam fluuium tanta nauigiorum frequẽtia compleuit, vt facilè eius transitum perinde ac continuo ponte iuncta puppium tabulata præstarent. Quo euenit, vt Saxoniæ rex eadem, quam a Danis exigebat, conditione adigeretur.

Post Dan Fridleuus cognomento celer imperiũ sumit. Quo regnante Huyrwillus Holandiæ princeps, icto cum Danis fœdere, Noruagiam incessebat. Cuius operibus haud parua claritatis accessio fuit, quòd Rusilam virginem militari voto res bellicas æmulatam armis oppressit, virilemq; gloriam ex muliebri hoste corripuit: Sed & quinque eius cõplices, Broddonem, Bildũ, Bugonem, Fanningum, & Gunholmum, quorum pater Fyn extitit, ob res ab ipsis præclarè editas in societatem adsciuit: quorũ collegio fretus, fœdus quod cum Danis contraxerat, ferro disijcit. Cuius irruptio hoc nociuior quò fallacior fuit. Neq; enim Dani tam repente eum ex amico hostem euasurũ credebant. Adeò facilis quorundã ex gratia ad odium transitus existere consueuit. Crediderim nostri temporis mores huius viri auspicijs inchoatos, qui mentiri ac fallere inter vitia sordesq; nõ ducimus. Quem Fridleuus Australes Syalandiæ partes adortũ, in portu qui postmodũ eius est nomine vocitatus, prælio tentat. In quo ob gloriæ æmulationem tanta militũ fortitudine concursum est, vt perpaucis periculũ fuga vitantibus, ambæ penitus acies consumerentur: nec in partem victoria concessit, vbi par vtroq; vulnus implicuit. Adeò omnibus maior glorię quàm vitæ cupiditas fuit. Igitur qui ex Huyrwilli agmine superfuerant, seruandæ societatis gratia, noctu classis suæ reliquias mutuis nexibus obligãdas curabant. Eadẽ nocte Bildus & Broddo resciſſis quibrates cohæsere funiculis, tacitè sua à cæterorum cõplexu nauigia submouere, fratrum desertione formidini consulentes, magisq; timoris quã consanguineæ pietatis ductibus obtemperantes. Luce reddita Fridleuus Huyrwillũ, Gunholmum, Bugonem & Fanningũ ex tanta sociorum clade relictos comperiens, vnus cum omnibus decernere statuit, ne laceræ copiarũ reliquiæ denuò discrimẽ subire cogerentur. Cui præter insitã animo fortitudinẽ, etiã contemptrix ferri tunica fiduciã ministrabat: hac in publicis priuatisq; cõflictibus tanquã seruatore salutis cultu vtebatur: nec rem fortius quã prosperius executus, fœlicem pugnæ euentũ habuit. Equidẽ Huyrwillo, Bugone, & Fanningo oppressis, Gunholmũ hostile ferrũ carminib. obtundere solitũ, crebro capuli ictu exanimauit. Dũ autẽ mucroni manum

Maior gloria quàm vitæ cupiditas.

Tunica ferri cõtẽptrix.

num cupidius inſerit, eliſa neruorum officia reductos in palmam digitos perpetuò curuitatis vinculo perſtrinxerunt. Idem cum Duflynum Hyberniæ oppidum obſideret, murorumq; firmitate expugnationis facultatem negari conſpiceret, Hadingiani acuminis ingenium æmulatus, hirundinum alis, incluſum fungis ignem affigi præcepit. Quibus propria nidificatione receptis, ſubitò flammis tecta luxerunt. Quas oppidanis reſtinguere concurrentibus, maioremq; ſopiendi ignis quàm cauendi hoſtis curam præſtantibus, Duflyno potitur. Poſt hæc apud Britanniam amiſſis bello militibus, cum difficilem ad littus reditum habiturus videretur, interfectorum cadaueribus erectis, & in acie collocatis, ita priſtinum multitudinis habitum repræſentabat, vt nil ex eius ſpecie tanto vulnere detractum videretur. Quo facto hoſti non ſolum conſerendæ manus fiduciam abſtulit, ſed etiam carpendæ fugæ cupidinem incuſſit.

Strategema.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI QVARTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER QVINTVS.

DEFVNCTO Fridleuo, filius Frotho ſeptem annos natus concordi Danorum arbitrio ſubrogatur. Iidem concione præhabita, infantiam regis à tutoribus excipiendam duxerunt, ne ob principis puerilitatem rerum excideret ſumma. Tantum ſiquidem ab vniuerſis Fridleui memoriæ ac nomini tributum, vt tam tenero eius ſanguini regnum daretur. Habito ergo delectu, Weſtmarus & Colo fratres in educationis regiæ miniſterium arceſſuntur. Iſulfo quoq; & Aggoni, octoq; alijs illuſtribus viris, non modò regis tutela credita, verumetiam gerendi ſub ipſo regni poteſtas indulta, abunde eis vires animiq; ſuppetebant, crebra non corporis tantum, ſed etiam ingenij dote pollentibus. Ita Danorum Remp. expectato regis robore vicaria tutabantur officia. Vxor Colonis erat Gotwara, quæ eximiæ procacitatis facundia quantumlibet diſertos ac loquaces eneruare ſolebat: altercando quippe efficax erat, & in omni diſceptationum genere copioſa. Pugnabat ſiquidem verbis, non modò quæſtionibus freta, verumetiam peruicacibus armata reſponſis. Imbellem nemo fœminam debellare poterat, à lingua ſpicula mutuantem. Quoſdam verboſitatis petulantia refellebat, alios veluti quibuſdam cauillationum nexibus implicatos fallaciarum laqueis ſtrangulabat, adeò vegetum mulieri ingenium fuit. Cæterum condere pacta, aut reſcindere præpotens erat, vtriuſq; horũ efficaciam oris aculeo geſtans: quippe diſijcere fœdera, ac ſociare callebat, ita ad vtrumlibet anceps linguæ commercium fuit. Duodecim Weſtmaro filij erant, ex quorum numero tribus commune Grep nomen inceſſit, hos ſimul conceptos idem partus abſoluit, ortus æqualitatem vocabuli ſocietate teſtantes. His ſumma cæſtibus aut ferro dimicandi peritia extitit. Hoddoni quoq; Frotho maritimæ tyrannidis detulerat poteſtatem, hic regem proximo neceſſitudinis ordine contingebat. Colo terna filiorum ſorte gaudebat. Eo tempore quidam Frothonis fratre genitus, pro tuenda patria gerebat rei nauticæ ſummam. Soror regis Gunwara erat, cui ob eximiam formæ pulchritudinem Specioſæ cognomen extabat. Filij Weſtmari Coloniſq;, quum & ætate impuberes, & animis acres eſſent, fiducia in temeritatem verſa, ad obſcœnos ac degeneres ritus inquinatã flagitijs indolem contulerunt. Adeò enim inſolenter indomiteq; geſſerunt, vt conſtupratis aliorum nuptis ac filiabus, proſcripſiſſe pudicitiam atq; in proſtibulum relegaſſe viderentur. Corruptis quoq; matronarum fulcris, ne toris quidem virginalibus abſtinebant. Suus nullum tha-

Mulier in omni diſceptationum genere copioſa.

lamus ſecuritate donabat, nec quiſquam ferè patriæ locus luxuriæ eorum veſtigijs vacuus erat. Mariti metu, coniuges corporum ſuorum ludibrio vexabantur. Iniurijs obtemperatum eſt. Ceſſit copularum reſpectus, violensq; amplexuum vſus extabat. Publicata eſt Venus, coniugiorum reuerentia pereunte. Raptim luxuria petebatur. In cauſa ocium erat, quod expertia agitationis corpora, amica vitijs quiete diffluerent. Tandem Grep hoc nomine participantium maximus, vt diffuſum libidinis motum certa ſpecie ſiſteret, errabundæ Veneris portum in germanæ regis amore petere auſus extitit. Nec apte quidem: nam ſicut vagabundam atq; erroneam voluptatem verecundiæ frenis coërceri oportuit, ita à populari prolem regiam concupiſci temerarium fuit. Illa proci petulantiam pertimeſcens, quo tutior ab iniuria foret, ſeptum vallo conclaue petiuit. Adhibiti ſunt ei triginta vernaculi, qui iugem corporis eius cuſtodiam excubando præſtarent. Igitur contubernales Frothonis circa indumentorum vſum fœminea admodum ope defecti, quum non haberent vnde noua aſſuere, aut lacera reficere poſſent, regem celebrandi coniugij monitis adhortantur. Ille primum excuſationis verba ab ætatis teneritudine mutuatus, ad poſtremum perſeuerantiori ſuorum rogatui ceſſit. Quo curioſius à monitoribus habilem connubio ſuo fœminam perquirente, præcipue regis Hunnorum filia collaudatur. Ad hęc Frotho repugnandi ratione pertinacius quæſita, à patre didiciſſe ſe refert, non expedire regibus è longinquo copulam peti, nec Venerem niſi à finitimis poſci. Quod audiens Gotwara, callide regem amicis reluctari cognouit. Cuius vt vacillantem firmaret animum, fiduciamq; puſillæ mentis erigeret, Iunioribus, inquit, nuptiæ competunt, ſenes ſepulchrum manet. Adoleſcentiæ greſſus votis fortunaq; proficiunt, inops ad buſtum ſenecta deuergit. Spes iuuentam conſequitur, ſenium expes inclinat occaſus. Adoleſcit ſors puberum, nunquam infectum omiſſura quod cœpit. Ob cuius dicti venerationem poſtulationis officium ſuſcipere rogata, refragandi rationem ſenij prætentione componit, nec ſe tam ardui mandati gerulam ob infirmum ætatis habitum fore poſſe teſtatur. Rex precio opus agnoſcens, aureo torque prolato, legationis præmium pollicetur. Habebat nanq; torques nexilia bullarum cælamina, interſitaq; regum ſimulacra, quæ ad interioris fili ductum, nunc contrahi, nunc dirimi poſſent, ornamentum luxui potius quàm vſui præparatum. Weſtmarum quoq; & Colonem cum eorum filijs, in idem legationis opus acerſiri placuit, quod eorum ſolertiam Frotho repulſæ rubore carituram putaret. Ii ſimul cum Gotwara profecti, prius triduano ab Hunnorum rege conuiuio excepti ſunt, quàm legationis ſuæ conſultum exprimerent: is enim antiquitus recipiendorum hoſpitum vſus extabat. Extracto in triduum epulo, virgo regia pleno comitatis alloquio, legatis blanditura progreditur, nec parum conuiualibus hoſpitum gaudijs, præſentiæ eius iocunditas attulit. Cui Weſtmarus crebreſcentibus poculis propoſiti ſeriem iocoſa admodum aſſertione detexit, puellę mentem familiari collocutionis genere tentaturus. Itaq; quo minus ſibi repulſam conſciſceret, compoſitis in riſum verbis legationis negocium præcurrebat, inter conuiuales plauſus ludicrum auſus ſociare ſermonem. Illa ſe Frothonem tanquam famæ & claritudinis inopem faſtidire dicebat. Nulli etenim quondam illuſtrium fœminarum connubijs idonei cenſebātur, niſi qui ſibi ingens famæ precium geſtarum inſigniter rerum fulgore ſtruxiſſent. Summum in proco vitium deſidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore quàm claritatis inopia damnabatur. Sola gloriæ vbertas cæterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellæ quoq; non tam procantium ſe formas, quam edita ſpecioſe facinora mirabantur. Igitur legati voti deſperatione torpentes, vlteriorem rei conatum Gotwaræ prudentiæ tradunt. Illa non verbis modò, ſed etiam ſuccis in Venerem mixtis virginem eneruare conata, aſſerere cœpit, Frothonem læua tanquam dextra vtentem nandi, dimicandiq; promptiſſimam habere peritiam: oblata quoq; potione rigorem puellæ cupidine permutauit, Veneremq; & voluptatem abolitæ indignationis loco conſtituit. Deinde Weſtmarum, Colonemq; cum eorum liberis deinduſtria adire regem, iterandæq; legationi inſiſtere iubet. Poſtremo ſi difficilem accepiſſent,

Ocium diaboli puluinar.

Deſidia ſummum in proco vitium.

pugnæ

pugnæ prouocatione præuenire repulsam. Igitur Westmarus regiam cum armatis ingressus, iam aut precibus obsequi, inquit, aut pugna precantes aggredi necesse erit: elegimus specioſe defungi, quam infecta legatione reuerti, ne repulsa fœdi, propositoq; vacui, vnde gloriam impetrare sperauimus, eius contrarium referamus. Si natam negas, admitte pugnam, alterum necesse est præstes. Mori aut exaudiri volumus. Apud te si non læta, saltem tristia percepturi sumus. Gratius nostram Frotho cladem, quam repulsam accipiet. Nec plura elocutus, iugulum regis ferro se petiturum minatur. Contrà rex, non decere, ait, amplitudinem regiam quem honore præcelleret, æquare conflictu, nec oportere dignitate impares, pugnæ paritate conferri. At Westmarus nihil de certaminis exhortatione remittens, ad vltimum ipsam virginis mentem explorare iubetur, quod antiqui in matrimoniorum delectu libera nupturas optione donassent. Hærebat siquidem animo rex, inter metum pugnæ pudoremq; trepida fluctuatione suspensus. Ita Westmarus ad præcordialem puellæ sententiam relegatus, sciens fœminam omnem vt volubilis animi, ita versilis esse propositi, tanto rem fidentius exequi cœpit, quanto virginum votis plus varietatis inesse compertum habuit. Auxit curæ eius fiduciam, adiecitq; studio spem simplicitas virginis, proprio permissa consilio, libertasq; fœminæ politioribus blanditiarum delenimentis palpanda, non modo abduci facilis, verumetiam obsequi præceps. Pater vero, quo certius filiæ mentem inspiceret, legatos subsequi cœpit. Illa prius in amorem proci latenti potionis operatione perducta, plura se de Frothonis indole referebat spe præsumpsisse quam fama: quippe quum is ab illustri genus parente duxerit, naturaq; omnis suæ soleat origini respondere. Quamobrem iuuenem sibi non tam præsentis, quàm futuri splendoris intuitu placuisse. Quibus auditis mirabundus pater: sed ne permissam quidem puellæ licentiam rescindere passus, Frothonis eam coniugio pollicetur. Quam postmodum, prouisis abunde commeatibus, tollens magnifico rerum apparatu, consequentibus se legatis Daniam adire deproperat, sciens neminem patre melius filiam nuptijs oblaturum. Frotho sicut iocundissime sponsam excepit, ita futuri quoq; soceri maiestatem amplissimis honoribus celebrauit, quem peractis tædis, magna auri argentiq; summa donatum dimisit. Igitur Hanunda vsus (Hunnorum hæc regis filia erat) florentissima pace triennium duxit. Cuius contubernales ocio petulantiam nacti, partam quiete lasciuiam improbissimis extulere sceleribus. Quosdam enim restibus in sublime pertractos, more agitabilis pilæ pendula corporum impulsione vexabant. Alijs hœdinum incedentibus corium substernentes, lubrici tergoris offendiculo per occultum funis raptum incautos subegere gressus. Alios veste nudatos, varijs verberum supplicijs lacerabant. Alios claue affixos, laquei more suspensionis mulctauere ludibrio. Quorundam barbæ & verticis pilos faculis torruerunt. Alijs pubem atq; inguina subiecto torre cremabant. Virginibus nubere non licebat, nisi quarum castitas eis ante delibata fuisset. Aduenas ossibus conuerberabant. Alios ad intemperantiam compulsos, immoderata potione rumpebant. Nemini filiam nuptum dare licebat, nisi gratia ipsorum, fauoreq; mercato. Nulli matrimonium contrahendi fas erat, si eorum non precio præmisset assensum. Præterea non in virgines modo, verumetiam in matronarum turbam passim dissolutissimæ libidinis suæ flagitia porrexerunt. Mixtam petulantiæ rabiem duplex furoris species agitabat: conuenis hospitibusq; receptuum loco conuicia præbebantur. Tot ludibriorum irritamenta à petulantibus & lasciuis reperta sunt. Adeò sub rege puero temeritas libertate nutrita est. Nihil enim tantum peccandi licentiam protrahit, quantum vltionis pœnæq; dilatio: tam effrenata militum procacitas, non exteris tantum, sed etiam patriæ inuisum fecerat regem. Dolenter siquidem ferebant Dani superbe sibi ac crudeliter imperari. Grep vero haud humili contentus Venere, eò se temeritatis effudit, vt cum regina commercio libidinis habito, tam regi perfidus, quam cæteris violentus existeret. Adoleuit deinde paulatim infamia, tacitoq; gradu criminis suspicio serpsit, antè vulgo comperta quam regi. Grep enim in omnes qui vel modicam huius rei mentionem egissent, animaduertere solitus, accusationem sui formidabilem

Petulantia ob scœna aulicorum.

fecerat. Opinio tamen sceleris primum susurris alita est, dehinc excepta rumoribus. Difficilis siquidem apud conscios alieni criminis occultatio est. Procus Gunwaræ creber extabat. Igitur Grep repulsæ vltionem clandestinis artibus impetrare conatus, æstimandi procos arbitrium flagitat, exquisitissimis puellam nuptijs deberi testando. Obscurabat autem iram, ne virginis odio quæsitum videretur officium. Oranti rex merita iuuenum inspectanda permittit. Primum itaq; cunctos Gunwaræ petitores conuiuij simulatione contraxit, ac deinde conclaue cui puella assueuerat, desectis eorum capitibus cingens, crudele cæteris spectaculum præbuit. Nihil tamen eius apud Frothonem gratiæ detractum est, quo minus consueto familiaritatis officio fungeretur. Conueniendi siquidem regis copiam precio peti debere constituit, neminem alloquio eius vsurum pronuncians, ni munera detulisset. Neque enim tanti ducis aditum trito consuetudinis genere, sed plenis ambitionis studijs impetrandum edixit, regiæ charitatis simulatione crudelitatis infamiam leuaturus. Taliter lacessitum vulgus afflictationis suæ querelam tacitis gemitibus agitabat. Nulli miseriæ tempora culpandi palàm animus erat. Nemini ingruentem calumniam apertis efferendi querimonijs ausus incesserat. Internus omnium præcordia dolor hoc acrius, quo occultius lacerabat. Quo cognito, Gotherus Noruagiæ rex contractis concione militibus, refert proprium Danos fastidire regem, exoptare alium, si copiam accepissent, seq; eò exercitum agere decreuisse, facile Daniam occupari posse, si armis adita foret. A Frothone enim tam auarè, quàm atrociter patriæ imperitatum esse. Tum exurgens Ericus, contraria rem allegatione prohibuit: Sæpe, inquiens, alieni appetitores, proprio priuari solere meminimus. Sæpe amborum captator, vtriusq; perditor fuit. Prævalidum enim oportet alitem esse, qui prædam alius vnguibus extrahere cupiat. Animat te frustra internus regionis liuor, quem plerunque hostilis explodit aduentus. Nam etsi nunc Dani diuiduis esse sententijs videantur, vnanimes tamen mox excipient hostem. Crebro corrixantes porcos, conciliauere lupi. Patrium quisque ducem extero præfert. Prouincia omnis regem domesticum, quàm aduenam, impensius colit. Neque enim te Frotho domi prædstolabitur, sed foris excipiet aduentantem. Extremis se aquilæ scalpunt. Anterius alites certant. Nosti ipse pœnitentia vacuum debere contuitum esse prudentis. Proceribus abunde stiparis. Tua tibi quies maneat, per alios gerendi sanè belli facultatem propemodum exploratam habere poteris. Liceat militi regiam prætentare fortunam. Salutem tuam pacificè moderare, alieno negocium periculo moliturus. Satius est seruum deperire, quàm herum. Quod fabro forceps, tuus tibi sibi incendio temperat. Tu quoque tibi tuorum opera parcere & consulere discе. Hæc Ericus. Quem Gotherus vt imprudentem hactenus habitum, responsionis suæ contextum exquisita sententiarum grauitate compressisse miratus, diserti donat agnomine, excellentem eius prudentiam appellationis honore iudicans prosequendam. Frater siquidem eius Rollerus opinionem iuuenis eximio sui fulgore suppresserat. Ericus nominis beneficio rem adijci petit, vocabuli largitionem muneris additione commutandam testatus. Rex nauigium donat, Scrotter remiges vocitabant. Erant autem Ericus & Rollerus Regneri pugilis filij, patre eodem sati, diuersaq; editi matre. Matrem quippe Rolleri eandemq; Erici nouercam Cracam vocabant. Igitur Rafno cuidam permittente Gothero lacessendi per piraticam Danos negocium cessit. Excipit illum Oddo, cui tunc temporis apud Danos maxima piraticæ deferebatur autoritas, vir magicæ doctus, ita vt absque carina altum pererrans, hostilia sæpe nauigia concitatis carmine procellis euerteret. Itaque ne cum piratis in maritimarum virium certamen descenderet, exasperatos maleficio fluctus, ad naufragia ijsdem infligenda perducere solebat. Hic vt negociatoribus atrox, ita clemens agrestibus extitit: non eadem merces, qua statiuam æstimatione commensus: rustici operis munditias, sordidi quæstus laboribus anteponens. Idem inito cum Normannis conflictu, ita vi carminum hostilem hebetauit aspectum, vt districtos Danorum enses eminus radios

Alieni appetentes, propriis interdum priuãtur.

Ericus disertus.

Normanni à Danis victi.

dios iacere,& tanquam flammabundos scintillare putarent. Cæterum adeò retusis obtutibus erant,vt ne ferrum quidem vagina detractum visu excipere possent: victa quippe fulgore acies, præstigiosæ coruscationis impatiens erat. Cæso itaque Rafno cum multa suorum parte, sex solæ naues Noruagiam relapsæ documento fuere regi, haud facile Danos obteri posse. Ab his etiam Frothonem sola pugilum ope subnixum, inuito regnare populo vulgatum est, dominio in tyrannidem verso. Cuius famæ experiendæ gratia Rollerus, vt erat exterarum lustrator rerum, ignotaq; visendi auidus, Frothonis se uouit contubernio potiturum. Ericus illum, quanquam habitu corporis eximius esset, temere votum nuncupasse firmabat. Ad vltimum pertinacissimam propositi eius perseuerantiam conspicatus, se quoque simili voti nuncupatione constringit. Hisdem se rex pollicitus est, quoscunque delectu probassent comites, donaturum. Itaque fratribus primo patrem adiri placuit, commeatusq; & necessaria tam longinqui itineris subsidia postulari. A quo paterne suscepti, die postera in nemus visendi pecoris gratia perducuntur. Senex quippe armentis opulens erat. Aperiebantur quoque illis gazæ, quas diu clausæ telluris antra condiderant. E quibus si quæ placuissent, sublegi permissæ sunt. Nec cupidius oblatum beneficium, quàm receptum. Itaque egestis humo opibus, complacitas tollunt. Horum interea remiges, aut curam egere corporis, aut iactis se molibus exercebant. Alij saltu, quidam cursu concitauere corpus. Hi vires valida saxorum iaculatione tentabant, illi sagittæ vsum tenso experiebantur arcu. Ita roboris firmitatem vario agitationis genere prosequebantur. Fuere & qui somnum, quietemq; potione captarent. Mittitur deinde Rollerus à patre cognoscendi causa domi interim acta. Is ut maternum fumare tugurium vidit, foris accedens, paruulumq; foramen furtiua luminis applicatione traijciens, introspecta æde, animaduertit matrem informi cacabo coctilia pulmenta versantem. Suspexit præterea tres colubras superne tenui reste depensas, ex quarum ore proflua tabes guttatim humorem epulo ministrabat: duæ quippe colore piceæ erant, tertia squamis albida videbatur, reliquis modico eminentius pensa. Hæc nexum in cauda gestabat, quum cæteræ immisso ventri funiculo tenerentur. Ille rem maleficio consentaneam ratus, silentio quod viderat pressit, ne matrem veneficij ream astruere putaretur. Ignorabat enim innocuam anguium extitisse naturam, nescius quantum illo vigoris epulo pararetur. Superuenientes deinde Regnerus & Ericus, vt fumidam aspexere casam, ingressi discubitum petiuere. Quibus ad mensam sitis Craca priuigno, filioque vnà cibum capturis, catillum discoloris dapis admouit. Pars quippe picea, sed croceis guttis interlita, pars albida videbatur: quippe pro varia serpentum specie, geminus pultem color infecerat. Cuius quum solam vterque particulam delibasset, Ericus non ex colorum habitu, sed interni vigoris effectu epulas æstimans, nigrantem dapis partem,sed succo potiore confectam,catino quàm celerrime verso ad se transtulit,albidamq; sibi admotam prius Rollero applicans,cœnam felicius gessit. Et ne mutationis industria notaretur,taliter,inquit, æstuante freto puppim in proram referri solitam. Nec tenue viri ingenium fuit, industrij operis dissimulationem à nauigij consuetudine mutuantis. Ericus itaque fausta iam dape refectus,interna ipsius opera ad summum humanæ sapientiæ pondus euasit. Quippe epuli vigor supra quàm credi poterat, omnium illi scientiarum copiam ingenerauit, ita vt etiam ferinarum, pecudaliumq; vocum interpretationem calleret. Neque enim solum humanarum rerum peritissimus erat, verumetiam sensuales brutorum sonos ad certarum affectionum intelligentiam referebat. Præterea tam comis atque ornati eloquij erat, vt quicquid differere cuperet, continuo prouerbiorum lepore poliret. At vbi superueniens Craca concham transpositam, partemque pultis potiorem ab Erico comesam cognouit, fortunam filio præparatam priuigno cessisse condoluit. Cui mox gemebunda supplicare cœpit, ne vnquam sua fratrem ope deficeret, quem ipsius mater tot nouæ felicitatis opibus cumulasset: quippe sapido vnius epuli gustu, rationis atque eloquentiæ summam, necnon gerendorum prospere conflictuum gratiam assecu-

Craca magæ.

Ericus ferinarum vocum interpres.

Mira pulmentivis.

tus videbatur. Adiecit quoque, Rollerum propemodum consilij capacem, futurumq; vt destinati sibi obsonij prorsus expers non esset. Monuit quoque, si suprema necessitatis violentia postularet, nominis sui nuncupatione remedium celerius esse quærendum, affirmans se diuina partim virtute subnixam, & quasi consortem cœlitum insitam numinis gestare potentiam. Ericus se ad astandum fratri natura pertrahi dixit, probrosum referens alitem, qui proprium polluat nidum. At Cracam magis propria molestabat incuria, quàm fortuna filio grauaret aduersa. Artificem enim ingenio suo deludi, magnum olim ruboris incitamentum fuit. Deinde hæc ipsa comitante viro fratres ad mare profecturos abducit. Qui vno egressi nauigio, duo sibi mox alia deuinxerunt, & iam Danicum attigere littus, quum explorato loco haud longe septem subisse nauigia discunt. Tum Ericus duos Danicæ facundos linguæ eò sine veste proficisci iubet, qui rem certius speculaturi nuditatis suæ tanquam per Ericum factæ Oddoni querimoniam afferentes, cautius explorata referrent. Illi apud Oddonem familiarius habiti, omne ducis propositum versutis auribus venati sunt. Statuerat enim diluculo hostem improuidum aggredi, quò citius nocturnis implicatum tegminibus obtruncaret, affirmans eo lucis tempore corporibus humanis plus stuporis atque grauedinis inesse solere. Præcepit quoque naues saxis ad iaciendum habilibus onerari, futuram exitij sui causam accelerans. Exploratores concubia nocte delapsi, nunciant Oddonem exquisitis ad iactum lapillis tota replesse nauigia, cætera quæ acceperant intimantes. Ericus re admodum cognita, quum classis suæ paucitatem attenderet, aquas in hostium perniciem euocandas, earumq; sibi conciliandum putauit auxilium. Itaque scapha exceptus, ac tacito remorum nisu propius hostium carinis aduectus, vicinas aquæ tabulas sensim intorto terebro cauat, ac mox remigio vix auras pulsante, reditui consulit. Adeò autem circumspectè se gessit, vt excubitorum nemo aditum eius absessum ue deprehenderet. Quo enauigante, paulatim Oddonis rates excepta rimatim vnda depressit. Eædem aqua latius introrsum stagnante recondi gurgite videbantur, nec parum descensui addidit internum lapidum pondus, & iam transtra fluctibus diluebantur, forosq; exæquabat mare, quum Oddo nauigia propemodum vndis æquata conspiciens, receptum immodicè fretum vrceis egeri iubet. Itaque nauticis occiduas nauigij partes ab aquarum influxu defendere perseuerantibus, comminus hostis apparuit. Igitur arma capessentibus acrior imminebat gurges. Parantibus prælium enandi opus incidit. Erico bellum vndæ, non arma gessere. Pugnabat pro eo mare, cui ipse nocendi vires, aditumq; præbuerat. Itaque Ericus fluctu felicius quàm ferro vsus, efficaci aquarum opera pugnam absens gerere videbatur, à pelago præsidium mutuatus. Victoria arti contributa est. Neque enim offusum vndis nauigium pugnæ patiens esse poterat. Taliter Oddone cum socijs interempto, captisq; qui in statione erant, neminem cladis nuncium euasisse compertum est. Ericus peracta iam strage, maturato recessu, Lesso insulam subit. Vbi non reperto quo famem lenire posset, duobus prædam nauigijs domum dirigit, commeatus in annum alterũ relaturis. Ipse vno duntaxat adeundi regis copiã petit. Accessa itaq; Syelandia, discurrentes per littora nautici pecus sternere aggressi sunt. Aut enim leuanda esuries, aut fame periclitandum erat. Armento cæso, nudata in nauim cadauera detractis coniecere tergoribus. Quod quum possessores pecoris comperissent, classe prædones insequi properarunt. Cumq; se Ericus ab armenti dominis impeti cognouisset, cæsarum boum corpora signatis funibus alligata fluctibus occultanda prouidit. Deinde si quid apud se quæsiti cadaueris esset, superuenientibus Syelandicis perlustrandi licentiam tribuit, affirmans occultandis rebus angustos nauium angulos esse. Illi cadauere nusquam reperto, suspicione in alios relata, reos prædæ innocuos arbitrati sunt. Dum nulla rapinæ vestigia patuissent, alios sibi nocuisse putantes, sontibus ignouerunt. Quibus enauigantibus, Ericus elatum vndis cadauer excepit. Interea Frotho Oddonem cum suis occubuisse cognoscit. Quippe ignorato facinoris autore famosus cladem rumor exceperat. Erant tamen qui se terna vela littoribus appellentia, eademq; rursum in boream abeuntia conspexisse

Probrosa ales est, quæ proprium nidum polluit.

Lesso insula.

ſpexiſſe narrarent. Tum Ericus portum à quo Frotho non longe diuerſabatur acceſſit, ſtatimq; vt è naui veſtigium extulit, inopinato caſu correptus, ruibundo terram corpore petiuit. Ille ſibi in lapſu fauſtum ominatus euentum, tenui principio meliores augurabatur exitus affuturos. Cuius quum Grep compertum habuiſſet aduentum, feſtinus ad mare contendit, quem cæteris diſertiorem acceperat, exquiſitorum verborum acumine tentaturus. Quippe non tam præſtantis quàm procacis facundiæ peruicaci cunctos ſermone vincebat. Igitur à conuitio litigium orſus, talibus Ericum dictis aggreditur:

Grep.

Stulte quis es? quid inane petis? dic vnde iter, aut quô?
Quæ via? quod ſtudium? quis pater? vnde genus?
Præcipuus vigor ijs, regumq; domeſticus eſt lar,
Qui proprias nunquam deſeruere domos.
Acceptatur enim paucis, quod peſſimus edit,
Inuiſi raro facta placere ſolent.

Ericus.

Regno mihi pater eſt habitus facundia linguæ,
Cui ſolum virtus ſemper amata fuit.
Optaui ſapere tantum diſcrimina morum,
Luſtraui varium per loca nactus iter.
In rebus mens ſtulta modum deprendere neſcit,
Turpis & affectus immoderata ſui.
Remorum ductus velorum vincitur vſu,
Aequora ventus agit, triſtior aura ſolum.
Nam freta remigium penetrat, mendacia terras,
Iſtas ore premi conſtat, at illa manu.

Grep.

Vt gallus cœni, ſic litis plenus haberis,
Sorde grauis putes, nec niſi crimen oles.
Aduerſum ſcurram cauſam producere non eſt,
Qui vacua vocis mobilitate viget.

Ericus.

Hercule, ni fallor, ad eum qui protulit ipſum
Aeditus ignauè ſermo redire ſolet.
Ad prolatorem iuſto conamine diui
Fuſa parum doctè verba referre ſolent.
Quando lupi dubias primum diſcernimus aures,
Ipſum in vicino credimus eſſe lupum.
Nulla fides fidei vacuo præſtanda putatur,
Quem rumor ſontem proditionis agit.

Grep.

Dictorum temerè pœnas puer improbe ſolues,
Bubo viæ vacuus, noctua luce carens.
Quæ nunc ructaris demens, emiſſa dolebis,
Interituq; tui dicta profana lues.
Exanimis coruos exangui corpore paſces,
Eſca feris, auidæ præda futurus aui.

Ericus.

Augurium timidi, prauiq; aſſueta voluntas,
Nunquam ſe digno continuere loco.
Qui dominum fallit, qui fœdas concipit artes,
Tam ſibi quàm ſocijs inſidioſus erit.
Ede lupum quicunq; fouet, nutrire putatur
Prædonem proprio perniciemq; lari.

Grep.

Non ego reginam ſicut tu rere fefelli,
Sed teneræ tutor conditionis eram.
Hæc mihi res auxit, huius mihi gratia primum
Munera, robur, opes, conſiliumq; tulit.

Ericus.

En te cura premit culpæ rea, tutior huic eſt
Libertas, cui mens intemerata manet.
Decipitur quiſquis ſeruum ſibi poſcit amicum,
Sæpe ſolet domino verna nocere ſuo.

Ad hæc Grep reſponſionis aptitudine deſtitutus, admiſſis equum calcaribus excipit. At vbi domum peruenit, tumultuoſo clamoris impetu regiam complet, verbisq; ſe victum vociferans, omnem in arma militem concitabat, tanquam manu infauſtum vocis certamen vlturus. Iurabat enim ſe aduenam aciem aquilarum vnguibus ſubſtraturum. Contrà rex docet deliberationem furori dandam: improuida plerunque nocere conſilia: nihil caute ſimul ac celeriter geri poſſe: plurimum præcipites obeſſe niſus. Ad vltimum multitudine paucos inceſſere non decere. Cæterum ſolertem eſſe, qui furenti animo frenos inijciat, ſæuientemq; ad tempus impetum interpellet. Taliter rex præcipitem iuuenis iram conſilio cedere coëgit, nec tamẽ concitati animi rabiem adeò penitus ad modeſtiam euocauit, quin altercationum athleta parum proſpera diſceptatione confuſus, negata armorum vindicta, ſaltem vltionis loco veneficia ſibi patêre depoſceret. Quo impetrato, cum exquiſita magorum turba littus repetere parat. Primum itaque immolatis dijs, equi abſciſſum caput conto excipiens, ſubiectis ſtipitibus diſtentos faucium rictus aperuit, ſperans ſe primos Erici conatus atrocis ſpectaculi formidine fruſtraturum. Arbitrabatur enim ineptas barbarorum mentes oblatæ ceruicis terriculamento ceſſuras. Et iam Ericus obuium illis iter agebat. Qui proſpecto eminus capite obſcœnitatis apparatum intelligens, ſilere ſocios, cautiusq; ſe gerere iubet, nec quenquam temere præcipitare ſermonem, ne incauto effamine vllum maleficijs inſtruerent locum, adijciens ſi ſermone opus incideret, verba ſe pro omnibus habiturum. Iamq; medius illos amnis ſecreuerat, quum magi vt Ericum pontis aditu deturbarent, contum quo equi caput refixerant fluuio citimum locant. Ille nihilominus intrepide pontem aggreſſus, in latorem, inquit, geſtaminis ſui fortuna recidat, nos melior conſequatur euentus, male maleficis cedat, infauſtæ molis gerulum onus obruat, nobis potiora tribuant omina ſoſpitatem. Nec ſecus quam optabatur euenit. Continuò nanque excuſſa ceruice ruens ferentem ſtipes oppreſſit. Ita omnis ille maleficiorum paratus, ad vnius execrationis imperium ſpe ſua vacuus expirauit. Deinde procedentem pauliſper Ericum ſubit, deſtinanda regi eſſe ab aduenis dona. Igitur repertum fortè glaciale fruſtum veſte diligenter obuoluens, muneris loco regi deferendum curauit. At vbi ad regiam peruentum eſt, prior introitum petens, fratrem ponè conſequi iubet: & iam vernæ regis vt ludibrio venientem exciperent, lubricam limini ſubſtrauere pellem, quam ingrediente Erico celeri funis tractu corripientes, lapſum inſiſtenti feciſſent, ni Rollerus ponè ſubiens pectore nutabundum exciperet fratrem. Ericus itaq; ſemifuſus, nudum habere tergum fraternitatis inopem referebat. Cumq; Gunuara talia regi permittenda negaret, ille ſtoliditatis legatum damnabat, apud quem inſidiarum cautela non eſſet. Itaq; ludibrij excuſationem ludificari incuriam fecit. Ardebat intra ædem ignis vultui temporis haud indebitus. Quippe iam medium hyemis fluxerat, hinc diſtinctis conſeſſibus, hinc rex, inde pugiles aſſedere. Qui applicante ſe ipſis Erico, vlulantiũ more horriſonas dedere voces. Rex ſtrepitum inhibere cœpit, docens non debere pectoribus humanis ferinos ineſſe ſonos. Subiunxit Ericus, canum hunc eſſe morem vt vno inchoante, cæteri latratum edant, quod propriã cuncti moribus originem prodant, ac ſuũ quiſq; genus fateatur. Interrogatus autẽ à Colone, qui delatorũ regi munerũ cuſtos erat, an vlla ſecum dona vexiſſet, glaciem quam ſinu occultauerat, pro-

rat, promit. Quam cum illi trans foculum porrexisset, tanquam manu recipientis elapsam flammis deinduſtria tradidit. Cunctis qui aderant conſpicuum nitore fruſtum cernentibus, viſum eſt igni liquidum incidiſſe metallum. Quod cum Ericus receptoris incuria excuſſum eſſe contenderet, quid ſupplicij muneris amiſſori debeatur, inquirit. Rex reginæ ſententiam conſulit, quæ ſuadere cœpit, ne ipſe legis à ſe latæ ſtatutum ſolueret, qua tranſmiſſorum ſibi munerum perditores morte mulctandos cauiſſet. Cæteri quoq; decretam lege pœnam remittendam eſſe negabant. Itaque rex ſupplicij neceſſitatem admittere monitus, Colonem laqueo conſumi permiſit. Deinde Frotho Ericum alloqui ſic orſus eſt: Tu qui verborum faſtu ac phaleratæ vocis oſtentatione laſciuis, vnde huc te, aut cur aduentaſſe commemoras? Ad hæc Ericus: A Renneſeo prodij, ſedemq; apud lapidem cepi. Contrà Frotho: Quô deinde conceſſeris, rogo. Cui Ericus: Diuerti à lapide trabe vectus, identidemq; apud lapidem locum cepi. Ad hæc Frotho: Quorſum inde curſum direxeris, aut vbi te veſper exceperit, quæſo. Tum Ericus: Profectus à petra ad ſaxum perueni, itemq; apud lapidem cubui. Cui Frotho: Creber illic cautium numerus erat? Ad hæc Ericus: Crebrior harena patenter conſpicitur. Contrà Frotho: Quid tibi negocij fuerit, aut quorſum illinc declinaueris, refer. Tum Ericus: Profectus à petra delphinum curſitante nauigio reperi. Cui Frotho. Iam noua prompſiſti, quanquam vtrunque horum in mari frequens ſit, ſed velim quis te deinde trames abduxerit noſſe. Ad hæc Ericus: A delphino delphinum petiui. Contrà Frotho: Frequens illic delphinorum eſt agmen? Tum Ericus: Frequentius vndis innatat. Cui Frotho: Libet ſcire quô te à delphinis proficiſcentem viæ captauerit labor. Ad hæc Ericus: Arboreum mox truncum offendi. Contrà Frotho: Quorſum poſt hæc iter emetiri cœpiſti? Tum Ericus: A trunco ad ſtipitem conceſſi. Cui Frotho: Frequens illic arboribus locus exiſtit, cum hoſpitum tuorum ſedes tam crebro truncorum nomine complectaris. Ad hæc Ericus: Frequentior nemoribus ineſt. Contrà Frotho: Quô deinde veſtigium pertuleris, ede. Tum Ericus: Identidem ad trunca ſyluarum robora penetraui, me autem illic acquieſcente, exatiati humanis cadaueribus lupi ſuprema telorum acumina collambebant. Ibi cuſpis à robore regis excuſſa eſt Fridleui nepos. Cui Frotho: Hæreo altercationis anceps, cum intellectum meum obſcura admodum ambage fefelleris. Ad hæc Ericus: Præmium à te peracti certaminis merui, cui ſub inuolucro quædam haud ſatis intellecta deprompſi. Cædem enim Oddonis mea geſtam manu ſuperiori cuſtodis appellatione ſignaui. Cui cum regina quoq; eloquentiæ palmam ac victricis facundiæ præmium adiudicaſſet, continuò rex armillam brachio ſuo detractam decretæ mercedis loco tradidit, atque ſubiunxit, velim ex temet habitam tibi cum Greppo diſceptationem cognoſcere, qua illum palàm ſe victum proteſtari non puduit. Tunc Ericus: Robur illum exprobrati adulterij perculit, cui cum defenſionem afferre non poſſet, cum tua ſe faſſus eſt vxore mœchatum. Et rex ad Hannundam conuerſus, qua mente criminationem exciperet, percontatur. Quæ non ſolum voce crimen confeſſa, ſed etiam vultu teſtem reatus ruborem exerens, euidens culpæ indicium præbuit. Rex non verba modò, verumetiam oris ſigna conſpiciens, ſed qua lege in ream animaduerteret hæſitans, debitam crimini pœnam reginæ contulit arbitrio decernendum. Quæ cum creditum ſibi iudicium reatui ſuo affine cognoſceret, ideoq; æſtimationem criminis aliquandiu ſententiæ dubiæ volutaret, diſſiliens Greppus, vt Ericum telo traijceret, procurrit, criminantis cæde ſuam redimere cupiens. Quem Rollerus diſtricto enſe occupans, molitionis ſuæ prædamnauit exemplo. Aitq; Ericus, optima eſt affinium opera opis indigo. Et Rollerus: Inter aſperos caſus officioſe adſciſcendi ſunt boni. Tum Frotho: Credo euenturum vobis, quod vulgò dici aſſolet, ferienti interdum breue percuſſionis gaudium fore, nec diu manum ictu exhilarari ſolere. Et Ericus: Non eſt arguendus, cuius operi excuſamentum iuſtitia tribuit. Tantum enim inter meam atq; Greppi operam diſtat, quantum inter defendentis ſe, atq; alium impetentis intereſt actionem. Deinde fratres Greppi fremebundi diſſilire cœperunt, iurantes ſe, aut in totam Erici claſſem vltores, aut pu-

In aſperis caſibus officioſè boni ſunt adſciſcendi.

gnam ei, denisq; cum ipso pugilibus illaturos. Quibus Ericus: Ægris iter arte prouidendum est. Hebetem tenenti aciem, mollia ac tenera lustrare conuenit. Retusum habenti cultrum, artuatim sectionis perquirenda est via. Quoniam ergo laboranti optima est mali mora, nec quicquam in aduersis necessitatis dilatione felicius, triduum apparatui peto, dummodo assequi possim à rege recens mactatæ pecudis tergus. Cui Frotho: Corium meretur, qui corio concidit, aperte superiorem petitori exprobrans casum. At ille exhibita pelle, crepidas creat, quas abietino gummi interfusis mixtim harenis obliniens, quo firmius vestigia poneret, suis suorumq; pedibus adaptauit. Considerato tandem quem certamini locum legeret, terrestris pugnæ, & totius militaris operæ rudem se referens, campum gelati maris exposcit. In hunc vtrisq; consensum est. Rex apparatibus inducias tribuens, Westmari filios secedere iubet, incongruum asserens, etiam male meritum hospitio aduenam pelli. Deinde ad inuestigandum supplicij modum, cuius exigendi arbitrium reginæ mandauerat, redit. Quæ quum omissa censura veniam lapsui precaretur, adiecit Ericus: Muliebriter erratis sæpius ignoscendum esse, nec pœnam infligendum esse, nisi correctio culpam nequiuisset auertere. Ignouitq; Hannundæ rex. Appetente crepusculo apud Gotarum, inquit Ericus: Epulaturi in conuiuio militis, non solum cœnacula procurantur, sed etiam per ascriptos confessus certi distinguuntur accubitus. Rex loca, quibus athletæ sui insederant, occupanda concedit. Deinde verna epulum affert. At Ericus comitatis regiæ non ignarus, qua prandiorum vti reliquijs vetabatur, frustum cuius particulam delibasset, abiecit, integras escas, lacera ciborum fragmenta nominans. Ita rarescentibus epulis, ministri alias inopiæ atq; verecundiæ suggerunt, paruulæ cœnæ impendentes, quod grandi conuiuio sufficere potuisset. Ait ergo rex: Assolet'ne Gotari miles tactam semel dapem tanquam amolita ciborum crusta disperdere? primaq; fercula vltimorum ritu fragminum aspernari? Ad hæc Ericus: Nihil sibi de Gotari moribus incondita vendicauit affectio, nihil assuetudo incomposita possidet. At Frotho: Ergo domini tui moribus discors, non omnem argueris prudentiam attendisse. Qui enim maiorum exemplis obuiat, transfugam ac defectorem se probat. Tum Ericus: Sapiens à sapientiori erudiri debet, discendo enim doctrina proficit, dogmate disciplina prouehitur. Contrà Frotho: Quid mihi exemplaris documenti hæc tuæ superfluitatis imitatio dabit? Ad hæc Ericus: Tutius regem fides paruula, quàm ingens vallat perfidia. Cui Frotho: Ergo tu nos accuratiore cæteris obsequio complecteris? Tum Ericus: Nemo non natum stabulo, aut ingenitum præsepio applicat. Necdum omnium experientiam accepisti. Præterea apud Gotarum potionis vsus epulo permixtus esse solet, liquor cibo coniunctim superadditus comessabundos iuuat. Contra Frotho: Impudentiorem potus aut epuli petitorem non reperi. Ad hæc Ericus: Pauci tacentis egestatem æstimant, aut silentis necessitudinem metiuntur. Tum soror regis ingenti patera potionem proferre iussa, cuius Ericus dexteram cum oblato simul cratere corripiens, an hoc, inquit, regum optime munus tua mihi delegauit humanitas? Num mihi quod teneo irreuocabilis doni loco cessurum esse confirmas? Rex pateram tantum postulari ratus, pronunciat donum. At Ericus virginem sibi veluti cum patera datam applicat. Quo viso rex, fatuum, inquit, opera prodit. Apud nos intacta virginum libertas haberi solet. Tunc Ericus puellæ manum perinde ac poculi nomine traditam, ferro defecturum se simulans, & si, inquit, plura quàm dederis ceperim, aut si totum temere teneo, saltem parte potiri liceat. Rex promissi errore recognito, puellam tradidit, nolens incuriæ vitium leuitate rescindere, quo grauior pollicentis videretur autoritas, quanquam inania pacta reuocare, maturitati potius quàm inconstantiæ deputetur. Deinde illum ad naues accepta reuertendi sponsione dimittit, tempore quod pugnæ debebatur instante. Ericus cum suis crustatum glacie æquor aggressus, lubricum instabilemq; gradu hostem solearum nixus firmitate prostrauit. Statuerat enim Frotho, ne quis inclinatis, aut laborantibus auxilio foret. Deinde victor repetit regem. Igitur Gotuara consumptæ infeliciter sobolis exitio mœsta, simulq; eam vlcisci auida, pronunciat aduersus Ericum altercandi collibitum sibi

Exemplis maiorũ obuians, se defectorem esse demonstrat.

Fatuũ sua prodit opera.

tum ſibi fore certamen, ita vt ipſa torquem magni ponderis, ille vitam in pignore poneret, aut aurum vincendo, aut lethum ſuccumbendo laturus. Comprobante certamen Erico, penes Gunuarã pignus deponitur. Igitur Gotuara prior ſic orſa:

Quando tuam limas admiſſa cote bipennem,
Nónne terit tremulas mentula quaſſa nates?

Ericus ſic contrà.

Vt cuiuis natura pilos in corpore ſeuit,
Omnis nempe ſuo barba ferenda loco eſt.
Remigijs homines artus agitare neceſſe eſt,
Motus quippe ſuos nam labor omnis habet.
Cum natis excipitur nate, vel quum ſubdita penem
Vulua capit, quid ad hæc addere maius erit?

Ad hæc illa tanquam elocutionis inops, cui necem deſtinauerat, aurum tradere coacta eſt, filiorum interfectori pœnæ loco eximium erogans munus. Cumulata ſiquidem infelicitas eſt, non vindicata malignitas. Primum enim orbitati adacta, ac deinde verborum violentia confutata, cum opibus ſimul eloquentiæ precium perdidit. Beauit liberorum ſublatorem, autorem orbitatis ſuæ præmio munerata. Nihil pro repenſanda filiorum clade, præter inſcitiæ probrum, ac rerum inopiam referens. Quo viſo, Weſtmarus verbis ſuperiorem, viribus inceſſere ſtatuit, vincentis præmium in victi nece conſtituens, vt vtriuſq; ſalus in pignore poſita videretur. Nec Ericus conditione vti abnuit, ne lingua quàm manu promptior exiſtimari poſſet. Erat autem tale certaminis genus: circulus vimine vel fune contextus, magno pedum manuumq; conatu decertaturis raptim diſtrahentibus exhiberi ſolebat, fortiori tribuens palmam, quem colluctantium ſi quis alteri detraxiſſet, victoria donabatur. In quem modum agoniſans Ericus, correptam acrius reſtem manibus concertantis excuſſit. Quod Frotho videns, arduum, inquit, reor contra fortem fune contendere. Et Ericus: Arduum vtiq;, cum corpori ſtruma inſidet, aut tergum occupat gibbus. Statimq; propulſo pede, ſenem colli ſenilis ac dorſi fractione contriuit. Ita Weſtmarus inefficax vltionis molitor, dum vindicem agere ſtuduit, in vlciſcendorum ſortem incidit, quorum vlciſci cupierat cædem imagine profligatus. At Frothone Ericum iactu ſicæ traijcere meditante, conſcia fraternæ mentis Gunuara, ſponſum periculi præmonitura, neminem, inquit, ſapientem fore, qui ſui prouiſor non ſit. Quo dicto Ericus propulſandæ fraudis admonitus, ſuggeſtam ſibi cautelam argutus excepit. Continuò nanq; exiliens, triumphalem, ait, fore gloriam ſapientis dolum ſuimet vltorem exiſtere, modeſto vocationis genere inſidiantis ingenium lacerans. Quem quum rex repentino cultri iactu declinantem occupare non poſſet, aduerſo parieti errabundum incidit ferrum. Tunc ſic Ericus: Porrigenda ſunt amicis munera, non iactanda: probabile feciſſes donum, ſi comitem ferro vaginam dediſſes. Quam rex continuo cingulo detractam petenti tradidit, moderatione hoſtis odium deponere coactus. Ita alienæ ſimulationis induſtria delinitus, emiſſum maligne telum, benigne poſſidendum conceſſit. Sic Ericus exceptam diſſimulanter iniuriam ad beneficium tranſtulit, deſtinatũ cladi ſuæ ferrum eximij muneris loco complexus. Quod enim Frotho nocendi ſtudio geſſerat, hic liberalitatis nomine colorabat. Deinde corporum curæ indultũ eſt. Noctu Gunuara tacite excitato eo, fuga opus eſſe proponit, perquam vtile referens, rebus integris incolumi redire curru. Qua comite littus ingreſſus, claſſem regiam illic fortè ſubductam, diffiſſa laterum parte, nauigationi inhabilem reddidit, inſertisq; rurſum aſſerculis ſarſit, quo minus ab intuentibus læſio noſceretur. Deinde nauigium, quo ſe, comitesq; receperat, haud procul littore depelli curat. Quem rex laceratis inſequi nauibus parans, mox fluctu foros æquante, quanquam armis admodum onuſtus exiſteret, enare inter alios cœpit, propriæ ſalutis ſeruandæ, quàm alienæ laceſſendæ cupidior effectus. Præcipitatis in altum proris, ſedibus ſuis remiges ſtagnans introrſum æſtus excuſſit. Quo Rollerus Ericusq; conſpecto, cum contemptu periculi incunctanter ſe profundo dedere, natabundiq; fluctuantem excepere regem.

Nemo ſapiens, qui ſibi ipſe nõ prouidet.

Iamq; eum ſuperfuſa ter vnda ſubruerat, quum Ericus Cæſarie comprehenſum pelago leuat. Cætera naufragorum turba, aut aquis obruta, aut ægre littori reſtituta eſt. Rex humido nudatus cultu, ſicca circumactus veſte contegitur: multus illi ab ore liquor crebra pectoris ructatione manabat: vox quoq; eum continuis laſſata ſingultibus deficere videbatur. Tandem redditus calor, frigore hebetatos artus ſpiritu vegetiore firmabat. Reſidere ſiquidem, nec aſſurgere poterat, haud iuſte virium compos. Paulatim priſtini roboris potentia ſubijt. Interrogatus tandem, an vitam, pacemq; depoſceret: admota oculis manu, deiectam luminum aciem attollere nitebatur. At vbi ſenſim corpori virtus reddita eſt, & voci fiducia maior inceſſit, per hanc, inquit, lucem, quam inuitus excipio, per cœlum, quod parum libenter haurio, ſuſpicioq;, obſecro vos, obteſtorq;, ne mihi vlteriorem eius vſum præſtare animum inducatis. Fruſtra volentem perire ſeruaſtis. Aquis mihi interire negatum eſt, ferri ſaltem officio moriar. A nemine victus, tuo primum Erice ingenio ceſſi. Hoc infelicior, quod qui illuſtribus viris inuictus extiti, plebeio de me victoriam præbui. Ingens hoc regij pudoris irritamentum eſt. Sufficit hæc ſola duci ad moriendum cauſa, cui nihil gloria magis placere conuenit: qua ſi careat, cæterorum inopem putes. Nihil enim in rege celebrius fama. Credita mihi erat rationis, atq; eloquentiæ ſumma. Sed quorum vtroq; pollere videbar, vtroq; deſtitutus ſum: eo calamitoſior, quod regum victor, ab agreſti victus videor. Quid vita donas, quem gloria ſpoliaſti? Sororem, regnum, gazam, ſupellectilem, & quod ijs maius eſt, claritudinem perdidi, tot infelix caſibus, quot tu fortunatus agnoſceris. Quid tanto ſuperſtes dedecori reſeruabor? Quæ mihi libertas tam felix erit, vt captiuitatis ignominiam demat? Quid mihi ſequentia cõferent tempora, quę nihil niſi præteritorum miſeriam redolentia, longam animo pœnitentiam generabunt? Quid vitæ productio proderit, ſolam triſtitiæ memoriã relatura? Nihil calamitoſis iocundius morte. Felix eſt obitus, qui ſuccedit optatus. Hic non temporum dulcedinem tollit, ſed rerum faſtidium conſumit. In proſperis ſalus, in aduerſis melius fatum petitur. Nulla me meliorum ſpes ad viuendi cupiditatem adducit. Quis ad ſolidum laceratam fortunæ meæ ſortem reſarciet caſus? Et iam horum niſi periclitantem excepiſſetis, immemor eſſem. Reddideris regnum, ſororem reduxeris, inſtaurareris gazam, claritatem reparare non poteris. Nihil quod reſartum eſt, integri ſplendorem habebit. Captiuum fuiſſe Frothonem longæua recenſebit fama. Cæterum ſi inflictas vobis ex me calumnias muneratis, veſtris occidere manibus merui. Si damna recolitis, beneficij pœnitebit. Pudebit ſubuentum fuiſſe hoſti, ſi atrocitatis eius in vos magnitudo taxetur. Quid reo parcitis? quid manum à perſecutoris veſtri iugulo cohibetis? Par eſt, vt in me ſors, quam vobis parauerã, recidat. Fateor ſi mihi in vos ea, quam in me geritis poteſtas incideret, nihil à me pietati deferendum eſſe. Quod ſi vobis facto innocens ſum, voluntate ſaltem reus teneor. Redundet in me, quæſo, nocens animi culpa, qui interdum operis loco cenſeri ſolet. Si fato ferrum negatis, propria mihi manu cladem conſciſcendam curabo. Contrà ſic Ericus: Dijà te quæſo auertant ſtolidam mentem, auertant inquam, ne clariſſimæ vitæ finem flagitio quæras. Sanè quidem ab ipſis prohibitum eſt, benignum in alios, in ſe parricidam fore. Tentatus es à fortuna, quo mentis habitu aduerſa exciperes, explorante. Probamentum tibi dedere fata, non caſum. Nihil tibi mœroris inflictum eſt, quod ſors melior abolere non poſſit. Cautela etenim præbita eſt, non mutata felicitas. Nemo modeſte ſe in proſperis agit, qui aduerſa tolerare non didicit. Præterea omnis bonorum vſus poſt agnita gratius mala percipitur. Iocundior eſt voluptas, quæ rerum amaritudini ſuccedit. Salutem tuam auerſaberis, ſi ſuperfuſo ſemel æquore maduiſti? Quod ſi aquis frangeris, quando ferrum æquanimiter tolerabis? Enaſſe armatum quis non gloriæ magis tribuat quam rubori? Quot ſe felices reputarent, ſi tua ſorte infelices eſſent? Summa te rerum manet, floret animus, pubeſcit ætas, plura ſpe complecti poteris, quam geſſeris rebus. Nunquam hoc tibi leuitatis ineſſe vellem, vt non modo fugere aſpera, ſed etiam ob eorum impatientiam vitam abijcere cupias. Quouis effœminatior eſt, qui aduerſorum

Oratio Frothonis mortem exoptantis.

In proſperis ſe modeſte nemo gerit, aduerſa tolerare qui non didicit.

metu

metu viuendi fiduciam perdit. Nemo ſapientum morte res aduerſas redimere ſolet. Stulta eſt in alium indignatio, temeraria in ſe. Ignauus eſt furor qui ſuum condemnat autorem. Quod ſi vltro ob iniuriam, aut leuem animi commotionem fatum appetis, quem tui vindicem derelinquis? Quis tam amens, vt dubium fortunæ habitum proprio vlciſci interitu velit? Quis adeò felix vixit, quin triſtior illum quandoq; fortuna pulſaret? Inconcuſſa duxiſti tempora, continua felicitate vſus, & nunc ad modicam triſtitiæ ſalebram, vt dolori parcas, vitam deſerere paras? Quo modo leuiorum impatiens, grauiora deinde ſupercilia ferre poteris? Inſipidus eſt, qui nunquam mœroris poculum deguſtauit. Nemo dura non paſſus, temperanter facilibus vtitur. Qui fortitudinis columen eſſe debueras, eneruis animi ſpecimen exhibebis? Fortiſſimo parente editus, vltimæ imbecillitatis ſpectaculum dabis? Sic à maioribus diſcrepabis, vt fœminis mollior fias? Necdũ adoleſcere cœpiſti, & iam te vitæ ſatietas cepit? Quis hanc prior imaginem præbuit? Clariſſimi aui nepos inuicto patre editus, leuem contrariorum auram perpeti non valebit? Indoles tua auitæ virtutis habitum repræſentat. A nemine victus es, tua tibi ſolum incuria nocuit. Periculo per nos erutus es, non ſubactus. Amicitiam iniuriæ deputabis, odium pro gratia relaturus? Obſequio placari debueras, non moueri. Nunquam te dij eò furoris excedere velint, vt ſeruatorem inſidiatoris loco notare ſuſtineas. An eo tibi rei erimus, quo benefici ſumus, indignationem officijs contracturi? Reputabis hoſtem, cui ſalutis tuæ præmium debes? Neq; enim te liberum captiuauimus, ſed ope præuenimus laborantem. Et ecce gazam, opes, ſupellectilem reddo. Soror tua ſi mihi temere deſponſata creditur, cui decreueris nubat, enimuero intacta illi pudicitia manet. Cæterum militare tibi, ſi acceptaueris, volo. Caue ne ab re ira animum obſtines. Nulla te rerum iactura concuſſit. Nihil libertati tuæ detractum eſt. Obſequentem me tibi, non imperantem agnoſces. Qualemcunq; de capite meo ſententiam decreueris, comprobo. Idem te hic, quod in regia poſſe confide. Eandem hic, quam in aula, imperitandi potentiam tenes. Hoc de nobis in loco quicquid apud regiam placuiſſet, inſtitue. Proni ad parendum ſumus. Hactenus Ericus. At regem hæc tam in ſe, quam in hoſtem manſuefecit oratio. Deinde compoſitis pacatisq; omnibus, reditur in littus. Rex Ericum ac nauticos vehiculis excipi iubet. At vbi in regiam eſt ventum, concionem aduocari facit, in quam accerſito Erico ſub ſponſalium fide ſororem ac centurionatum dedit. Adiecit deinde faſtidio ſibi fore reginam, filiam placuiſſe Gotari: ideoq; nouum illi legationis opus deberi: optime ab ipſo negocium expleri poſſe, cuius nihil arduum conatui videretur fore. Præterea ſe Gotuaram ob celati criminis conſcientiam ſilicibus obruturum. Hanundam vero redditurum patri, ne in Dania conuerſantem capitis ſui inſidiatricem haberet. Ericus conſilium probat, ſuam imperatis operam pollicens, excepto quod reginam repudio actam, Rollero melius maritandam aſtrueret, à quo nulla maieſtati ſuſpicio foret. Quam ſententiam Frotho perinde ac diuinitus datum documentum venerabundus excepit. Regina quoq;, ne violentia aſtringi videretur, muliebriter obtemperauit, affirmans à natura dolendi neceſſitatem non eſſe, omnemq; animi ægritudinem ab opinione proficiſci ſolere. Cæterum plangendam non eſſe pœnam, quæ meritis accidiſſet. Ita ergo fratres coniunctas egêre nuptias, altero ſororem regis, altero repudiatam reginam ducente. Deinde ſumptis ſecum coniugibus, nauigationem in Noruagiam referunt. Neq; enim illas à virorum latere, aut viæ longinquitas, aut futuri periculi metus diuellere poterat, affirmantes vt plumam hirto, ſic ſe maritis cohæſuras fore. Et iam Cracam demortuo Regnero Bracuidam nupſiſſe comperiunt. Deinde paternæ gazæ memores, egeſtam humo pecuniam tollunt. At Gotarus omnem Erici fortunam, fama virum pręeunte, didicerat. Vt autem ipſum adueniſſe cognouit, veritus vltima quæq; in Noruagienſes exi mia ſui fiducia moliturum, vxore priuare, ſuamq; illi filiam ademptæ coniugis loco copulare ſtudebat. Regina nanq; nuper demortua, nullas magis quam germanæ Frothonis nuptias affectabat. Cuius Ericus intentione comperta, conuocatis ſocijs refert ſuam necdum cautibus abſtitiſſe fortunam. Cæterum ſpectare ſe faſcem labilem eſſe, qui vinculo non firmetur, perindeq; omne pœnę pondus repen-

Animi ægritudo ab opinione manat.

te decidere, quod culpæ catena non fixerit. Id eos apud Frothonem nuper expertos esse cernentes, innocentiam suam inter ægerrimos casus dijs opitulantibus fuisse defensam, eademq; vlterius conseruata, consimilem in aduersis opem sperare debere. Deinde fugam eos paulisper fingere oportere, si primum à Gotaro lacessiti forent, iustiorem belli titulum habituros. Manum siquidem capitis periculo obijci, omni iure permissum esse. Raro autem quenquam commissam cum innoxijs pugnam feliciter exequi posse. Prius ergo hostem aduersum se prouocandum esse, quo iustior eundem impetendi causa succederet. Nec plura elocutus, domum Bra cum inuisere pergit. Deinde ad Gunuaram conuersus, experiendæ eius fidei gratia percontatur, an Gotarum cordi haberet, indignum docens regiæ stirpis puellam toro popularis astringi. Quem illa per deorum numina impensius obtestari aggressa, fictim'ne an veraciter excogitata haberet: eo per serium se locutum dicente, ergo, inquit, extremum mihi ruborem inijcere paras, quam virginem adamasti, viduam relicturus. Sæpe rebus contrarium fama prædicat popularis: me de te fefellit opinio, constanti nupsisse putabam, & nunc ventis leuiorem experior, quem indubitatæ fidei fuisse sperabam. Hæc fata, abunde lachrymas dedit. Grata Erico vxoris indignatio fuit, cui mox amplexum inijciens, scire, ait, volebam, quantum tibi in me fidei esset, mors sola diremptionis nostræ ius possidet. Te tamen Gotarus raptui destinat, amorem latrocinio quæsiturus: quem quum peregerit, tua gestum simula voluntate, nihilominus nuptias dilatura, quousq; filiã mihi tui loco tradiderit. Qua impetrata, vno ego ac Gotarus die nuptias acturi sumus. Itaq; disparata nobis ad conuiuandum triclinia, sed medium parietem communicantia præbere curato, ne me fortè coram oculis habito, languidiore regem contemplatione perstringas. Hoc enim ad eludendum raptoris studium perquam efficax commentum erit. Deinde Bracum cum delecta promptissimorum manu haud procul regia delitere præcepit, sibi quum res poscceret auxilio futurum. Post hæc adcito Rollero prouocandi regis gratia cum nupta ac supellectile, simulato metu, fugam nauigio petiuit. Igitur Gotari sibi classem instare conspiciens, en, ait, arcus doli insidiarum spiculum iacit, statimq; concitatis clamore nautis, clauo puppim conuertit. Quem Gotarus propemodum aduectus, quis rector esset nauigij percontatur: Ericum esse cognoscit. Item exclamans, an ipse sit qui mirifico verborum habitu cæterorum facundiam frustraretur, inquirit. Quibus auditis, Ericus olim ab ipso se diserti cognomine donatum esse, nec frustra appellationis augurium excepisse subiunxit. Dehinc ab vtrisq; proximum in litus concessum est, vbi Gotarus Erici legatione cognita, Frothonis se refert sororem cupere, legato vero filiã exhibere malle, quo minus eum alij suam cessisse coniugem pœniteret. Itaq; nõ incongruum fore, si legationis fructus in suum recidisset latorem. Ericum igitur sibi generum complacere, dummodo per Gunuaram Frothonis affinitatem impetrare potuisset. Ericus regis beneuolentiam exosculatus, sententiam probat, vltro sibi offerri asserens, quo maius à dijs immortalibus exoptare non posset. Ab ipso tamen Gunuaræ mentem arbitriumq; prænosci debere. Illa adulantem se regem simulato fauore excepit, petentiq; promptum deferre videbatur assensum, obsecrans vt Erici nuptijs suas prę curri pateretur, quibus primum admissis, aptior regalibus suppeteret locus, ob hoc quidem maxime, ne denuò nuptura nouum connubij pactum reducta veteris memoria fastidiret. Præterea non expedire firmabat, binos paratus vna celebratione confundi. Rex responsis euectus affatim, postulata collaudat. Qui quum ex crebris Erici colloquijs clarissima sententiarum schemata, quibus animo delectari ac refici possit, hausisset, non contentus ei filiam in matrimonium dedisse, Litharfulki quoq; prouinciam tradit, beneficium affinitati impartiendum existimans. Craca vero, quæ Erico ob incantationum solertiam itineris comes adcita fuerat, aduersam oculorum valetudinem simulans, ita faciem peplo obstrinxerat, vt ne sola quidem cognoscendi capitis particula promineret: rogata quænam esset, Gunuaræ se sororem perhibuit, eadem matre, diuerso vero patre progenitam. At vbi in Gotari penates peruentum, tædarum Aliuldæ (id filiæ eius nomen erat) conuiuium exhibetur. Diuersis Ericus ac rex ædibus accumbebant, quarum tecta paries communis

Vxorum erga maritos amoris explorandi pulchrum exemplum.

communis exceperat: eædem deintus pensibilibus per totum obductæ aulæis erant. Assedit Gotaro Gunuara, sed Ericum altrinsecus Craca cum Aluilda stipabat. Qui inter iocandum subducto sensim è pariete assere, quantum loci humanum corpus transmittere posset, aperuit, ignarisq; conuiuis spacium meatui peruium fecit. Deinde sponsam an Frothoni an sibi nubere mallet, curiosius percontari inter epulas cœpit, maxime cum obseruato copularum respectu, regia proles consentaneæ nobilitatis amplexui debeatur, ne vnius coniugum dignitas, alterius indignitate depereat. Qua se inconcessis à patre nuptijs vsuram negante, reginam eam fore, cæterasq; opibus excessuram promittens, ex repugnante obsequentem effecit, nõ minus opum spe quam gloria captã. Cracam quoq; traditum est exhibitæ potionis temperamento, Frothonis amori virgineam adegisse cupidinem. At Gotarus Erici post epulas conuiuium petit, nuptialis loci licentiam adaucturus. Quo exeunte Gunuara, sicut ante iussa fuerat, subducti asseris loco peruium transgressa parietem, proximum Erico discubitum occupat. Cui Gotarus eam confessu iunctam miratus, qualiter & quare eò venerit percontari impensius cœpit, illa sororem se Gunuaræ, regemq; formarum falli similitudine memorabat. Cuius cum rex cognoscendi causa, subitò regiam repetiuisset, Gunuara postico se quô venerat referens, pristino in loco cunctis spectanda consedit. Qua visa Gotarus parum luminibus credulus, maxima cum agnitionis diffidentia ad Ericum iter remensus, relatam suo more Gunuaram præ oculis habuit. Ita quoties aularum aditus permutauit, toties vtrobiq; quam quærebat offendit. Et iam non consimilis, sed eadem hinc inde facies ingenti regem admiratione torquebat. Impossibile enim ad omnem videbatur modum, absq; notabili discrimine, eundem diuersis habitum inesse formarum. Soluto tandem conuiuio, filiam & Ericum nuptiali in cubiculum vsq; comitate prosequitur. Ipse aliâs cubitum redit. At Ericus Aliuldam Frothoni destinatam, seorsum cubare permittit, Gunuaram vt antè deluso rege complexus. Itaq; Gotarus insomnem agens noctem, stupido errantiq; animo ludificationis suę speciem agitabat: neq; enim paritas specierũ, sed identitas videbatur. Vnde incerta adeò atq; anceps illũ æstimatio subijt, vt errori tribueret, quod reuera deprehensum habebat. Tandẽ pariete fraudem instrui potuisse, animo obuersatum est. Quem cum diligentius inspici lustrariq; iussisset, nulla fractionis vestigia deprehendit. Inconcussa siquidem totius ędis integritas apparebat. Quippe Ericus nocte concubia, quo minus dolus conspicuus foret, soluti parietis sarseratlæsionem. Deinde duos cognoscendæ rei causa tacite Erici cubiculo intromissos, ac post aulæam consistere iussos, cuncta curiosius attendere iubet. Iidem Ericum cum Gunuara repertum, occidendiq; præceptum acceperant. Qui inita latenter æde, velatis cortina angulis præsentiam occultantes, Ericum ac Gunuaram nexis inuicem brachijs, communi toro fruentes conspiciunt. Quos semisopitos rati, profundiorem quietis copiam expectabant, operiri volentes, donec exequendi sceleris grauior porrigeret somnus: qui cum stertente sonorius Erico, concepti liberius somni speciem agnouissent, continuò trucidandi eius gratia, destrictis prodiere mucronibus. Quorum Ericus insidioso expergefactus accursu, cum imminentes capiti gladios suspexisset, dicto nouercæ nomine, quod olim inter pericula nuncupare iussus fuerat, promptum necessitatis remedium expertus est. Clypeus enim eius, qui sublimius à trabe pendebat, iliico in eum collapsus, inerme corpus quasi deindustria, ne à latronibus confoderetur, obtexit. At ille fortuna haud frustra vsus, proximi latronis vtrumq; pedem rapto desecuit ferro. Alterum Gunuara non impetu minori hasta transfodit, muliebri corpore virilem animum æquans. Taliter Ericus insidijs liberatus, repetito mari nocturnæ nauigationi se præparat. At Rollerus ijs qui comminus excubare iussi fuerant, signum irrumpendæ regiæ lituo dedit. Quo rex audito, hostium aduentum indicari ratus, præceps fugam nauigio tenuit. Interea Bracus & qui cum eo irruerant, conuulsam regis supellectilem, Erici manibus imponendam curabant. Medium fermè noctis agendis impensum est prædis. Quorum mane rex cognita fuga insecutionem molitus, per amicorum quendam ne quid subitò pararet, aut

opũ gloriæq; consequendæ spes quantum posit.

Egregium superstitiosæ credulitatis exemplum.

cum impetu exequeretur, admonitus est, persuadebatur quippe maiore instrumẽto opus esse, nec expedire, cum paucis in Daniã consequi fugientes. Sed ne sic quidem impatiens animus damni impetum pressit. Nihil enim magis mouerat regẽ, quàm quod alienæ cladis paratus recidisset in suos. Enauigans autem rex, peruenit in portum, qui nunc ab Omi vocabulum tenet, vbi aduersa tempestate oborta, alimentis defectus, satius arbitratus est moriendi necessitatem ferro subire, quàm fame. Itaq; nautici manu in seipsos versa, alternis vulneribus acceleruere fatũ. Rex cum paucis montium prærupta secutus elabitur. Indicium cladis, colles editi prębent. Interea Erico prospere nauigationẽ emenso. Frothoni cum Aliulda nuptiæ actæ sunt. Post hęc Sclauorũ mandatur irruptio. Ad quam coërcendã Ericus cum octo nauigijs destinatur: quippe Frotho rudis adhuc rei bellicæ videbatur. Ericus igitur ne virilem vnquam operam detrectaret, susceptũ gratulanter officium, fortiter exequendũ curauit. Qui cum piratas septenis nauibus esse cognosceret, vna tantũ è suis aduectus, reliquas ligneis propugnaculis cingi, tonsisq; arborũ ramalibus obduci iubet: deinde cum hosticæ classis numerum plenius speculaturus procederet, insequentibus se Sclauis, ocyus ad suos refugere cœpit. At hostes vt insidiarum ignari, ita fugientẽ comprehendere auidi, crebro incunctantiq; fluctus remigio concussere. Naues enim Erici liquidò cognosci non poterant, frondentis syluę speciem præferentes: qui cum angustioris se maris flexui tradidissent, subitò Erici classe conclusos vident. Sed primum inusitata facie stupidi, nauigio nemus agi putabant, deinde fraudem folijs subesse cognoscunt. Seram ergo incurię pœnitentiã agentes, habitã incautius nauigationem remetiri tentabant. Sed dum puppes obuertere parant, ab hoste eas insiliri conspiciunt. Ericus vero subducto in littus nauigio, funda procul in hostes saxa torquebat. Igitur Sclauorũ cæsi pleriq;, quadraginta capti fuere, qui postea vinculis, ac fame coërciti, inter varias cruciatus angustias spiritum deposuerunt. Interea Frotho traijciendæ in Sclauiam expeditionis gratia, tam è Danis, quàm ex finitimis ingentẽ adciuerat classem. Huius minima ratis extabat, quæ bissenos veheret nauticos, totidẽq; remigijs agi posset. Post hæc Ericus socijs patientius præstolari iussis, actæ iam cladis famam Frothoni perlaturus occurrit. Cumq; nauigando puppim fortè piraticã vadosis ac minus altis gurgitibus inflictã hærere conspiceret, quod res fortuitas dictorũ grauitate prosequi solitus erat, obscura est, inquit, ignobilium sors, fortunaq; vilium sordida. Deinde naue propius applicata, piratas proprium contis nauigium expedire conniſos, ac circa eius seruationẽ impensius occupatos oppressit. Quo peracto cum ad regiam classem rediisset, Frothonem nuncia victoriæ salutatione reficere cupiens, saluum fore florentissimæ pacis autorẽ iubet. Rex verum eius dictum fieri precatus, augurem esse sapientis animum affirmabat. Ericus vera à se dici, paruulaq; victoria maioris omen afferri respondit, exiguis sæpe rebus magnarum præsagia captari testatus. Regem deinde manũ spargere hortatus, Iutiæ equitatum terreno proficisci iti

Apparatus bel li ingens.

nere iubet, reliqua exercitus parte marinũ ineunte compendium. Tanta autẽ nauigiorum frequentia mare compleuerat, vt nec receptui portus, nec castris littora, aut commeatibus impensæ suppeterent. Terrestris aũt acies tanta fuisse fertur, vt compendij gratia complanasse montes, meabiles effecisse paludes, lacunas aggeribus exæquasse, vastissimasq; voragines iectis molibus explesse dicatur. Interea Strunico Sclauorũ rege belli inducias per legatos petente, Frotho tempus apparatui negat, affirmans hostem inducijs instrui non oportere. Præterea hactenus se bellicorũ operum expertem vixisset, nec debere eorũ initia ancipiti rerum expectatione suspendere, quod quisquis primã feliciter militiam gesserit, consimilẽ de cætero fortunam sperare possit. Tale enim quenq; omen habiturũ pugnæ, quale congressionum principia dederint, cum initiales bellorum successus, sequentibus augurio fore soleant. Ericus responsi prudentiã laudat, affirmans ita ludũ foris agi oportere, prout domi fuerit inchoatus: Danos à Sclauis prouocatos esse significans. Quod dictum acerrimo prælio prosecutus, Strunico cum gentis suæ fortissimis interfecto, residuos in fidem accepit. Tum Frotho conuocatis Sclauis per prę-

Sclaui à Danis subacti.

conem edixit, vt si qui inter eos rapinæ aut furto assueuissent, ocyus exhiberentur, promit-

promittens ſe talium mores primis honoribus donaturũ. Iuſſit etiã vt quicunq; malarũ artium ſtudijs caluiſſent, prẽmia recepturi prodirent. Grata Sclauis promiſſio fuit. Cuius ſpem quidam cupidius, quam conſideratius ſecuti, prius prodidere ſeipſos, quàm alieno poſſent indicio declarari. Quos tanta lucri cupiditas fefellit, vt ruborẽ quæſtui poſtponentes, crimen pro gloria ducerent. Quibus ſponte exhibitis, hac, inquit, Sclaui voſipſos patriã peſte vacuefacere conuenit, continuoq; eos à lictoribus abripi iuſſos, in altiſſimas cruces ciuiũ manu ſubfigendos curauit. Plures à paucioribus punitos crederes. Ita callidi ingenij rex dum veniam quam victis hoſtibus tribuit, crimen confeſſis negauit, totã penè Sclauicæ gentis ſtirpẽ conſumpſit. Sic indebiti præmij cupiditatẽ debita conſecuta eſt pœna, iuſtoq; ſupplicio indignæ mercedis auiditas adacta eſt. Crediderim iure exitio traditos, qui cum taciturnitatis munimento ſalutẽ ſeruare potuiſſent, voce periculũ adciuerunt. Rex recentis victoriæ titulis euectus, ne iuſtitia quàm armis defectior videretur, nouis exercitũ legibus formare conſtituit, quarum præſens quaſdam ritus vſurpat, quaſdã arbitraria iuris nouitas aboleuit. Edixit enim vt primipilus quiſq; prædæ partitione facta, maiorẽ cętero milite portionem acciperet: ducibus vero quibus in acie ſigna anteferri ſolerent, dignitatis cauſa captiuũ conceſſit aurum. Gregariũ vero militẽ argento voluit eſſe contentũ. Arma ad pugiles redundare, captiua nauigia popularibus cedere iuſſit, vtpote eis debita quibus condendi rates inſtruendiq; ius eſſet. Præterea ſanxit, ne quis rem familiarẽ ſeris mandare præſumeret, duplum ex fiſco regis amiſſorũ precium recepturus. Quam ſi quis arcarum clauſtris obſeruandam duxiſſet, aureæ librę regi debitor fieret. Statuit etiam vt in eum qui furi ignoſceret, furti pœna recideret. Præterea ſi quis in acie primus fugam capeſſeret, à communi iure alienus exiſteret. At vbi in Daniam redijt, vt quicquid Grep ſiniſtra morum vſurpatione corruperat, bonis artibus expiaret, arbitrariam fœminis nubendi poteſtatem indulſit, ne qua tori coactio fieret. Itaq; lege cauit, vt eis in matrimonium cederent, quibus inconſulto patre nupſiſſent. At ſi libera conſenſiſſet in ſeruum, eius conditionem æquaret, libertatisq; beneficio ſpoliata, ſeruilis fortunæ ſtatum indueret. Maribus quoq; quamcunq; primitus cognouiſſent, ducendi legem inflixit. Adulteros à veris coniugibus corporũ parte ſpoliandos conſtituit, quo minus continentia flagitijs elideretur. Edixit quoq; vt ſi Danus Dano rapinam infligeret, duplum rependeret, ac violatæ pacis crimine cenſeretur. At ſi quis rem furto quæſitam ad alienam domũ perferret, hoſpes poſt illum ædis ſuæ fores obcluderet, bonorum omnium pœnam incurreret, atq; in concione coram omnibus vapularet, quod ſe eidem delicto obnoxiũ feciſſe videretur. Præterea quiſquis exulum patrię ſuæ hoſtis euaderet, aut inimicum ciuibus ſcutum afferret, rerum ac vitæ periculo pœnas lueret. Si quis autem ad exequendum regis imperiũ ob animi contumaciã piger exiſteret, exilio mulctaretur. Solebat nanq; ſagitta lignea ferreæ ſpeciem habens, nuncij loco viritim per omnes mitti, quoties repentina belli neceſſitas inciderat. Qui vero ex popularibus primipilũ in acie anteiret, ex ſeruo liber, ex agreſti illuſtris euaderet. At ſi ingenuus foret, ſatrapa crearetur. Tanta olim audaces ſtipendia merebantur. Adeò veteres nobilitatẽ fortitudini tribuendam putabant. Siquidem non fortunæ virtutẽ, ſed virtuti fortunã deferri oportere, exiſtimatum eſt. Præcepit quoq; ne lis vlla iuriſiurandi fide aut pignorũ poſitione contraheretur. Qui vero alium pignus ſecum ponere iuſſiſſet, eidem aureæ libræ dimidium ſolueret, alioqui grauem corporis mulctam ſubiret. Prouiderat enim rex ex pignorum poſitione maximas litium cauſas incidere poſſe. De qualibet vero controuerſia ferro decerni ſanxit, ſpecioſius viribus quàm verbis confligendum exiſtimans. Quod ſi alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, perinde ac victus cauſæ detrimentum reciperet. Sin autem quauis de re pugilem popularis impeteret, ipſum armatus exciperet, cubitali duntaxat ſtipite pugnaturum. Quinetiam cladem Dani ab alienigena oppreſſi duorum extraneorum cæde ſarciendam inſtituit. Interea Gotarus ſumendi de Erico ſupplicij gratia, pugnæ exercitum comparat. Econtrario Frotho cum magno claſſis apparatu Norũagiam petit. Cum ad inſulam Renſo pariter appuliſſent, Gotarus Frothoniani

Leges Frothonis Danorum regis.

Specioſius eſt viribus quàm verbis confligere.

nominis magnitudine territus, pacem per legatos efflagitat. Ad quos Ericus, inuerecundus, ait, est latro, qui prior concordiam quærit, aut bonis communicare præsumit. Qui enim obtinere gestit, obniti debet: ictus ictui opponendus est, liuorq; liuore pellendus. Cumq; hoc dictum Gotarus attentis eminus auribus excepisset, quàm poterat clara voce ita inquit: Quisque virtuti militat, prout beneficij meminit. Cui Ericus: Beneficentiã tuam reddito tibi consilio repensaui. Quo sermone egregios monitus omni donorum genere pręstantiores indicabat. Et vt Gotarum accepti consilij ingratum ostenderet, quando coniugem mihi, inquit, cum vita adimere cupiebas, melioris exempli speciem laceraſti. Solum inter nos ferrum decernendi ius obtinet. Post hæc Gotarus parum prospera congressione Danorum classem adortus occiditur. Cuius regnum Rollerus beneficij nomine postmodum à Frothone suscepit, quod septeno prouinciarum numero tendebatur. Eundem quoq; Ericus collata sibi quondam à Gotaro prouincia muneratus est. His gestis, Frotho per summam ac securam pacem triennium gessit. Inter hæc rex Hunorum audito gnatæ repudio, adiuncto sibi rege orientalium Olimaro, aduersum Danos biennio belli apparatũ contraxit. Igitur Frotho non solum indigenas, sed etiã Noruagienses, ac Sclauos in copias vocat. A quo Ericus hostiles speculatum acies missus, Olimarum qui classis magistratũ acceperat, Hunorum rege terrestres ductante copias, haud procul Ruscia reperit, quem taliter affari cœpit:

Quid sibi vult quæso belli grauis iste paratus?
Aut quô classe potens rex Olimare ruis?

At Olimarus.

Fridleui natum nobis incessere cordi est,
Et quis es audaci talia voce rogans?

Ad quem Ericus.

Vincendi inuictum subiyt spes irrita mentem,
Frothonem nullus exuperare potest.

Contrà Olimarus.

Quicquid contingit primo, semel accidit, & res
Non sperata satis sæpe subire solet.

Qua sententia à nemine nimium fiducia fortunæ reponendum esse perdocuit. Deinde Ericus Hunorum agmen exploraturus obequitat. Quod Ericum præteriens, inuicemq; ab ipso præteritum, primam ortiuo sole aciem, postremã occiduo præbuit. Itaq; penes quem tot millium regimen foret, ab obuijs scisciatus est. Quem Hun fortè conspiciens, rex hic Hunorum erat, speculandi ministerium accepisse cognouit, perquiritq; quod percunctatori vocabulum foret. Ericus se vbiq; aduentantem, nec vsquam compertum vocitari perhibuit. Rex item admoto interprete, quid Frotho operis exerceret interrogat. Cui Ericus: Nunquam Frotho domi inimicum præstolatur exercitum, nec hostem in ædibus operitur: pernox enim & peruigil esse debet alienum appetens culmen: nemo stertendo victoriam cepit, nec luporum quisquam cubando cadauer inuenit. Quem rex exquisitis dictorum sententijs callere cognoscens, hic ait fortasse Ericus est, à quo filiam meã falsi criminis insimulatam accepi. Qui continuò prendi iussus, nõ decere, inquit, vnum à pluribus abripi. Quo dicto nõ modo regis animũ complacauit, sed etiam adignoscendi sibi voluntatem perduxit. Cuius impunitatis causam potius à calliditate quàm beneuolentia profectam constabat, cum ob hoc maxime dimittere tur, vt Frothonem nunciatæ multitudinis rumore terreret. A quo cum reuersus explorata referre iuberetur, sex classium senos reges, earumq; quamlibet quina nauium millia complectentem vidisse se retulit, quarum vnamquanq; trecentorum remigum capacem esse constaret. Quemlibet vero totius summæ millenarium quaternis alis contineri dicebat. Volebat autem millenarium mille, ac ducentorum capacem intelligi, cum ala omnis trecentorum numero compleatur. Cunctante vero Frothone, quid contra tot acturus esset, attentiusq; subsidia circunspiciente: probum, inquit Ericus, audacia iuuat: acri cane occupandus est vrsus: molossis quippe non imbellibus auiculis opus est. Quo dicto Frothoni contrahendæ

Nemo vnquã stertendo victoriã consecutus est.

hendæ classis consilium præbuit. Qua instructa aduersum hostem nauigatio tenditur. Igitur insulas quæ Daniam orientem q; interiacent, prælijs subigunt. Vnde procedentes naues aliquot Rutenę classis offendunt. Quarum cum Frotho paucitatem incessere deforme duxisset, à macro, inquit Ericus, & tenui petendus est cibus. Raro pingueſcet qui cadit. Neq; enim mordendi potens est, quem vastus occupauerit follis. Quo documento regi irruptionis edendæ ruborẽ excussit, eũq; mox ad paucitatem multitudine lacessendam perduxit, vtilitatem pudori præferendam significans. Post hæc ad Olimarum processum est, qui multitudinis segnitie excipere hostem, quàm aggredi præoptabat: quippe Ruthenorum nauigia incomposita, minusq; ob granditatem ad remigium habilia videbantur. Sed ne ei quidem numerositatis potentia profuit. Inusitata nanq; Ruthenorum multitudo copijs quàm virtute præstantior, robustæ Danorum paucitati victoriam tradidit. Frotho cum patriam repetere vellet, inauditum nauigationis impedimentum expertus est. Quippe crebra interfectorum corpora, nec minus scutorum, hastarumq; fragmenta iactante æstu vniuersum maris constrauerant sinum. Itaq; portus non angusti minus, quàm olidi erant. Igitur medijs obstrictæ cadaueribus hæsere puppes. Nec putria quidem ac circunflua corpora remis abigere, aut contis propellere poterant, quo minus vno sublato, mox aliud aduolutum impelleret classem: bellum cum mortuis obortum crederes. Nouum contra exanimes discrimen extabat. Igitur Frotho conuocatis quas vicerat gentibus, lege cauit vt quisquis paterfamiliàs eo conciderat bello, cum equo omnibusq; armaturæ suæ insignibus tumulo mandaretur. Quem si quis vespillonum sceleſta cupiditate tentasset, pœnas non solum sanguine, sed etiam inhumato cadauere daret. Busto atq; inferijs carituru. Siquidem par esse credebat, vt alieni corruptor cineris, nullo funeris obsequio donaretur, sortẽq; proprio referret corpore, quam in alieno perpetrasset. Centurionis vero, vel Satrapæ corpus rogo propria naue constructo, funerandum constituit. Dena autem gubernatorum corpora vnius puppis igne consumi præcipit. Ducem quempiam aut regem interfectum proprio iniectum nauigio concremari. Tam scrupulosam ducendis interfectorum funeribus obseruationem præstari voluit, ne promiscuos exequiarum ritus existere pateretur. Iamq; cuncti Ruthenorum reges, Olimaro Dagoq; exceptis, Marte conciderant, bella quoq; Ruthenos ex Danorum imitatione celebrare præcepit, ac ne quis vxorem nisi emptitiam duceret, venalia siquidem connubia plus stabilitatis habitura censebat, tutiorem matrimonij fidem existimans, quod precio firmaretur. Præterea si quis virginis stuprum vi petere ausus esset, supplicia absciſſis corporis partibus lueret, elioqui mille talentis concubitus iniuriã pensaturus. Decreuit etiam vt quisquis militiæ deditus, spectatæ virtutis titulum affectaret, impeteret vnũ, exciperet duos, tres modica pedis retractione vitaret, quatuor fugere non erubesceret. Aliam quoq; super militum stipendijs consuetudinem à subiectis sibi regibus obseruandam edixit. Patrium domesticumq; militem hyberno tempore ternis argenti talentis donari iussit, gregarium aut conductitium binis, priuatum ac militiæ laboribus defunctum duntaxat vno. Qua lege virtuti iniuriam afferebat, conditiones militum non animos æstimans. In quo quidem erroris argui poterat, cum familiaritates meritis anteferret. Post hæc interrogatus à rege Ericus, an Olimari copias Hunorum æquaret exercitus, carmine sic eloqui orsus est:

Ruthenorũ regum strages.

Hercule deprendi nulli numerabile vulgus,
Vulgus cuius erat terra nec vnda capax.
Colluxere ignes crebri, sylua omnis obarsit,
Index innumeræ flamma cohortis erat.
Calcibus obtrita tellus subsedit equinis,
Edebant rapidos stridula plaustra sonos.
Ingemuere rotæ, ventos auriga premebat,
Vt tonitrum currus assimulasse putes.
Vix armatorum cœtus sine lege ruentes,
Ponderis impatiens pressa ferebat humus.

Obmugire aër visus mihi, terra moueri,
Tantus in externo milite motus erat.
Nam quindena simul vexilla micantia vidi,
Quodq; ex ijs centum signa minora tenet.
Post quorum quoduis poterant bis dena videri
Signorum numero: par erat ordo ducum.

Igitur Frothone quid contra tot opponeret perquirente, redeundum docet, patiendumq; hostes propria primum immanitate consumi. Obeditum monitui est. Neque enim minore studio probatum consilium quàm editum fuit. At Huni per auia solitudinesq; progressi, nusquam repertis commeatibus, passim inedia pericli- 10
tari cœperunt. Quippe regio vasta ac palustris extabat, nec erat vllum egestatis subsidium reperire. Tandem fusis comesisq; iumentis, tam vehiculorum quàm victus inopes spargebantur. Cæterum error par fami periculum erat. Non equis, non asinis parcitur, non fœdis aut putribus abstinetur. Postremo ne canibus quidem temperatum est, nephas omne morientibus licitum fuit. Nihil enim tam difficile, quod necessitas suprema non imperet. Ad vltimum fame exhaustis publica clades incessit. Efferebantur absque cessatione corpora, cunctisq; exitium formidantibus, nulli miseratio pereuntium fuit, humanitatem quippe metus excluserat. Primum itaque regem paulatim defecere cohortes, deinde centuriatim defluxit agmen: deseruit eum quoque Vggerus vates, vir ætatis incognitæ, & supra hu- 20
manum terminum prolixæ, qui Frothonem transfugæ titulo petens, quicquid ab Hunis parabatur, edocuit. Inter hæc Hithinus rex aliquantæ Noruagiensium gentis, Frothonis classem centum quinquaginta nauigijs accedebat. Equibus duo decim lectis, propius nauigationem cœpit habere, erecto in malum scuto socios aduentare significans. Qui regi in proximum amicitiæ gradum receptus, magnum copijs eius attulit supplementum. Eidem postmodum cum Hilda Hogini Iutorum reguli filia, spectatæ admodum opinionis virgine, mutuus amor incessit. Quippe nondum inuicem conspectos, alterna incenderat fama. At vbi mutuæ conspectionis copia incidit, neuter obtutum ab altero remittere poterat, adeò pertinax amor oculos morabatur. Interea Frotho distributo per municipia mili- 30
te, diligentius impensas hybernis commeatibus necessarias conuectabat. Sed ne sic quidem onerosum impensis exercitum sustentare suffecit. Par propemodum Hunorum cladi pernicies incidit. Igitur ad inhibendum aduenarum confluxum, classe in Albiam missa, ne quid traijceretur, curæ habuit. Cuius duces Reuillus & Meuillus fuere. Soluta hyeme Hithino, Hoginoq; socialem exequi piraticam placuit. Ignorabat enim Hoginus suam à sodali filiam adamari. Erat autem is corporis habitu præstans, ingenio peruicax, Hithinus vero corpore perquam decoro, sed breui extitit. Cæterum cum Frotho sustentandi exercitus sumptum in dies difficiliorem aduerteret, Rollerum in Noruagiam, Olimarum in Suetiam, Oneuum regem, & Glomerum piratarum præcipuum ad Orcades petendorum commeatuũ 40
gratia dirigit, proprias cuiq; copias tribuens. Triginta reges sequebantur Frothonem, qui ipsum amicitia vel obsequio colerent. Audiens autem Hun, dimissas à Frothone copias, nouum recentemq; militem contrahit. At Hoginus filiam suam Hithino despondit, coniurato inuicem vter ferro perisset, alterum alterius vltorem fore. Autumno petitores commeatuũ redeunt, trophæis quàm alimentis locupletiores. Rollerus enim prouincias Summoriam & Normoriam, occiso earum rege Arthorio, vectigales effecerat. At Olimarus Thoriã Longum Ianitorum atq; Helsingorum regem, duosq; alios haud inferioris potentiæ duces, Hestiam quoq; & cum Olandia Curetiam, sed & insulas Suetiæ prætentas celeberrimus Barbariæ domitor triumphauit. Itaq; septingenta reducebat nauigia, duplicato eductorum antea numero: Oneuo vero & Glemero, Hithino quoq; & Hogino Orcadum trophæa cessere. Hisdem cum nongentis nauibus reditum est. Et iam quæsiti late sumptus, conuectæq; raptu impensæ alendis abunde copijs suppetebant. Cæterum viginti regna imperio Frothonis adiecerant, quorum reges triginta prædictis adiuncti, Danorũ partibus militabant. Hac virium fiducia cum Hunis pugna conseritur.

Huni periclitantur inedia.

Frothonis maiestas amplifs.

feritur. Cuius prima dies tanta interfectorum strage recruduit, vt præcipui tres Rusciæ fluuij cadaueribus velut ponte constrati, peruij ac meabiles fierent. Præterea quantum quis itineris per triduum equo conficere posset, tantum locorum humanis cadaueribus completum videres, adeò spatiosa cædis vestigia erant. Itaq; prælio septem dies extracto, occîdit rex Hun. Cuius frater eodem nomine inclinatam Hunorum aciem conspicatus, cum sua se cohorte dedere cunctatus non est. Eo Bello septuaginta ac centum reges, qui aut ex Hunis erant, aut inter Hunos militauerant, submisere se regi. Quem numerum Ericus superiori signorum expressione complexus fuerat, cum Hunorum multitudinem Frothone percontante distingueret. Igitur Frotho vocatis in concionem regibus, sub vno eodemq; iure degendi normam imponit. Præfecit autem Olimarum Holingardiæ, Oneuum Conogardiæ, Hun vero captiuo Saxoniam tribuens, Reuillum Orcadibus donat. Prouincias Helsingorum, Iarnberorum, & Ianitorum, cum vtraq; Lappia, Dimaro cuidam procurandas attribuit. Dago Hestiæ regimen erogauit, quorum vnumquenq; certis tributi legibus onerauit, obsequium beneficio applicans. Itaq; Frothonis regnum Rusciam ab ortu complectens, ad occasum Rheno flumine limitatum erat. Interea Hithinus apud Hoginum quorundam obtrectatione insimulatus est, quasi filiam eius ante sponsalium sacra stupri illecebris temerasset, quod tunc immane cunctis gentibus facinus habebatur. Igitur Hoginus credulus auribus rem falso nunciatam excipiens, Hithinum regia apud Sclauos stipendia colligentem, classe lacessit, consertaq; manu victus Iuliam petiuit. Itaq; statam à Frothone pacem internum labefactauerat bellum, primiq; indigetes regiam detrectauere legem. Quamobrem Frotho missis qui simul eos accerserent, scrupulosius causam simultatis inquirit. Qua cognita, iuxta legis à se latæ formulã pronunciauit. Videns autem ne sic quidem eos in gratiam reduci posse, patre filiã pertinacius reposcente, litem ferro decidendam edixit. Id quippe solum dirimendæ controuersiæ remediũ videbatur. Inita pugna Hithinus acerrima perstrictus plaga, cum sanguine & viribus corporis deficeret, insperatam hostis clementiam expertus est. Hoginus siquidem promptissimam occidendi ipsius facultatem adeptus, formæ tamen eius, & iuuentæ miseratione sæuitiam mansuetudini cedere coëgit. Itaq; ne ephebum inter extremi spiritus momenta palpitantem extingueret, abstinuit ferro. Olim nanq; impuberem, aut inualidum vita spoliare rubori deputabatur. Adeò cuncta verecundiæ momenta prisca pugilum fortitudo seruabat. Ita Hithinus sociorum opera ad naues relatus, hostis beneficio seruatus est. Idem septimo abinde anno apud insulam Hithinso pugnam exorsi, mutuis vulneribus consumpti sunt. Felix Hoginus foret, si circa deuictum semel Hithinum seueritate potius quam clementia vsus fuisset. Ferunt Hildam tanta mariti cupiditate flagrasse, vt noctu interfectorũ manes redintegrandi belli gratia carminibus excitasse credatur. Eodem tempore Alrico Sueonum regi aduersum Gestiblindum Gothorum regem atrox incidit bellũ. At Gestiblindus viribus minor, Frothonẽ supplex accessit, se ac regnũ percipiendę opis gratia dediturus. Qui mox Skalc Scanico, atq; Erico in subsidium receptis, cum supplementis militũ redit. Cumq; militiæ procursum in Alricum effundere statuisset, Ericus prius filium eius Gunthionum, Wermis ac Solongis prælatum censuit impetendum, oportere asserens fessum tempestate nautam proximum captare littus. Præterea radicum inopem raro virere truncum. Igitur irruptione facta perit Gunthionus, nomenq; eius tumulus refert. Audiens Alricus interemptionem filij, vltum ire deproperat. Conspicatus hostes Ericum clandestino accersitum colloquio, recensitis patrum suorũ fœderibus, vt Gestiblindi militiam detrectaret, orabat. Quod Erico pertinacius abnuente, cum Gestiblindo dimicandi licentiam flagitat, priuatam pugnam publicè proferendã existimans. Quem Ericus senectute armis inhabilem referens, tristẽq; eius valetudinẽ maxima cum ætatis excusatione prætendens, se eius loco obtulit pugnaturũ, probrosum docens, si duellum præstare refugeret, pro quo bellũ commissurus veniisset. Hinc absq; cunctatione dimicatum est. Occiso Alrico Ericus quam grauissime affectus, ægre compertis remedijs, serũ incolumitatis regressum

Incredibilis humanæ strages.

Inualidum vita spoliare quãdã pudori deputatum fuit.

Qui bellum cõmissurus venit, si duellum præstare nolit, probrum contrahit.

habuit. At Frothoni ipsum occubuisse falso fama vulgauerat, mentemq; regis mâgno ob id mœrore torquebat. Quam tristitiam Ericus reditus sui beneficio dispulit. Quippe Suetiam, Wermiam, Helsingiam, atq; insulas Solis, opera sua Frothonis adiectas imperio nunciabat. Quem mox Frotho deuictarũ ab eo gentium regem constituit, ac præterea Helsingiam ei cum vtraq; Lappa, Finniam quoq; & Estiam annuo stipendiorũ iure contribuit. Nemo ante ipsum Sueticorum regum Erici nomine censebatur, ab ipso autẽ in cæteros vocabulum fluxit. Eodem tempore regnabat Alfin Hetmarchia, filium habens Asmundũ. Biorno vero in Wik prouincia, cui Asuitus filius erat. Accidit autem Asmundum parum prospere venationi intentum, dum feras aut canibus occupare, aut cassibus excipere pergeret, irruente fortè caligine longius à retiarijs auio fuisse calle diuulsum, vastaq; pererrantem iuga tandem equo & vestibus destitutum, fungos & tubera peredisse, ad vltimum in Biornonis regis penetralia fortuito deuenisse progressu. Præterea ipse filiusq; regis conuictu paulisper habito, ad confirmandum inter se amicitiæ cultum omnibus coniurauere votis, quencunq; eorum vita prolixior excepisset, mortuo contumulandum fore. Tantus enim societatis eorũ atq; amicitiæ vigor extabat, vt neuter altero fatis absumpto, lucem prorogare statueret. Post hæc Frotho omnium subiectarum sibi gentium manu contracta classe Noruagiam petit, Erico terrenum agmen ductare iusso. Humanæ siquidẽ cupiditatis more quo plura possederat, plus affectans, etiam vastissimam atq; horridissimam orbis terrarum partẽ ab hoc iniuriæ genere intentatam existere passus non est. Adeò opũ accessio auiditati incrementũ afferre consueuit. Igitur Noruagienses abiecta defensionis spe, rebellandi fiducia defecti, in Halogiæ fines maiore ex parte profugere cœperũt. Stikla quoq; virgo seruandæ castitatis causa patriæ se subduxit, bellis quàm nuptijs exerceri præoptans. Inter hæc Asuitus morbo consumptus, cum cane ac equo terreno mandatur antro. Cum quo Asmundus ob amicitiæ iusiurandũ viuus contumulari sustinuit, cibo quo vesceretur illato. Iamq; Ericus cum exercitu superiora permensus, Asuiti fortè tumulum appetebat: cui Sueones thesauros inesse rati, ligonibus perfregere collem. Itaq; maioris quàm credebatur altitudinis specum aperiri conspiciunt. Ad quem perlustrandum opus erat eo, qui se in illum pendulo circumligatũ fune demitteret. Delectus est fortè ex promptissimis iuuenibus vnus, quem quũ Asmundus sporta restim sequente intromissum aspiceret, protinus iecto eo, corbem conscendit. Deinde superne astantibus, ac moderantibus funem, abstrahendi signum porrexit. Qui ingentis pecuniæ spe reducto corbe quum ignotam extracti speciem animaduerterent, inusitata facie territi, defunctumq; redisse rati, proiecta reste in diuersa fugêre. Quippe Asmundus tetro oris habitu, ac veluti funebri quodã tabo obsitus videbatur. Qui fugientes reuocare conatus, vociferari cœpit, falso eos formidare viuum. Quem videns Ericus, præcipue cruentati oris eius imaginem mirabatur. In vultu siquidem profluus emicabat sanguis. Quippe Asuitus noctibus rediuiuus crebra colluctatione læuã illi aurẽ abruperat, fœdumq; indigestæ ac crudæ cicatricis spectaculũ apparebat. Igitur à circunstantibus accepti vulneris causam referre iussus, sic orsus est fari:

Asmundus etiam viuus cum amico mortuo consepelitur.

Mortuus qui fuerat, de nocte rediuiuus cum aduersario colluctatur.

Quid stupetis qui relictum me colore cernitis?
Obsolescit nempe viuus omnis inter mortuos.
Mala soli grauis vni manet omnis domus orbis.
Miseri quos hominum subsidijs destituit fors.
Mihi specus & iners nox, tenebræq; & vetus antrum
Oculis delicias eripuerunt, animoq;.
Humus horrens, tumulus putris, & immunditiarum
Grauis æstus minuerunt iuuenilis decus oris,
Habitumq;, & validi roboris vsum vitiarunt.
Super hæc omnia contra exanimem conserui vim,
Graue luctæ subiens pondus & immane periculum,
Laceris vnguibus in me rediuiuus ruit Asuit,
Stygia vi reparans post cineres horrida bella.

Quid

Quid ſtupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obſoleſcit nempe viuus omnis inter mortuos.
Neſcio quo ſtygij numinis auſu
Miſſus ab inferis ſpiritus Aſuit,
Sæuis alipedem dentibus edit,
Infandoq; canem præbuit ori.
Nec contentus equi vel canis eſu,
Mox in me rapidos tranſtulit vngues,
Diſciſſaq; gena ſuſtulit aurem,
Hinc laceri vultus horret imago,
Emicat inq; fero vulnere ſanguis.
Haud impune tamen monſtrifer egit,
Nam ferro ſecui mox caput eius,
Perfodiq; nocens ſtipite corpus.
Quid ſtupetis, qui relictum me colore cernitis?
Obſoleſcit nempe viuus omnis inter mortuos.

Iamq; Frotho in Halogiæ fines emouerat claſſem, vbi ad cognoſcendam multitudinis ſuæ ſpeciem, quæ numeri menſuram, capacitatēq; tranſcendere videbatur, collem à militibus congeri iubet, viritim lapide in aceruum miſſo. Eundem quoq; haſtis numerandi agminis modum ſecutus eſt. Conſpicui adhuc colles fidem viſentibus præbent. Hic Frotho conſerta cum Noruagienſibus pugna, grauem cædibus diem egit. Noctu vtrinque receptui conſultum eſt. Appetente diluculo terreſtria permenſus ſuperuenit Ericus. Hic regi certamen ſuggerit iterandum. Quo bello tanta de Danis ſtrages accepta eſt, vt è ternis nauium millibus ſolæ centumſeptuaginta ſuperſtites fuiſſe credantur. Normani vero tam vaſta clade deleti ſunt, vt fama ſit, ne quintæ quidem vicorum parti remanſiſſe cultorem. Victor Frotho pacem per omnes gentes reficere cupiens, vt vniuſcuiuſq; rem familiarem à furum incurſu tutam præſtaret, ociumq; regnis poſt arma deſereret, armillam vnam in rupe, quam Frothonis petram nominant, alteram apud Wig prouinciam habita cum Noruagienſibus concione, deſixit, edictæ à ſe innocentiæ experimentum daturas, ſubductis ijſdem, in omnes regionis præſides animaduertendum minatus. Itaque ſummo cum præfectorum periculo aurum abſque cuſtodia medijs affixum triuijs, magnum auaritiæ irritamentum extabat, opportuna rapinæ præda plena cupiditatis ingenia prouocante. Statuit idem, vt nauigantes repertis vbicunque remis licite fruerentur. Amnem vero tranſituris vſum equi, quem vado proximum reperiſſent, liberum eſſe conceſſit. Eodem deſcendendum fore conſtituit, quum priores eius pedes ſolum attingerent, poſtremos adhuc vnda ſublueret. Talium ſiquidem commodorum beneficia potius humanitatis, quàm iniuriæ nomine cenſenda credebat. Cæterum reum capitis fieri, qui ſuperato amne equi vſum longius expetere præſumpſiſſet, inſtituit. Iuſſit etiam, ne quis ædem vel arcam ſeris obfirmatam haberet, aut rem vllam clauſtrorum cuſtodia contineret, triplicem amiſſorum reſtitutionem promittens. Præterea tantum alieni cibi in commeatus aſſumi fas eſſe, quantum vni cœnæ ſufficeret, promulgabat. Quam ſi quis in capiendo menſuram excederet, furto obnoxius haberetur. Furi vero traiectis ferro neruis in ſuſpendium acto, lupum collateralem affigi præcepit, vt malitiam hominis acerbitati belluæ ſimilitudo exæquaret pœnæ. Eandem quoq; in furtorum conſcios mulctam extendi curauit. Ibidem ſeptennio iocundiſſimum ocij tempus emenſus, filium Aluonem, filiamq; Oſuram nomine procreauit. Iiſdem fortè diebus Arngrimus pugil Sueticus Frothonem acceſſerat, qui Scalc ſcanicum, quod ab eo olim nauigio ſpoliatus fuerat, ex prouocatione laceſſitum occîdit. Quo facinore ſupra modum elatus, aggreſſus eſt Frothonis filiam poſtulare. Obſeratas regis aures expertus, Erici Suetiam regentis ſubſidium flagitat. Quem Ericus hortari cœpit, vt aliquo præclari operis merito Frothonis ſibi fauorem aſciſceret, pugnaretq; aduerſum Egtherum regem Biarmiæ, & Thengillum regem Finnimarchiæ, quod ij ſoli cæteris obſequentibus,

Normanorum clades ingens.

Aurum poſitum in triuiis.

Danicum detrectare viderentur imperium. Nec mora, eò exercitum egit. Sunt autem Finni vltimi Septentrionis populi, vix quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac manſione complexi. Acer ijſdem telorum eſt vſus. Nõ alia gens promptiore iaculandi peritia fruitur. Grandibus & latis ſagittis dimicant, incantationum ſtudijs incumbunt, venationibus callent. Incerta illis habitatio eſt, vagaq; domus, vbicunq; feram occupauerint locantibus ſedes. Pandis trabibus vecti, conferta niuibus iuga percurrunt. Hos Arngrimus conciliandæ ſibi claritatis cauſa adortus, obtriuit. Qui quum infeliciter dimicando fuga dilaberentur, tribus lapillis poſt tergum coniectis, totidem montium inſtar hoſtibus apparere fecerunt. Igitur Arngrimus ludificati viſus errore perſtrictus, ab inſectando hoſte exercitum reuocauit, magnarum ſe rupium interiectu coërcitum putans. Iidem poſtera die congreſſi, victiq;, coniectæ in terram niui ingentis fluuij ſpeciem indiderunt. Itaq; Suetis per ſummum viſus errorem falſa rerum opinione deluſis, inuſitata aquarum moles obſtrepere videbatur. Ita victore vanam aquarum imaginem formidante, fugam impetrauere Finni. Tertio identidem die reparauere bellum, nec iam amplius vllum fugę efficax remedium fuit. Videntes enim ſuas inclinari acies, poteſtati ſe permiſere victoris. Quibus Arngrimus hanc tributi legem inſtituit, vt recenſito Finnorum numero, rheda ferinis pellibus conferta, ab vnaquaq; decade loco cenſus, exacto triennio, penderetur. Deinde Egtherum Biarmiæ ducem duello prouocatum deuicit, indiditq; conditionem Biarmis viritim pellem pro capite perſoluendi. Poſt hæc ſpolijs trophæisq; auctus, ad Ericum reuertitur. Quem Ericus in Daniam conſecutus, multam iuuenis laudem Frothonis auribus inſtillabat, dignum regis filia affirmans, qui imperio ipſius vltimos humanarum rerum terminos adieciſſet. Cuius egregia Frotho merita contemplatus, haud incongruum duxit, eius ſe ſocerum exhibere, qui ſibi tantis operum titulis, patentem late claritatem ſtruxiſſet. Suſtulit autem Arngrimus duodecim ex Oſura filios, quorum hæc nomina ſubnotaui: Brander, Biarbi, Brodder, Hiarrandi, Tander, Tiruingar, duo Haddingi, Hiorthuar, Hiarthuuar, Rani, Angantir. Hi ab adoleſcentia piratico muneri incumbentes, vno omnes forte nauigio Sampſo inſulam aduecti, duas in maritimis naues Hialmeri atq; Aruaroddi piratarum reperiunt: quas pugna adorti remigibus vacuefecere, atq; an gubernatores oppreſſiſſent incerti, interfectorum corpora ſuis quæq; tranſtris aptantes, quæſitos abeſſe cognoſcunt. Qua de re mœſti, partam floccipendere victoriam, ſcientes ſibi conſequentis pugnæ diſcrimen maiore ſalutis impendio ſubeundum. Quippe Hialmerus atq; Aruaroddus, quorum iampridem abrupto gubernaculo tempeſtas nauigia lacerauerat, alterius excidendi gratia nemus ingreſſi, ligni rudem extenuauere materiam, eouſq; truncum dolabris ambientes, donec naualis inſtrumenti formam vaſtum robur indueret. Quod quum humeris impoſitũ ſociæ cladis ignari deferrent, ab Oſuræ filijs recenti oppreſſorum cruore madentibus laceſſiti, duo cum pluribus ferro decernere coacti ſunt. Nec par quidem congreſſus extabat, cum geminam biſſena manus exciperet. Cæterum victoria numero non reſpondit. Interfectis enim omnibus Oſuræ filijs, oppreſſoq; ab hiſdem Hialmero, victoriæ Aruaroddum titulus non fefellit, quem ſolum ex tanto ſociorum agmine fortuna reſiduum fecit. Qui informem adhuc gubernaculi truncũ incredibili libratũ niſu tanta vi hoſtiũ adegit corporibus, vt duodecim vnico eius impulſu cõtuſos elideret. Ita cuncta admodum bellicarum rerum tempeſtate depulſa oceanũ manus adhuc piratica non reliquit. Quæ res maxime Frothonem ad occidentem armis inceſſendum adduxit, cuius vnicum in propaganda pace ſtudium verſabatur. Accerſito ergo Erico, cunctaq; famulantium ſibi regnorum claſſe concita, Britanniam innumera aduehitur puppi. Cuius inſulæ rex manu ſe imparem noſcens (quippe fretum nauigijs videbatur occludi) Frothone per deditionis ſimulationem petito, non ſolum magnitudinem eius adulationis officio proſequi cœpit, ſed etiam domitoribus gentium Danis ſuam, patriæq; ſubiectionem promittit, penſiones, cenſum, vectigalia, ſiue quicquid expeterent, offerebat. Ad vltimum hoſpitaliter inuitandos curat. Grata Frothoni Britanni humanitas fuit, quanquam doli ſuſpicionem aleret, tam facilis

Finni populi magicæ artis periti.

Sampſo inſula.

omnium

omniũ absq; coactione promissio, tam prompta hostium ante bella deditio, quæ raro syncera fide administrari solet. Lacessebat quoque conuiuij metus, veritos ne clandestinis insidijs appeteretur subeuntis crapulæ laqueis implicata sobrietas. Cæterum rarior inuitatorum numerus videbatur, quam vt tuto inuitanti parêre possent. Ineptum quoque existimatum inexpertæ hostium fidei credere salutem suam. Qua rex mentium fluctuatione comperta, denuò Frothonem accedit, cum duobus millibus ac quadringentis viris epulaturũ accersens, quem anté cum mille ducentis proceribus conuiuium inire popoſcerat. Frotho nondum suspicione deposita, quanquam adaucto inuitatorum numero fretus, petendi conuiuij fiduciam mente præsumere posset, subornat qui regionis abdita percurrentes, si quid insidiarum speculando deprehenderent, ocyus intimandum curarent. Cuius rei causa nemus ingressi, reperta castrorum acie, quæ Britannorum copias attinebat, dubium pressere gressum. At vbi res liquidius agnita est, pedem deferre deproperant. Furua siquidem tentoria fuere, & quasi piceis quibusdam obscurata tegminibus, quò minus obtutum propinquantis offenderent. Quo cognito, Frotho validiore procerũ manu mutuas dispensat insidias, ne conuiuio incautius adito, opportunis fraudaretur auxilijs. Quibus latebrã nactis, ferẽdæ opis signum ad litui sonitum prænotauit. Deinde cum statuta manu leui armorũ genere culta conuiuiũ petit. Aula erat cultu magnificentię regalis instructa, aulæis ostro tinctis vndiq; secus obducta, in quibus mirifici luxus operam annotares. Cortina murice picta cõpactos ligno parietes adornabat. Cõstrata pallis nitidioribus pauimẽta, quas pede premere perhorreres. Supernè cerneres crebras micare lucernas, adultas oleo lampades coruscare. Ex acerris quoq; fragrantia fundebatur, quã suauissimus vapor exquisitis cumulabat odoribus. Ambitum omnem frequentibus epulis mensæ cõsepserant. Intextis auro puluinaribus ornabantur accubitus. Ceruicalibus sedilia replebantur. Reuerendã aulæ faciem visentibus arridere putares, nec quicq̃ in tanto paratu, aut visu inconcinnum, aut olfactu triste deprendi poterat. Media dolium ęde perstabat explẽdis aptum poculis, & liquoris immodici capax, vnde haurire esset, quod ingentis ora cõuiuij satiaret. Ministri purpura culti aureos gestantes cyathos, propinandiq; munus comiter exequentes, cõpositis gradiebantur ordinibus. Nec bubalinorum cornuum, quibus potio promeretur, vsus aberat. Aureis cœna pateris refulgebat, nitidioribus onusta poculis, quæ plerunque fulgentes interstinxerant gemmæ. Ingens omnia luxus repleuerat. Mensæ dapib⁹ luxuriabant, crateris vario potionis genere redundãtibus. Nec meri simplex vsus extabat, quum petiti late succi vario nectar sapore conficerent. Sapidioribus lances epulis renidebant, quos maximè venatica referserat præda. Sed ne domesticæ quidem carnis obsonia deerant. Parcius domesticis, q̃ conuenis bibendi studium erat. Hos enim securitas incitabat ad crapulã, illis insidiarum cõmẽtum ebrietatis illecebram dempserat. Dani igitur (vt patriæ pace loquar) siccandis certatim calici bus assueti, ingenti se onerauere vino. Quos Britanni potos admodum conspicati, conuiuio furtim elabi cœperunt, relictisq; intra aulam conuiuis, summis cõniti viribus valuas regiæ admotis obicibus, varijsq; impedimentorum generibus obserare, deinde tectis ignem inferre orsi. At Dani qui intra ædem clausi continebantur incendio pullulãte pulsatis nequicquam foribus ab egressu prohibiti, ipsum mox adorti parietem, eruptionis facultatem petebant. Quem Angli validiore Danorũ impulsu labefactari cernentes, mutuis obniti viribus, molibusq; extrinsecus applicatis, nutabundam fulcire congeriem institerunt, quo minus cõuulsus paries clausis exitum aperiret. Qui tandẽ robustiori Danorum manui cedẽs, quorum quo periculum maius, hoc validior conatus extabat, facilẽ pressis eruptionẽ contribuit. Tũ Frotho classicũ succinere iubet, quo manũ in insidijs cõstitutã accerseret. Quæ litui sono clangentis excita, dolum in autores retorsit, Britannorum rege extremę cladi cũ innumeris suorum copijs tradito. Quo facto geminũ Frothoni beneficiũ p̃buit, quum & saluti socijs, & hostibus exitio fuerit. Interea Hyberni, crebrescẽte Danicæ fortitudinis fama perculsi, quo difficiliorẽ partium suarum irruptionem p̃starent, ferreos terrę murices instrauerunt, quibus littorũ vetaretur accessus. Vti

Aula regia Britannorum lautissimis cũ epulis, tum rebus aliis instructissima.

Dani poculis addictissimi.

Hybernorum belligerantiũ æstutia.

tur autem Hybernorũ gẽs leui & parabili armatura. Nouaculis comam extẽuat, totum occipitij crinem abradit, ne fugiens capillitio teneatur. Cæterum telorum cuſpides obuertit inſtantibus, mucronumq; acumina inſequentibus deinduſtria opponere aſſolet, ac plerunq; poſt tergum lanceas iaculari, doctior fuga ſuperare, quàm bello. Quo fit vt cum victoriam tibi ceſſiſſe putes, diſcrimẽ immineat. Tam inſidioſam hoſtium fugam Frotho conſideratius quàm cupidius inſectatus, ducẽ gentis Keruillum acie fudit. Cuius ſuperſtes frater, depoſita rebellandi fiducia, patriam dedidit regi. Captiuam rex prędam militi diſpartiuit, vti ſe totius auaritię expertem, & à nimia rerum cupiditate auerſum, ſolius gloriæ lucrum appetere teſtaretur. Itaque poſt Britannicos triumphos, Hybernásque manubias in Daniam reditum eſt, annisque tricenis ab omni bellorum negocio temperatum eſt. Quo tẽ-

Danorum gloria.

pore cunctis penè terris eximia fortitudinis laude Danicum nomen inclaruit. Volens itaque Frotho fulgorem imperij ſui perpetuo firmitatis habitu prorogare, primum aduerſum furta ac latrocinia tanquam familiaria mala ac domeſticas peſtes ſeueritatem ſuam diſtringere curæ habuit, quibus vacuefactæ gentes tranquilliorem vitæ vſum apprehenderent, ne propagatæ pacis inceſſus vllo malignitatis obſtaculo lęderetur. Prouidit quoq; ne ceſſante hoſte, ciuilis patriam lues exederet, aut poſt exteram pacẽ domeſtica graſſaretur improbitas. Deniq; in Iutia tanquam in capite regni ſui magni ponderis auream armillã triuijs affigi curauit, edictæ à ſe innocentiæ experimentũ tam inſignis prædæ documẽto daturus. Cuius irritamentum quãquam improbas laceſſeret mẽtes, ac ſiniſtra ſolicitaret ingenia, ſuperabat tamẽ indubitatus periculi metus. Tanta ſiquidẽ Frothonianæ maieſtatis autoritas erat, vt etiam aurum rapinæ expoſitũ perinde ac firmioribus clauſtris obſitũ tueretur. Cuius rei nouitas, ingentem autori claritatem conciuit. Qui quũ patratis latè cædibus inſignes vbiq; victorias edidiſſet, ociũ omnibus erogare conſtituit, vt pacis iocunditas bellorũ atrocitati ſuccederet, & cladis finis ſalutis initiũ foret. Sed

Chriſti natiuitas.

& omniũ opes ob hoc maxime edicti munimẽto vallãdas curauit, ne domi raptorẽ inuenirent, quæ foris hoſtibus caruiſſent. Per idẽ tẽpus publicę ſalutis autor mũdum petẽdo ſeruãdorum mortaliũ gratia mortalitatis habitum amplecti ſuſtinuit, cum iã terrę ſopitis bellorũ incẽdijs, ſereniſſimo trãquillitatis ocio fruerẽtur. Credi tum eſt tam profuſæ pacis amplitudinẽ vbiq; æqualem, nec vllis orbis partibus interruptam, nõ adeò terreno principatui, q̃ diuino ortui famulatã fuiſſe, cœlitusq; geſtum, vt inuſitatũ temporis beneficiũ, p̃ſentem temporũ teſtaretur autorem. In-

Veneficæ fraus

ter hæc matrona quædã magicæ rei perita, plus ſpei in arte ſua, quàm metus in regis ſæuitia reponens, filiũ petendæ furtim prædæ cupiditate ſolicitat, impunitatẽ promittẽs, quod Frotho fato propemodũ confinis extaret, occiduo corpore ægras ſenilis animæ reliquias trahens. Quo materno hortatui periculi magnitudinẽ opponente, melius eum ſperare iubet, aut maritimã bouẽ fœtum edituram, aut aliũ quempiã caſum vltioni repugnaturũ affirmans. Qua voce ſolutũ metu filium, hortamẽto obſequi coẽgit. Quo facto Frotho perinde ac cõtumelia laceſſitus, ad diripiendos matronæ penates, maximo impetu, ſtudioq; cõtendit, præmiſſis qui eam cum liberis cõprehenſam adducerent. Quod p̃ſciens fœmina, ludificatis pręſtigio hoſtibus, fœmineã ſpeciẽ equina permutandã curauit. Accedẽte verò Frothone, maritimæ bouis figurã cõplexa, paſtũ in littore vagabunda petere videbatur: filios quoq; tanq̃ minores corpore vitulos adumbrabat. Cuius monſtri rex admiratiõe captus, circuiri ipſos, reditũq; eis ad vndas negari iubet. Deniq; vehiculo, quo ob annoſi corporis inualitudinẽ vtebatur, excedẽs, humi mirabundus cõſedit. At ma-

Frothonis interitus.

ter, quæ maioris belluæ ſpeciẽ ſumpſerat, p̃tento cornu regẽ adorta, alterum eius latus cõfodit. Quo vulnere exanimatus, indebitũ tantæ maieſtati exitum habuit. Cuius mortẽ milites vltione proſequi geſtiẽtes, petita iaculis portenta configunt. Quibus interemptis, animaduertũt humana cadauera ferinis capitibus prædita. Ea res maximè præſtigium detexit. Hic Frothonis toto orbe clariſſimi regis exceſſus fuit. Huius egeſtis viſceribus, ſalitum corpus triennio proceres aſſeruandũ curabant, prouinciarũ defectionem vulgato regis exitu formidãtes, mortẽq; eius ob hoc maximè clam exteris eſſe cupientes, vt vitę ſimulatiõe propagati iampridẽ im-

perij

perij terminos tuerentur, priſtinaq́ue ducis autoritate ſubnixi, conſuetam à ſubiectis penſionem elicerent. Deportabatur itaq; ab eis exanimum corpus, vt iam non funebri lecto, ſed regali vehiculo geſtari videretur, tanquã inualido ſeni, nec ſatis virium compoti id muneris a milite deberetur. Tantum magnificentię etiam extincto ab amicis tributum eſt. At vbi putidos artus extrema corripuit ſanies, nec tabes reprimi poterat, ſecus Weram Sialandiæ pontem regio funere tumulauere corpus, affirmantes Frothonem eo loci mortis ac buſti copiam exoptaſſe, vbi regni eius præſtantiſſima haberetur prouincia.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI QVINTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER
SEXTVS.

DEFVNCTO Frothone, Dani Fridleuũ qui apud Ruſciã educabãtur, falſo extinctũ rati, quũ iam regnũ hęredis inopia claudicare, nec in regia gẽte cõtinuari poſſe videretur, hũc ſceptro digniſſimum arbitrati ſunt, qui illuſtrãdi Frothonis gratia, recẽti eius tumulo plenũ laudis carmẽ affigeret, famãq; extincti regis ſpecioſo poſteris titulo commẽdaret. Tunc quidem Hiarnus Danicæ admodum poẽſis peritus, vt claritatem viri inſigni dictorũ monumento proſequeretur, præmij magnitudine concitatus, more ſuo barbarũ condidit metrum, cuius intellectũ quatuor verſiculis editũ in hæc verba tranſcripſit:

Frothonem Dani, quem longum viuere vellent
Per ſua defunctum rura tulere diu.
Principis hoc ſummi tumulatum ceſpite corpus,
AEthere ſub liquido nuda recondit humus.

Hiarnus poẽta obſcriptum aſe ſuper morte Frothonis ẽpitaphium diademate à Danis donatur.

Quo carmine edito, autorem Dani diademate munerati ſunt. Ita ab eis epitaphiũ regno repenſum, imperijq; pondus paucarum literarũ contextui donatũ eſt. Adeò exili impendio ingens prẽmium ſtetit. Eximium exigui poẽmatis precium, famam quoq; Cæſarianæ retributionis exceſſit. Diuus ſiquidem Iulius victoriarum ſuarum toto orbe editarum ſcriptorem, illuſtratoremq;, municipio donare contentus extitit. Nunc vero ruſticano regnum prodiga plebis humanitas erogauit. Sed ne Africanus quidem in repẽdendis operum ſuorum monumentis, munificentia Danos æquauit. Illic enim elucubrati voluminis merces auro ſimplici ſtetit, hîc agreſti ſceptrum incondita verſuum paucitas miniſtrauit. Eodem tempore Ericus qui Suetiæ præfecturam gerebat morbo exanimatus eſt. Cuius filius Haldanus paterna procuratione functus, quum xij. fratrum Noruagiæ oriundorum crebris congreſſibus terreretur, nec oppreſſioni vindicta ſuppeteret, ſpe capeſſendæ opis Fridleui tunc Ruſciæ conſiſtentis copiam profugio petiuit. Quem ſupplici vultu aggreſſus, ſeq; ab externo hoſte confractum ac contuſum deplorans, triſtem iniuriarum querimoniam afferebat. Per quem Fridleuus accepto paternæ mortis nuncio, ſupplicem auxilijs proſecutus, Noruagiam armis inſtructus accedit. Quo tempore prædicti fratres deficientibus à ſe ſocijs, intra inſulam rapidiſſimo ambitam fluuio præaltum moliti vallum terreſtrem in plano munitionẽ extenderant, cuius receptaculo freti, crebra vicinos irruptione laceſſerant. Excedentes enim inſula, continente extructo ponte petere conſueuerant. Quem portæ munitionis annexũ ita quodã funiculorũ regimine moderari ſolebãt, vt quaſi volubili aliquo cardine circũuectus, modo trãs flumẽ iter ſterneret, modo occulto reſtiũ ductu ſupernè retractus ianuæ deſeruiret. Fuere autem iuuenes hi acres animis, robuſti iuuenta, præſtabiles habitu corporis, gigantæis clari triumphis,

trophæis gentium celebres, ſpolijs locupletes. Quorundam verò ex ipſis nomina, nam cætera vetuſtas abſtulit, ſubnotaui: Gerbiorn, Gunbiorn, Armbiorn, Stenbiorn, Eſbiorn, Thorbiorn, & Biorn. Hic equum habuiſſe traditur præſtantem corpore, præpetem velocitate, adeò, vt cæteris amnem traijcere nequeuntibus, hic ſolus obſtrepentem indefeſſus vorticem ſuperaret. Cuius aquæ lapſus tam in cito ac præcipiti volumine defertur, vt animalia nandi vigore defecta plerunq; peſſunda re ſoleat. Ex ſummis enim mõtium cacuminibus manans, dum per cliuorum præ-
rupta ſaxis exceptus eliditur, in profunda vallium multiplicato aquarum ſtrepitu, cadit, verùm continuo ſaxorum obſtaculo repercuſſus, celeritatem impetus eadẽ ſemper æquabilitate cõſeruat: Itaq; toto aluei tractu vndis vniformiter turbidatis, ſpumeus ubiq; candor exuberat. At vbi ſcopulorum anguſtijs euolutus laxius ſtagnando diffunditur, ex obiecta rupe inſulam fingit. Præruptum hincinde iugum eminet varijs arborum generibus frequens, quarũ obiectus amnem eminus perui deri non ſinat. Præterea Biornoni inuſitatę ferocitatis canis extabat, horrendæ qui dem acerbitatis bellua, atque humano conuictui formidoloſa, quę ſæpius biſſenos ſola viros oppreſſerit. Sed quoniam tradita magis quã cognita referũtur, fidẽ arbiter penſet. Hæc ſiquidem, vt accepi, deliciarum quõdam loco habita, Offoti gigantis inter paſcua tuebatur armentum. At iuuenes latrocinio viciniam inceſſere ſoliti, magnas ſæpe ſtrages edebãt: populari penates, armẽta ſternere, diripere omnia, ingentem agere prædam, ſpoliatas rebus ædes exurere, mares paſſim cum fœminis obtruncare, probitatis loco curatum eſt. Quorum improuidã Fridleuus irruptionem excipiens, omnes ad monimentũ refugos egit, occupato eximiarum viriũ equo quem præceps metu ſeſſor maturandæ fugæ gratia citra amnem relictũ, pontem ſecũ traijcere non audebat. Deinde ſi quis fratrum illorũ quempiã interemiſſet, interfecti corpus auro ſe repenſurũ edixit. Qua ſpe quidam regiorũ pugilũ inciti, nec tam auaritiæ, q̃ virtutis ardore correpti, conuento tacitè Fridleuo operam ſe facinori daturos promittunt, ſalutem admodũ deuouentes, ni trunca prædonũ capita retuliſſent. Quorum Fridleuus virtute & promiſſione laudata, arbitris expectare iuſſis, ſolo cõtentus comite, noctu fluuiũ petit. Ne enim alienis q̃ proprijs viribus inſtructior videretur, auxilium virtute præcurrere ſtatuit. Poſt hæc comitem crebro contuſum ſilice exanimauit, iniecitq; exangue vndis corpus, cui etiam detractum ſibi cultum applicuit, eiuſdem exuuias mutuatus, vt intuito cadauere, peri clitationis regiæ ſpecies daretur. Iumentum quoq; quod eum vexerat elicito deinduſtria cruore conſperſit, eodem caſtra repetente, necis ſuæ fidẽ facturus. Deinde calcaribus ſubditis medijs equum vorticibus adegit, eoq; ſuperato amne delapſus, prætentum munimento vallum per ſubiectas aggeri ſcalas tranſcendere conabatur. At vbi ſupernè euectus propugnacula manu complecti poterat, illato tacitè pede, ædem quam comeſſabundi prædones inſederant, ignaris vigilibus leui ſuſpenſoq; veſtigio petit, cuius conclaue nactus ſub imminente foribus teſtudine cõſiſtebat. Iuuenes ſiquidem à munimenti firmitate profecta ſecuritas ad crapulam prouocabat, arbitrantes incitatiſſimi lapſus fluuium inacceſſum feciſſe præſidium, qui nec nando traijci, nec ratibus ſuperari poſſe videretur. Neq; enim vlla amnis pars peruiam vadi copiã dabat. Tum Biorno conuiuali hilaritate ſuffuſus, egreſſam vndis belluam per quietem ſibi conſpectam affirmat, quæ triſtes ore flammas egerẽs, continenti cuncta incendio daret. Quamobrem indagandã inſulæ latebram eſſe, adeò nec locorũ habitui confidendũ, vt nimia ſecuritatis præſumptione extrema incautis pernicies afferatur. Nihil enim ita ſitu munitũ eſſe, cui ſi humana deſit opera, ſimplex naturę tutela ſufficiat. Præterea ſummopere cauendũ, ne ſomni ſui denunciationem triſtior cladis euentus excipiat. Igitur omnes munimẽtis egreſſi, totiusq; inſulæ ambitũ curioſius ſpeculati, reperto caballo, Fridleuũ fluuialibus aquis obrutum coniectabant. Equũ verò præcipitato ſeſſore tranaſſe rati, perinde ac regię mortis nunciũ portis gratulãter excipiũt. At Biorno nocturnarũ adhuc imaginum memoria territus, excubijs vtendũ hortatur, quod periculi ſuſpicionẽ nondũ tutò depoſituri viderẽtur. Ipſe deinde capiẽdę quietis gratia cubiculũ petit, viſionẽ mẽte altius repoſitã habens. Inter hęc equus quẽ Fridleuus ob vulgandam interitus

Equus Biornonis.

Canis mirę ferocitatis.

ſui

ſui fidem intercutis tantum cruoris effuſione reſperſerat, militum eius caſtra maculoſus irrupit. Qui ilico amnem petentes, repertum ſerui cadauer, regium exſtimauere corpus, quod nitida veſte cultũ ſtridulus ripę vortex adegerat, quorũ maximè errorẽ cõuerberati corporis turgor adiuuit, cũ lacerata contuſaq; ſilicibus cutis, informes oris notas exangui pallore confunderet. Huius rei indignatione permoti pugiles, qui Fridleuo nuper delendorum prædonum curam ſpoponderant, præruptum aquæ periculum accedebant, ne promiſſionis gloriam timidiore voti negligentia reſpergere viderentur. Quorum cæteri fiduciam imitati, pari cupidine fluuium petunt, ni regẽ vlciſcerentur extrema paſſuri. Quibus viſis Fridleuus, pontem continenti committere properauit, receptisq; pugilibus, prima vigiles irruptione proſternit. Reſiduos quoque conſequenter adortus, Biornone excepto, ferro conſumpſit. Quem impenſiori curatione è vulneribus recreatũ, ſub ſacræ obteſtationis pignore collegã adſciuit, operaq; eius vti, quàm exitio gloriari ſatius duxit. Indignum quoq; aſſerebat, tantæ fortitudinis florem prima pubertate decerptum, intempeſtiua nimis clade conſumi. Dani verò Fridleuum aduentantẽ experti, cuius iampridem obitum falſo didicerant nũcio, miſſis qui eum accerſerent, Hiarnonem regno cedere iubent, quod ipſum precario ac perfunctoriè gerere videretur. Qui tãto honore defungi nõ paſſus, ſpiritum pro gloria erogare, quàm in obſcurã vulgi ſortem concedere prę optauit. Quamobrem ne regijs honoribus exutus priſtinum fortunę habitum recipere cogeretur, præſentem armis tueri cõſtituit. Itaq; diuidua regio præruptis conſternationis motibus agebatur. Alij ſiquidem ab Hiarnonis partibus ſtabant, alij Fridleui titulis ob egregia Frothonis merita adſtipulati ſunt, hærebatq; vulgi diſcors ſuffragium, his præſentium habitum, illis præteritorũ memoriam venerantibus: præponderauit tamen Frothonianę recordationis intuitus, eiusq; ſuauitas maiorem Fridleuo fauoris partem cõciliauit. Pleriq; enim quibus altior ſenſus extabat, ruſticæ conditionis hominem quanquam ad inſperatum rerum culmẽ præter generis ius ſolo fortunæ beneficio peruenisſet, regno ſubmouendum cenſebant, ne verum honoris hæredẽ adulterinus poſſeſſor elideret. Fridleuus verò Danorum legatos redire iubet, Hiarnonem aut regnum deponere, aut acie ſecum confligere rogaturos. At Hiarno lucis auiditatem honori anteferre, ſalutemq; gloriæ diſpendio quærere morte triſtius ratus, dum bello Fridleuum excipit, in Iutiam obtritus aufugit, victoremq; denuo reparata manu aggreſſus, hauſtis ferro ſocijs, fugam abſq; comite habuit, quam inſula, vocabulum ex eius nuncupatione ſortita, teſtatur. Igitur humiliorem animo fortunam expertus, cũ ſe gemina ſtrage omnibus propemodum copijs exutũ videret, traiecto in dolum ſtudio, obſcurato oris habitu Fridleuũ accedit, ipſum quæſitis per familiaritatem inſidijs necaturus. A quo ſuſceptus, aliquandiu ſeruitij ſimulatione propoſitum occultabat. Siquidẽ decoquendi ſalis opificẽ profeſſus, inter ſordidioris miniſterij famulos ignobilia exequebatur officia. Cibi quoq; capiẽdi tempore diſcubitu vltimus exiſtere ſolebat. Prætereà balneis abſtinebat, ne nudato corpore crebris vulnerum veſtigijs proderetur. Quo rex abſoluẽdæ ſuſpicionis gratia lauari compulſo, vt hoſtẽ ex cicatricibus cognouit, age, inquit, improbiſſime latro, qualiter in me cõſulturus fores, ſi interficiendi tui cupidũ liquidò cõperiſſes? Ad hæc ſtupefactus Hiarno, ex prouocatione te, ait, deprehenſum aggrederer, quo maiore demẽdæ criminationis copia potireris. Quem mox Fridleuus ſentẽtiæ ſuæ exemplo, prouocatum oppreſſit, tumulo cadauer obruens interfecti vocabulũ referente. Qui poſtmodũ a ſuis propagandæ ſobolis gratia, coniugio ſibi conſulere monitus, cœlibem prę ſtare vitam, paterno contendebat exemplo, quod Frothoni coniugis petulantia, graue probrũ affixerit. Ad vltimum perſeuerantiſſimis omnium precibus victus, per legatos aggreſſus eſt Noruagiæ regis Amundi filiam poſtulare. Quorum vnus Froco nomine fluctibus internauigandum abſumptus, inuſitatum moriens prodigiũ dedit. Quippe vbi illum confluus vndarum æſtus implicuit, ſanguis medio enatus gurgite, ita totam ponti faciem peregrino quodam rubore perfudit, vt ſpumeum paulo ante pelagus procelliſq; albidum, mox punicies fluctibus intumeſcens, alienum a natura ſua colorẽ induere videretur. Amũdus vero regię petitionis inexorabiliter vota

frustratus, legatis indecentius habitis tyrannidem Frothonis olim Noruagiæ grauius imminẽtem causam spernendæ legationis asseruit. Frogertha verò (filia hæc Amũdi erat) non modo Fridleui genus intuita, sed etiam factorum claritudinem venerata, conuicio patrem insequi cœpit, quod generum habere spreuisset, cuius consummata nobilitas nec virtute deficeret, nec sanguine claudicaret. Adiecit quoq; prodigialem illam maris faciem, vndis repente in sanguinem versis, quid aliud quàm Noruagicæ cladis interpretem, Danicæ vero victoriæ liquidũ extitisse portentum? Quam cum Fridleuus iteratæ legationis officio postularet, perseuerantia repulsam vincere cupiens, indignatus Amundus, rem à se semel negatam pertinacius flagitari, raptis ad necẽ legatis improbi petitoris studio crudelius obuiandum curauit, Cuius iniuriæ Fridleuus famam expertus, Haldano ac Biornone adcitis, Noruagiam nauigatione complectitur. Contrà Amũdus patrio instructus præsidio, obuiam exerit classem. Frocasund appellant sinum in quem classis vtraq; coierat, vbi Fridleuus noctu speculandi gratia castris egressus, cum inusitatũ quendam icti aëris sonum comminus percepisset, fixo gradu suspiciẽs trium olorum supernè clangentium hoc aure carmen excepit:

Mirus triũ olorum in aere comparẽtium cantus.

Dum mare vertit Hythin, rabidosq; intersecat æstus,
Auro verna bibit, & lactea pocla ligurit.
Optima conditio serui cui rege creatus
Obsequitur, temere mutatis sortibus hæres.

Deniq; post ipsas alituum voces lapsum ab alto cingulum literas carminis interpretes præferebat. Regis quippe Thialamarchiæ filium pueriliter obludentẽ, gygas Hythin nomine vsitatum mortalium habitum mutuatus abduxerat, eoq; vsus remige cymba in proximum littus traiecta, Fridleuum tũc fortè speculationis officio fungentẽ, nauigio præteribat. Quem rex captiui adolescentis opera vti nõ passus, præda raptorem exuere gestiebat. Aduersum quẽ adolescens primũ acriori inuectionis genere vtendũ esse prẽmonuit, facilius oppugnandum promittens, dum antè cygnico fuisset carmine lacessitus. Tum Fridleuus sic orsus:

Cum sis gigas tricorpor inuictissimus,
Tuoq; cælum penè exæques vertice,
Cur hoc ridendus ensis fæmen obligat?
Latusq; grande curta cingit framea?
Quid fortè munis pectus ense debili,
Habitusq; corporalis instar negligis,
Sicæ breuis paruo fretus gestamine?
Iamiam tuum frustrabor audax impetum
Ferro retuso molientem prælia
Meticulosa cùm sis ipse bellua,
Molesq; digno destituta robore
Vmbræ fugacis more præceps tolleris,
Spectabili claroq; nactus corpore
Imbelle pectus & pauore lubricum
Membrisq; summe dissidentem spiritum,
Ex hoc tuæ compago nutat fabricæ,
Cum forma felix strage mentis claudicet
Suisq; sit natura discors partibus,
Te laudis ex hoc munus omne deseret,
Nec fortium clarus loco censeberis,
Obscura computandus inter agmina.

Quo dicto gigantem pede manuq; curtatum liberato captiuo coẽgit in fugam. Cuius consequenter promontorium petens, egestam antro pecuniam asportauit. Quibus spolijs ouans, ereptiq; adolescentis in traijciendo mari nauigatione vsus, hoc alacri carmen voce subtexuit:

Sanguine suffusos enses ferrumq; cruore
Puniceum rapidi versauimus in nece monstri

Dum te Noruagicæ cladis moderator Amunde
Excipit alta quies, quem cum sine lumine mentis
Nox ignara premat, virtus dilapsa fefellit.
At nos defunctum membris, opibusq; gigantem,
Contudimus, vastiq; chaos penetrauimus antri.
Illic congestum raptu, violauimus aurum,
Et iam fluctiuagum tunsis euerrimus æquor,
Confertamq; ratem spoliis ad littus ouantes
Remigio reduces agimus, percurrimus vndas
Permensore maris carabo, sulcemus alacres
Hoc pelagus, ne nos hosti lux obuia prodat.
Ergo leues, totoq; manus conamine nisi
Rimemur mare, castra prius, classemq; petentes
Quam roseum liquidis titan caput exerat vndis:
Vt cum rem rumor vulgauerit atq; Frogertha
Nouerit egregio partam conamine prædam,
Blandior in nostrum moueat præcordia votum.

Die postera Fridleuo aduersus Amundum magno copiarum cõcursu cruentũ incidit bellum, quod partim terrestri, partim maritimo certamine gerebatur. Nã & in cãpis acie explicabantur, & classi nihilominus bellator incesserat. Cumq; res plurimo sanguinis impendio gereretur, Biorno demũ inclinata suorum acie solutum nexibus molossum concitauit in hostem, quam ferro obtinere non poterat, canino morsu victoriam adepturus. Quæ res aduersarijs probrosam peperit stragem, cum fortiũ phalanx mordicus lacessita profugeret: quorum fuga tristior an turpior fuerit, nescias: erubescendus siquidẽ Normãnorum exercitus erat, quem hostis opem à bellua mutuatus obtriuit, nec fraudi Fridleuo fuit, labentẽ militum virtutẽ canino reparare præsidio. Occidit hoc bello Amundus, cuius assecla Auo cognomento sagittarius, Fridleuũ ad secum dimicandum hortatus, a Biornone se questris ordinis viro regem cum plebeio congredi prohibente lacessitur. Cumq; Biorno sinuato arcu neruo sagittam aptaret, subito emissum ab Auone spiculum cordis summa transfixit, cuius altera mox sagitta comes medijs digitorum conclusis impacta successit. His tertia superueniẽs, in applicatam neruo sagittam incidit. Auo quippe promptissima sagittandi opera eminus vtens, deindustria gestamen tantum hostis offenderat, vt idem in ipsum sibi licere demonstrans, pugilẽ a proposito reuocaret. Biorno verò nihil ob hoc animi minuens, spreto corporis periculo constanti mente & vultu discrimen iniit, ita vt nec Auonis quicquam ingenio deferre, neq; ex consueta aliquid fortitudine deponere videretur. Itaq; nulla ex parte proposito deturbatus, intrepidus duello se credidit. Quo cum vterq; saucius excessisset, aliud itẽ apud Addarnes mutua laudis æmulatione gesserũt. Interfecto Amundo, Fridleuus acerrimo hoste liberatus, summumq; & securum ociũ nactus, ferocissimum ingeniũ suum voluptati cedere coẽgit, traiectoq; in venerẽ studio, classem instaurat, negatas olim nuptias petiturus. Deniq; nauigationẽ ingressus, quum defecta ventis classe, vicos alimẽta petiturus irrumperet, à Grubbo quodam hospitaliter habitus, tandemq; filiæ eius cõnubio potitus, Olauum vocabulo filium procreauit. Interiecto quoq; tempore Frogertham adeptus, dũ patriam parũ prospera nauigatione repeteret, ignotæ insulæ littoribus appulsus, thesaurum humi cõclusum effodere, custodẽq; eius draconem vitandi veneni gratia bouino tergore tectus appetere cuiusdã per quietẽ conspecti monitum perdocetur, intentũq; scuto coriũ venenatis dentiũ morsibus obiectare præcipitur. Igitur experiẽdę visionis causa anguem vndis emergentẽ adortus, diu in squameũ latus irrita tela coniecit: quippe spiculorũ impulsum crustata corporis durities frustrabatur. Ipse verò coluber crebras admodum spiras agitans, orbiculato caudę flexu tactas obiter arbores stirpitus euertebat. Cæterum crebro corporis tractu cauata ad solidum humo præruptum hinc inde latus effecerat, vt quibusdam in locis aduersos colles media valle sequestrari cõspicimus. Igitur Fridleus inuicta belluę su-

prema considerans, ima gladio tentat, perfossaq; inguinis parte saniem palpitantis elicuit. Qua extincta, pecuniam Hypogęo erutam nauigijs deportandam curauit. Euoluto anno, Biornonem atque Auonem sæpius ex prouocatione congressos, maxima cura in gratiam reduxit, amicitijsq; odia mutare compulit, quibus etiam filium Olauum, tres annos natum nutricandum concessit. Pellicem verò Iuritham, eandemq; Olaui matrem recepto in commilitium Auoni matrimonio copulauit, æquiori animo repudium laturam existimans, si tanto pugile maritata, pro re gio strenuum sortiretur amplexum. Mos erat antiquis super futuris liberorũ euentibus Parcarum oracula consultare. Quo ritu Fridleuus Olaui filij fortunam explo raturus, nuncupatis solenniter votis, deorum ędes precabundus accedit, vbi introspecto sacello ternas sedes totidem nymphis occupari cognoscit. Quarum prima indulgẽtioris animi liberalem puero formam, vberemq; humani fauoris copiam erogabat. Eidem secunda beneficij loco liberalitatis excellentiam cõdonauit. Tertia verò proteruioris ingenij inuidentiorisq; studij fœmina, sororum indulgentiorem aspernata consensum, ideoq; earum donis officere cupiens, futuris pueri moribus parsimoniæ crimen affixit. Ita aliarum beneficijs tristioris fortunæ veneno corruptis, accidit, vt Olauo pro gemina munerũ ratione permixta liberalitati parcitas tribueret cognomentum. Quo euenit, vt prioris indulgẽtiæ suauitatem inserta beneficio nota confunderet. Cumq; regressus Noruagia Fridleuus iter per Suetiam haberet, vltrò legati partibus assumptis cœlibi adhuc Haldano Hithini filiã, quam monstro quondam exemerat, impetrauit. Interea coniunx eius Frogertha Frothonem enixa est, ab eximia mutuantem largitate cognomen. Itaq; Frotho ob auitæ fælicitatis memoriam quam suo nomine referebat, ab incunabulis, primisq; infantiæ rudimẽtis adeò cunctis charus euasit, vt ne humi quidem incedere aut cõsistere toleratus, sinu iugiter atq; osculis foueretur: Ita non vni modo pædagogo addictus, sed quasi communis omnium alumnus extabat. Defuncto verò patre cũ duodecimum ætatis annum ageret, Saxoniæ regulos Suertingum, & Haneuũ imperium detrectantes, ac palàm rebellare conniſos, acie superauit, deuictisq; gentibus seruitutis nomine pendendi pro capite nummi mulctam inflixit. Adeò nanq; liberalis extitit, vt recenti largitatis consuetudine prisca militiæ stipendia duplicaret: neque enim se tyrannorum more communibus vitiorum illecebris obijciebat, sed quicquid honestati proximum peruidebat, ardenter appetere, opes in propatulo habere, cæteros largiendo præcurrere, omnes humanitatis officijs anteuenire, & quod difficillimum est, virtute inuidiam vincere contendebat. Cuius rei gratia breui tantam apud omnes claritatem contraxit, vt adolescentulus non modo fama maiorum titulos exæquaret, sed etiam vetustissima regũ monimenta trãscenderet. Iisdem temporibus Starchaterus quidam Storuerki filius pericliatis naufragio socijs, solus vi aut fortuna delapsus, ob incredibilem corporis animiq; præstantiam hospes à Frothone colligitur. Cuius cum aliquandiu contubernalem egisset, indies cultius, ac decentius habitus, tandem spectato donatus nauigio, maritimas excubias procurando piraticum munus agitare præcipitur. Siquidem excellẽtius humano habitu corpus à natura sortitus, ita id animi magnitudine æquabat, vt nulli mortalium virtute cedere putaretur. Cuius tàm latè patens claritas fuit, vt adhuc quoq; celeberrima factorũ eius, ac nominis opinio perseueret. Neque enim solum apud nostros egregijs operũ titulis coruscabat, verumetiam apud omnes Sueonum Saxonumq; prouincias speciosissima sibi monumenta pepererat, hunc in ea regione quæ Suetiam ab oriente complectitur, quamq; nunc Estonũ aliarũq; gentium numerosa barbaries latis sedibus tenet, originẽ duxisse memoriæ proditũ constat. Fabulosa autẽ & vulgaris opinio quædam super ipsius ortu rationi inconsentanea, atque à veri fide penitus aliena confinxit. Tradunt enim quidam quod à gigantibus editus, monstruosi generis habitum inusitata manuum numero sitate prodiderit, asseruntq; Thor deum quatuor ex his effluentis naturę vitio procreatas, elisis neruorũ compagibus auulsisse, atq; ab integritate corporis prodigiales digitorũ eruisse cõplexus, ita vt duabus tantũ relictis, corpus quod antè in gigantęæ granditatis statũ effluxerat, eiusq; formã informi mẽbrorũ multitudine repræsenta-

Parcarũ oracula super futuris liberorũ euẽtibus olim consulta.

Starchateri pugilis celeberrimi origo.

ſentabat, poſtmodum meliore caſtigatum ſimulacro breuitatis humanæ modulo caperetur. Olim enim quidã magicæ artis imbuti, Thor videlicet & Othinus, alijq; cõplures miranda præſtigiorũ machinatione callentes, obtentis ſimpliciũ animis, diuinitatis ſibi faſtigiũ arrogare cœperunt. Quippe Noruagiam, Suetiam, ac Daniã vaniſſimæ crudelitatis laqueis circũuentas, ad cultus ſibi pendendi ſtudium concitantes, præcipuo ludificationis ſuę cõtagio reſperſerunt. Adeo nanq; fallaciæ eorũ effectus percrebuit, vt in ipſis cæteri quãdam numinũ potẽtiam venerantes, eosq; deos, vel deorum cõplices autumantes, veneficiorum autoribus ſolennia vota penderẽt, & errori ſacrilego reſpectũ ſacris debitũ exhiberent. Quo euenit vt legitima feriarũ ſeries apud nos eorundẽ nominibus cenſeatur, cum ipſis Latinorũ veteres, ſiue à deorũ ſuorum vocabulis, ſiue à ſepteno planetarũ numero nuncupationẽ ſingulatim adaptaſſe noſcãtur. Eos tamẽ qui à noſtris colebantur nõ eſſe, quos Romanorũ vetuſtiſſimi Iouẽ Mercuriũq; dixere, vel quibus Græcia, Latiumq; plenum ſuperſtitioſis obſequium exoluerũt, ex ipſa liquidò feriarum appellatione colligitur. Ea enim quę apud noſtros Thor, vel Othini dies dicitur, apud illos Iouis, vel Mercurij feria nuncupatur. Si ergo Thor Iouẽ, Othinũ, Mercuriũ, iuxta deſignatæ interpretationis diſtinctionem accepimus, manente noſtrorum aſſertione, Iouem Mercurij filiũ extitiſſe conuincitur, apud quos Thor Othino genitus, vulgari ſentẽtia perhibetur. Cũ ergo Latini cõtrario opinionis tenore Mercuriũ Ioue editũ aſſeuerent, reſtat vt conſtante eorum affirmatione, Thor alium q̃ Iouẽ, Othinũ quoq; Mercurio ſentiamus extitiſſe diuerſum. Sũt qui dicãt deos quos noſtri coluere, cũ ijs quos Græcia vel Latiũ celebrabat, ſolũ participaſſe vocabulũ, ſed iſtos tanq̃ maieſtate ſuppares ab illis cultũ cũ nomine mutuatos fuiſſe. Et hæc ſup Danicæ vetuſtatis numinibus diſſeruiſſe ſufficiat. Quæ ideo pauliſper à me in cõmune deducta ſunt, vt legẽtibus liquidũ fiat, quibus patria noſtra ritibus pagana ſupſtitione paruerit. Nunc propoſiti diuerticulũ repetã. Tradunt veteres Starcatherũ, cuius ſupra memini in Wicari Noruagienſium regis iugulo, deorũ fauori facinorũ ſuorũ principia dedicaſſe, cuius rei tenor tali quorundam aſſertione cõtexitur. Volens quondam Othinus Wicarũ funeſto interire ſupplicio, cũ id apertè exequi nollet, Starcatherum inuſitata prius granditate cõſpicuũ, non ſolũ animi fortitudine, ſed etiã cõdendorũ carminũ peritia illuſtrauit, quo pmptiore eius opera ad peragẽdum regis exitiũ vteretur. Hanc quippe eũ dignationi ſuę gratiã relaturum ſperabat. Quẽ etiã ob hoc ternis ætatis humanæ curriculis donauit, ut in his totidẽ execrabilium operum autor euaderet. Adeò illi conſequente flagitio vitæ tempora proroganda conſtituit. Qui mox Wicarũ adiens, inq; eius aliquandiu contubernio diuerſatus, inſidias obſequio texit. Tandem piraticum cum eo opus ingreditur. Cumq; quodam in loco diutina tempeſtatum ſæuitia vexaretur, ita ventis nauigationẽ fruſtrãtibus, vt maiorem anni partem quieti tribuerent, deos humano ſanguine propitiandos duxerunt. Itaq; coniectis in vrnam ſortibus, regiæ necis victimam depoſci contigit. Tunc Starcatherus facto ex viminibus laqueo regem implicuit, pœnæ ſpeciem duntaxat exiguo temporis momento daturum. Sed nodi rigor ſuum ius exequẽs, ſupremum pendentis halitum rapuit. Cui Starcatherus adhuc palpitanti ferro ſpiritus reliquias euulſit. Cumq; remedium afferre deberet, perfidiam detexit: neq; enim illa mihi recenſenda videtur opinio, quæ viminum mollitiẽ ſubitis ſolidatam complexibus ferrei morem laquei peregiſſe commemorat. Deinde capto Wicari nauigio, Bemonum quẽdam cunctis Daniæ piratis virtute præſtantẽ, maritimum prædonẽ geſturus accedit. Bemoni nanq; collega Fraccus nomine piratici laboris tædio nuper ſe eius ſocietati interpoſita pecuniæ pactione ſubduxerat. Tantam autem Starcatherus, ac Bemonus, ſeruandæ ſobrietatis curã habebant, ut nunquam ebrioſa ſibi potione indulſiſſe dicantur, ne præcipuum fortitudinis vinculũ cõtinẽtia, luxuriæ viribus elideretur. Cum ergo profligatis latè prouincijs ardore quoq; tyrannico Ruſciam inuaſiſſent, incolæ parum mœnibus armisue confiſi, prohibendis hoſtium inceſſibus inuſitati acuminis clauos obijcere cœperunt, vt quorũ reprimere nequirẽt impetum, morarẽtur excurſum, taciteq; plantas humus elideret, quibus palam acies reſiſtere trepidaſſet. Sed ne id quidem impedimenti genus

Thor & Othinus præſtigiatores mirè callidi pro diis venerantur.

Egregium cõtinentiæ præſtãtiſſimæ virtutis exemplum.

arcendis hostibus efficax fuit. Neque enim Danis ad eludendam Rutenorum ope ram calliditas defuit, continuò nanq; lignea pedibus tegmina submittentes, subiectos plantis aculeos innocuis pressere vestigijs. Est autem ferrum hoc quatuor dispertitum stilis, ijsdemq; taliter constitutis, vt in quamcunq; illud partem casu se eijciat, trium incunctanter pedum æqualitate subsistat. Tum saltus inuios ac nemorũ densissima quæq; penetrantes, Ruthenorum principem Floccum montanis quibus erepserat latebris eiecere. Quo in loco tanto prædæ potiti sunt, vt ne vnus quidem extaret, qui non auro argentoq; onustus classem repeteret. Mortuo autem Bemono Starchatherus ab athlethis Biarmensibus ob virtutem adcitus, cum plurima apud eos memoratu digna edidisset facinora, Sueonũ fines ingreditur, vbi cũ filijs Fro septennio feriatus, ab his tandem ad Haconem Danię tyrannum se contulit, quod apud Vpsalam sacrificiorum tempore constitutus, effœminatos corporũ motus, scænicosq; mimorum plausus ac mollia nolarũ crepitacula fastidiret. Vnde patet quàm remotum à lasciuia animum habuerit, qui ne eius quidẽ spectator esse sustinuit. Adeò virtus luxui resistit. Itaq; cũ Hacone classem in Hyberniã extulit, ne vel vltima retũ humanarum imperia Danicis armis intacta cõsisterent. Ea tempestate rex insulæ Hugletus extabat, qui cum frequẽs opibus ærariũ haberet, adeò tamen auaritiæ obnoxius extitit, vt datis aliquãdo calceis, quos studiosi manus cõmendasset opificis, ligamenta detraheret, submotisq; loco suo corigijs, donum ad iniuriam transferret. Cuius rei deformitate tantũ muneri criminis afferebat, vt odium pro gratia percipere videretur. Itaq; neminem ex honestis liberalitate prosequi solitus, circa mimos ac ioculatores munificentiæ studijs vti consueuit. Oportebat nanq; vt turpis turpibus cõmercia familiaritatis impenderet, & vitiorũ tabo obsitus, culpę socios blandimentorum lenocinio demulceret. Fuere tamen ei spectatæ virtutis proceres, Gegathus & Suibdauus, qui inter effœminatorũ consortia veluti gemmæ stercoribus insitæ, conspicuo militariũ operum fulgore pollebant. Itaq; soli regiarum opum defensores extabant. Igitur prælio inter Hugletũ & Haconem cœpto, mimorũ greges quibus instabilitatem corporum leuitas peperit, animorũ trepidis aciem soluere decursibus, tantaq; regis beneficia sola fugę deformitate pensarunt. Tunc Gegathus & Suibdauus soli tot hostium millibus obiecti, incredibili bellũ virtute gesserũt, vt nõ duorũ modò militum, sed vniuersi agminis partes agere viderentur. Sed & Gegathus Haconẽ sibi pertinacius imminentẽ tanto pectoris vulnere affecit, vt iocinoris suprema detergeret. Illic Starcatherus dũ ferro Gegathum petit, acerbissimum capite vulnus excepit, vnde postmodum in quodam carmine, non aliàs tristiorem sibi plagam incidisse perhibuit, quod licet discissi capitis partes exteriore pellis ambitu necterentur, latens tamen in vulnere liuor, clausum putredinis contagium occultabat. Victo occisoque Hugleto, sed & Hybernien sibus in fugam actis, Starcatherus quoscunque ex histrionibus captioni casus obtulit, cædendos curauit, satius ratus in scurrarum agmen cuticulæ damno ridiculum dictare supplicium, quàm pœna capitis funestũ impetrare discrimen. Ita iocularis ministerij, sordidæq; conditionis cateruam probroso animaduersionis genere insecutus, obscœno verberum ludibrio mulctare contentus extitit. Tum Dani apud vrbem Dufflinam regias opes ærario egestas publico raptu conuelli iusserunt. Tantæ siquidem magnitudinis pecunia reperta fuerat, vt minor partitionis cura cunctis existeret. Post hæc Starcatherus ad inhibendam orientalium defectionem vnà cum Wino Sclauorũ principe delegatur. Qui simul aduersum Curetum, Semborum, Sangalorum, omniumq; postremo orientalium exercitus, pręliati, claras latè victorias edidere. Eximię opinionis gladiator nomine Wisinnus apud Rusciam rupem, quæ Anafial dicitur sede & mansione complexus, vicinas longinquasq; prouincias omni iniuriæ genere vexauit. Hic omnem telorum aciem ad hebetudinis habitum solo conspectu redigere solebat. Quamobrem tantam viribus eius audaciã peperit excluſus vulnerum metus, vt etiam illustrium virorum coniuges maritis spectãtibus raptas, ad stuprum pertraheret. Cuius sceleris Starcatherus rumore excitus, tollendi autoris gratia Rusciam petit. Qui quoniam nihil expugnatu difficile habuit, petitũ ex prouocatione Wisinnũ etiã artis suæ beneficio

neficio ſpoliatum oppreſſit. Ferrũ quippe ne pręſtigiatori conſpicuum foret, tenui admodum pelle contexit, neq; Wiſinno aut præſtigij virtus, aut virium magnitudo, quo minus Starcathero cederet, auxilio fuit. Deinde apud Byzantium inuictæ opinionis gigantem, Tannam nomine, corporis viribus fretus colluctãdo deuicit, ignotasq; terrarum partes proſcripti titulo petere coẽgit. Igitur cum nulla fortunæ ſæuitia vires eius victoria fraudare potuiſſet, Polonię partes aggreſſus, athletam quem noſtri Waſce, Teutones verò diuerſo literarum ſchemate Wilzce nominant, duelli certamine ſuperauit. Intereà Saxones defectionem moliri, idq; maxime in animo habere cœperunt, qualiter inuictum bello Frothonem præter publici conflictus morem opprimerent. Quod optime duello gerẽdum rati, mittũt qui regẽ ex prouocatione laceſſerent, ſcientes eum diſcrimen omne prompta ſemper mente complecti, animiq; eius magnitudinem nulli prorſus exhortationi ceſſurã. Quem tunc temporis maxime adoriendum putabant, cum Starcatherum cuius pleriſq; formidoloſa virtus extabat, negotioſum abeſſe cognoſcerent. Cunctante verò Frothone, ſeq; cum amicis ſuper dando reſponſo collocuturum dicente, ſuperuenit Starcatherus piratica iam regreſſus, qui ex hoc maxime prouocatiõis habitum reprehendit, quod diceret regibus non niſi in compares arma congruere, eademq; aduerſum populares capienda non eſſe: per ſe verò tanquam obſcuriore loco natum, pugnam rectius adminiſtrandam exiſtere. Igitur Saxones Hamam qui apud eos gymnicis palmis clariſſimus habebatur, multis aggreſſi pollicitationibus ſi duello operam commodaret, molem corporis eius auro ſe repenſuros eſſe promittunt, illectumque pecunia pugilem ad campum conflictui deputatum militaris pompæ tripudio proſequuntur: hinc Dani Starcatherum regis ſui partes exequuturum ad certaminis locum militiæ inſignibus ornati perducunt. Quem Hama ætate marcidum iuuentæ fiducia deſpicatus, defunctum viribus ſenem lucta quàm armis excipere præoptauit. Eundem adortus terræ nutabundum adegerat, ni fortuna quæ vinci vetulum non ſinebat, iniuriæ reſtitiſſet. Ita enim impellentis Hamæ pugno obrutus memoratur, vt genibus nixus humum mento contingeret. Quam corporis nutationem egregia vltione penſauit. Nam vbi reſuſcitato poplite manum expedire, ferrumq; diſtringere licuit, mediũ Hamę corpus diſſecuit. Complures agri ſexagenaq; mancipia victoriæ præmium extitere. In Saxones verò poſt Hamæ cædem adeò Danorum inſoleuit imperium, vt pro cubitalium membrorũ quolibet indicem ſeruitutis ſtipem quotannis pendere cogerentur. Quod ægrè ferens Hanef, bellum demendæ penſionis cupidine cum animo volutabat. Cumq; pertinax amor patriæ mentem in dies oppreſſorum miſeratione perfunderet, ſpiritum pro libertate ciuium erogare cupiens, rebellionis ſtudium patefecit. Quẽ Frotho traiectis per Albiam copijs, apud vicum Hanofra taliter ab eo nuncupatum occîdit. Suertingus verò quanquam non minus ciuium afflictatione moueretur, diſſimulato patriæ malo, peruicaciori quàm Hanef ingenio libertatis propoſitum agitabat. Quod quidem ſtudium dubitari ſolet virtuti an vitio propius fuerit. Ego vero planè id ſceleris arguo, quod inſidioſa defectionis cupiditas edidit. Nam etſi patriæ liberratem quærere perutile videbatur, ad hanc tamen dolo ac proditione cõtendere non licebat. Cum ergo Suertingi facinus planè ab honeſto deſciuerit, ne vtile id quidem extitiſſe conſtabit. Nam ſpecioſius eſt aperte quem velis inceſſere, odiumq; in propatulo exercere, quàm adulterina familiaritate veram nocendi cupidinem obſcurare. Sed quicquid ſcelere paritur, gloria vacuũ eſt, breuesq; & occiduos fructus habet. Nam ſicut lubricus animus eſt, qui fallendi ſupercilium clandeſtinis artibus tegit, ita quicquid dolo affine eſt, fluxum ac fragile eſſe conuenit. Plerunq; enim crimen in autorem recidere cognitum eſt: quod & Suertingo euenisſe, fama compertum habetur. Qui cum conuiuij ſimulatione exceptum regem incendio conſumere ſtatuiſſet, ab eodem occupatus, tametſi ipſum mutuò peremiſſet, occiditur. Quo euenit, vt alterius ſcelus amborum interitus foret. Itaq; etſi dolus in hoſtem efficax fuerit, autorem tamen impunitatis præſidio non donauit.

Frothoni filius Ingellus ſuccedit, cuius tranſuerſus ab honeſto animus, relictis maiorum exemplis, totum ſe petulantiſſimi luxus illecebris mancipauit. Igitur à

bono rectoq; discolor, vitiaque pro virtute complexus, discissis continentiæ neruis, intermissisq; regię maiestatis officijs, sordidum luxuriæ mancipium euasit. Sanè quicquid cõpositis moribus obuium, aut inconcinnum erat, excoluit, paterna auitaq; decora fœdissimarum libidinum assuetudine polluebat, clarissimos maiorum titulos improbissimis obscurabat operibus. Adeò nanq; libidini vẽtris obnoxius erat, vt nec patris vltorem agere, nec hostium iniurias propulsare gestiret, nihilq; dum gulę parêret, modestè ac cõtinenter habendum putaret. Egregiũ stẽma ocio inertiaq; corrupit, fluxãq; ac voluptariam vitã degens, degenerem spiritum, atq; à parentum vestigijs obliquo longe calle distortum, in obscœnissimas fœditatum voragines pręcipitare gaudebat: fartores, lixas, frixoria, gulæ multiplices officinas, variosq; torrendæ aut cõdiendæ dapis artifices legere, claritatis loco ducebat. Arma verò, militiam, bella, nec ipse quidem vsu discere, nec alios exercitio celebrare sustinuit. Ita abiecto virili studio, fœmineum æmulatus est, quẽ in omnẽ culinæ nidorem irrestrictus palati pruritus accenderat. Semper crapulã proflans, cunctisq; sobrietatis partibus exutus, indigestam ventris saniem fœtido oris anhelitu ructabatur. Nec minus luxuria fœdus quàm Frotho militia clarus extabat. Adeò delicijs nimium intempestiua gulæ corruptela molliuerat. Cuius intemperantiæ fastidio Starcatherus ad deserendam Ingelli familiaritatem adductus, petito Sueonum regis Haldani contubernio, ocio negotium prætulit. Adeò ne nimiæ quidem luxuriæ assensor esse sustinuit. Filij vero Suertingi veriti, ne Ingello pœnas paterni facinoris darent, sororem ei in matrimonium contulerunt, vltionem beneficio præcursuri. Ex qua filios susceptos Frothonem, Fridleuum, Ingellũ, atq; Olauum, quem quidem ipsius sorore editum asseuerãter iniquitas perhibet. Cuius sororem Helgam, quidam auri opifex obscuræ stirpis blanditijs compositus, ac varijs instructus munusculis, quibus muliebris maximè cupiditas capitur, in mutuas faces amatoria comitate pertraxerat. Quippe post obitum regis non existentibus qui paterna in prole merita colerent, custodiæ inops, tutoribusq; defecta fuerat. Quod cum Starcatherus ex assidua viatorum relatione cognosceret, impunitum fabri luxum præterire non sustinens: quippe ut memorem beneficiorum cultorem, ita promptũ insolentiæ vindicem agere consueuerat, tam inusitatæ præsumptionis audaciam vltum ire deproperat, orphanæ alumnæ vetusta Frothonis merita repensurus. Deniq; peragrata Suetia fabri penates ingressus, vicinum limini locum occupat, pilleolo ne proderetur obscurante. Quem faber non satis doctus vili interdum amiculo validas subesse manus, obiurgatum æde ocyus excedere iubet, inter egentium gregem vltimis escarum reliquijs potiturũ. At senex ab inolita sibi moderatione patientiam mutuatus, nihilominus ibidem acquiescere, paulatimq; petulantiam hospitis experiri studebat. Procursum nanq; furoris superior impetu ratio refrenabat. Tum faber aperta puellam procacitate aggressus, in eius fortè sinum iactauerat corpus, capitis comam virgineis manibus offerens depectendam. Exerto quoque lumbari, operam eius demendis pulicibus expetebat, extorsitq; vt splendidissimæ familiæ fœmina, pollentes amœnitate digitos sordidissimis femoralibus inserere non erubesceret: deinde credita voluptatis licentia interiori ipsius togæ prurientes inferre palmas, instabilesq; manus pectori propius admouere sustinuit. At illa noti quondã senis intuitu curiosiore præsentiam capiens, concepto pudore, libidinosæ contrectationis petulantiam spreuit, manusq; repulit impudicas, quinetiam armis opus habendũ edocens, lasciuiori lusu desistẽdum hortatur. Quo viso Starcatherus, qui propter fores pileo caput obscurante consederat, iam tantum hauserat iræ, vt vlterius cohibendæ manus impatiens, depositio velamine dextrã distringendo injiceret ferro. Tum faber qui nil nisi lasciuum nouerat improuiso fluctuans metu, vbi rem ad manus peruenisse cognouit, abiecta defensionis spe, in fuga vnicum necessitatis præsidium circũspexit. Itaq; tam foribus, quarũ hostis aditũ tuebatur, erumpere arduum erat, quàm intra penates percussorẽ operiri graue. Tandẽ obstrictus necessitate animus, finem cunctationi posuit, censuitq; certo atq; euidenti periculo appetibilius esse discrimen, cui vel modica salutis spes subesse poterat. Fugam quoq;, quanq̃ periculi affinitate

Intemperãtis vitæ exẽplũ.

Fuga vnicum necessitatis præsidium.

præarduam, tamen quia miniſtra opis ſalutiq; propior videbatur, appetijt, moram quæ tanquam expers ſubſidij malum ineuitabilisq; iacturæ capax videbatur abijciens. Sed dum limen occupat à præſidente foribus ſene medias cæſus nates, lapſo ſeminecis veſtigio concidit. Quippe percuſſor magnopere cauendum duxerat, ne clariſſimas manus turpiſſimi ciniflonis exitio commodaret, improbi amoris faces grauius ignominia quam morte mulctatas exiſtimans. Ita à quibuſdam calamitoſus extincto punitior exiſtimatur. Quo effectum eſt, vt puella parentum officijs defecta, eruditiſſimã moribus fœminam ageret, inq; ſemetipſam quaſi ſeduli tutoris officium exerceret. Cumq; Starcatherus circunſpectam vndiq; familiam, recenti hoſpitis iactura indoluiſſe cognoſceret, ignominiam ſaucij inuectius exaggerandam curauit, inſultandoq; ſic cœpit:

Vnde ſtupet taciturna domus? quæ cauſa dolorem
Integrat, aut vbi nunc vxorius ille quieſcit,
Nuper ob indignum ferro mulctatus amorem?
Nunquid adhuc faſtum luxumq; reſeruat inertem?
Aut tenet inceptum, primaq; libidine feruet?
Extrahat alternis mecum ſermonibus horam,
Heſternumq; odium verbis componat amicis.
Lætior emergat facies, nec plangor in æde
Perſonet, aut mœſtos ſinat obtorpeſcere vultus.
Scire volens quis virgineo flagraret amore,
Dilectæq; mihi facibus premeretur alumnæ,
Pilleolum ſumpſi, ne toto proderer ore.
Cum faber ille procax laſciuis greßibus intrat,
Hâc illacq; agitans inſtructo fœmina geſtu
Nec minus ad varios intendens lumina nutus,
Caſtorio cui tegmen erat chlamys obſita limbo,
Inſtratæ gemmis crepidæ, toga cultior auro,
Splendida nexuerant tortum redimicula crinem
Et varicata vagum ſtringebat vitta capillum.
Hinc adoleuit iners animi tumor, ingeniumq;
Diuitias genus eſſe putans, aut æra parentes,
Fortunamq; magis opibus quam ſanguine penſans.
Hinc ſubijt faſtus, habitumq; ſuperbia traxit.
Nam miſer ob cultum magni ſe credere cœpit,
Ingenuisq; parem ciniflo. qui pellibus auras
Venatur, crebroq; ciet ſpiramina tractu,
Qui digitis cineres verrit, qui ſæpe reductis
Aëra folliculis captat, tenuiq; flabello
Spiramenta creat, torpentesq; excitat ignes.
Inde puellare gremium petit, appoſitusq;
Virgo, inquit, mihi pecte comam, tactuq; ſalacis
[a] Compreſſa pulices, & quo cutis vritur aufer.
Hinc reſidens auro ſudantia brachia pandit
Puluino annixus tereti, cubitoq; reclinis
Ornatum iactare volens, ceu bellua latrans,
Explicat obtortæ contracta volumina caudæ.
Illa mei noſcens compeſcere cœpit amantem,
Laſciuasq; fugare manus, meq; eſſe profeſſa,
Parce precor digitis, inquit, ſtimulumq; coërcens
Contiguum valuis vetulum placare memento.
In luctum recidet luſus. Starcherus adeſſe
Creditur, & lento quid agas diſquirit ocello.
Cui faber, imbellem noli palleſcere coruum
Pannoſumq; ſenem, nunquam validiſſimus ille,

[a] Fortè, Comprenſa.

Quem metuis tam vulgato vilescere cultu
Sustinuit, gaudet nitido vir fortis amictu,
Et vestem pro mente petit. tunc tegmine dempto
Eripui ferrum, fabrigq; pudenda fugacis
Persecui, patuere nates & ab osse resectæ
Viscera nudabant: surgo mox, atq; puellæ
Ora premens pugno, contusa nare cruorem
Elicio, tunc labra malis assueta cachinnis
Sanguine permixto lachrymis maduere, luitq;
Stultus amor quicquid blandis commisit ocellis.
Luserit infelix, quæ cæca libidine fertur
More furentis equæ, sepelitq; cupidine formam.
Gentibus externis precio vænire mereris,
Digna mola, ni te falso probet insimulatam
Elicitus mammis cruor, expugnetq; reatum
Vber inops lactis: at ego te criminis huius
Arbitror immunem, sed noli suspicionis
Ferre notas, aut te falsis permittere linguis,
Et male carpendam populo præstare loquaci.
Rumor obest multis, nocuitq; infamia mendax.
Fallitur exiguo vulgaris opinio dicto.
Defer auis, venerare patres, memor esto parentum,
Et proauos metire tuos, stet gloria carni.
Quis furor incessit? quod te faber improbe fatum
Impulit ingenuam tentare cupidine stirpem?
Aut quis te virgo claris dignissima fulcris,
Egit in obscuram venerem? dic quo potes ausu
Os cinerem redolens roseis gustare labellis,
Vel fœdas carbone manus in pectore ferre?
Ac lateri sociare tuo versantia prunas
Brachia, & assidua duratas forcipe palmas
Synceris adhibere genis, sparsumq; fauilla
Complecti caput, & nitidis mandare lacertis?
Quanta sit in cunctis memini distantia fabris
Ictus ab his quondam, nomen quippe omnibus vnum
Officij commune manet, sed pectora subsunt
Ingenijs discreta suis, me iudice præstant,
Qui gladios & tela viris ad prælia cudunt,
Ingenioq; animos produnt, & corda rigore
Officij signant, ausumq; labore fatentur.
Sunt & nonnulli quibus æs caua testula promit
Diuersas fuso species imitantibus auro,
Qui torrent venas recoquuntq; metalla, sed ipsis
Mollius ingenium finxit natura, manusq;
Eximia quas arte dedit formidine pressit.
Tales sæpe dolo dum flatilis eliquat ardor,
Aes teste immissum, subducunt aurea massis
Crustula, furtiuum concha sitiente metallum.

His dictis Starcatherus non minorem ex voce, quàm opere voluptatem sortitus, Haldanum repetit, eiusq; militiam proxima familiaritate complexus, nunquam bellorum exercitio abstitit, ita vt abstractum delicijs animum continua armorum intentione torqueret. Fuere autem Ingello sorores Helga & Asa, ex quibus Helga toris admodum matura, Asa vero annis minor, connubioq; inhabilis erat. Tunc Helgo Noruagiensis postulandæ Helgæ cupidine concitatus, nauem conscendit. Cæterum nauigationem tanto instruxerat luxu, vt excultorum auro

Nauigationis luxus insignis.

velorum

velorum apparatu vteretur, quæ etiam inauratis malis ſubnixa, purpureis reſtibus tenebantur. Venienti Ingellus votum impetrandum promittit, ſi modo oblatos pugiles ad teſtandam opinionis ſuæ experientiam pugna ſuſtinere præſumeret. Nec conditione permotus Helgo, quam libentiſſime ſe pacto operam daturum reſpondit. Itaq; ſolenni ſponſalium titulo futuræ copulæ pactio conſecratur. Per idem tempus apud inſulam Sialandiam nouem ducis cuiuſdam filios inoleuiſſe memoriæ proditum eſt, apprime viribus & audacia præditos, quorum maximus Angaterus extabat. Qui cum eiuſdem puellæ competitorem ageret, negataſq; ſibi nuptias Helgoni promiſſas videret, palæſtrica illum prouocatione ſolicitat, ferro moleſtiam propulſurus. Approbat Helgo propoſitas pugnę partes, & nuptiarum die dimicandi tempus amborum votis condicitur. Confundebatur enim apud omnes, quiſquis certamen ad dimicandum prouocatus abnueret. Quamobrem Helgonem hinc detrectandæ pugnæ rubor, inde gerendæ metus angebat. Siquidem præter commune prouocationis ius impari manu ſe laceſſitum credebat, quod ſolus aduerſum nouem pugnam ſpopondiſſe videretur. Hæc voluentem, ſponſa auxilio opus habiturum docet, hortaturq; pugna abſtineat, qua nihil præter mortem aut ignominiam petiturus videatur, præſertim cum eorum aduerſum quos dimicaturus eſſet numerum, nulla diffinitionis certitudine clauſiſſet: quamobrem periculo parcat, Starcatherumq; apud Sueones agentem ſaluti conſulturus expoſcat, qui indigentibus adeſſe, & triſtes plerunq; caſus felici interuentu redimere ſoleat. Gratum Helgoni conſilium fuit, qui quum paruulo comitatu ſumpto Suetiam ingreſſus, ad nobiliſſimam eius vrbem Vpſalam peruenisſet, ingreſſu abſtinens præmittit, qui Starcatherũ ſalutationis officio prætentatum ad Frothonis filiæ nuptias inuitaret. Qua comitate Starcatherus perinde ac iniuria laceſſitus, acrius inſpectum iuuenem tam ineptæ legationis pœnas daturum reſpondit, niſi chariſſimi ſui Frothonis mentionem mandatis inſertam haberet, quod ſe ſcurræ vel paraſiti more lautioris alimoniæ gratia ad alienæ culinæ nidorem decurrere ſolitum exiſtimauerit. Quod poſtquam Helgo ex ſatellite cognouit, regiam ingreſſus, Frothonis filiæ titulo conſalutatum ſenem condictæ ex prouocatione pugnæ ſocium depoſcit, cui ob hoc ſe minus ſufficere dixit, quod conflicturæ ſecum partis numerum condictionis modus incertum reliquerit. Quem Starcatherus loco certaminis, ac tempore cognito, non ſolum ſupplicem recepit, verum etiam auxilij promiſſione firmatum Daniam cum comitibus repetere iuſſit, affirmans ſe eius aditum occulto callis compendio quæſiturum. Quo diſcedente interiectis diebus profectionem orſus, ſi famæ credi fas eſt, velocitate greſſus tantum locorum diali itinere emenſus proditur, quantum præcedentes diebus duodecim peragraſſe dicuntur: ita vtriq; fortuito veſtigiorum concurſu vno eodemq; tempore deſtinatos Ingelli penates attigerant, vbi cum Starcatherus miniſtrorum more menſas conuiuijs obſitas præteriret, præmemorati nouem plenis deformitatis geſtibus toruos ore fremitus dantes, ac more ſcenico decurſantes, in pugnam ſe mutua adhortatione firmabant. Sunt qui eos venienti athletæ ſæuientium canum exemplo oblatraſſe perhibeant: quibus Starcatherus increpatis, quod adulterino oris habitu ridiculam ſibi formam conſciſcerent, patuliſq; buccarum rictibus laſciuirent, taliter effœminatorum diſſolutam mollitiem intemperantiæ ſuę luxum deducere prædicabat. Interrogatus igitur an ei dimicandi virtus ſuppeteret: non vnum tantum, verum quotlibet admiſſos excipiendi certiſſimas ſibi vires extare reſpondit. Quod audientes nouem, animaduertunt hunc eſſe quem in ſubſidium Helgonis è longinquo venturum acceperant. Idem vt ſponſæ thalamum attentioribus vallaret excubijs, voluntariam vigiliarum curam amplexus, reductas cubiculi fores obicis loco gladio obſerat, ſtationis ſuæ beneficio ſecuram nuptijs quietem daturus. Experrectus Helgo, cum ſomni ſtupore diſcuſſo, promiſſum memoriæ ſubieciſſet, armis corpus induendum curauit. Animaduertens autem paruulam noctis adhuc ſupereſſe caliginem, cum præſtolari vellet diluculi tempus, cum animo propinqui diſcriminis negocium volutaret, obrepentis furtim ſomni ſuauitate præuentus, grauatum ſtupore corpus lecto reſtituit. Quem vt Starca-

Cùm aliàs recte dicatur, ne quidem Herculem contra duos, hîc tamẽ accidit, vt vnus ſe nouem opponat.

therus prima luce ſuperueniens dormientem vxoris amplexibus inhærere cognouit, importunæ concuſſionis moleſtia à quietis ocio reuocari paſſus non eſt, ne per ignauiam excitandi officium præſumere, & tam recentis copulæ dulcedinem interpellare videretur. Solus itaq; periculum petere, quam alienæ voluptatis offenſione comitem quærere ſpecioſius duxit. Tacitus igitur veſtigium retulit, campumq; qui lingua noſtra Roliung dicitur, cum contemptu aduerſariorum ingreſſus, ſub montis cuiuſdam cliuo ſeſſione quæſita, aduerſum ventis ac niuibus corpus præbuit. Tunc ac ſi verna cœli temperies aſpiraret, depoſita veſte, demendis operam pulicibus dabat. Purpureum quoq; quo nuper ab Helga donatus fuerat, ſentibus amiculum iniecit, ne contra ſæuientia grandinis tela indumentorum vmbracula mutuatus videretur. Tunc venientes athletæ, montem ex oppoſito ſubeunt, auerſumq; ventis ſedendi locum petentes, accenſo frigus igne depellunt. Denique non viſo Starcathero, quendam montis faſtigio immittunt, qui tanquam è ſpecula liquidius eius contemplaretur aduentum. Is poſtquam montanæ celſitudinis verticem conſcendit, in deuexa eius parte ſenem proſpicit, ſcapulis tenus niuali deſuper reſperſione contectum. Percontatur itaq; an is ſit, qui promiſſas pugnæ partes agere debeat. Cumq; ſe hunc eſſe Starcatherus aſtrueret, ſuperuenientes cæteri, pariter ne omnes an ſingillatim excipere ſtatuiſſet, interrogant. At ille, quoties mihi, inquit, triſte canum agmen oblatrat, ſimul non viciſſim eos abigere ſoleo? ita ſe cum vniuerſis quam ſingulis confligere malle ſignificans, aduerſarios prius dictis quam armis contemnendos putabat. Inito conflictu, ſex eorum abſq; mutuo vulnerum receptu proſtrauit: tres vero reſiduos, quanquam decem ac ſeptem vulneribus ita ab eis affectus eſſet, vt maior viſcerum pars ventre elaberetur, nihilominus fratrum exemplo conſumpſit. Cumq; extis vacuus, labefactis viribus graui ſitis anguſtia premeretur, petendæ potionis cupiditate pergenuans, labentis comminus riui lympham expoſcit. Quem vt cruore tabidũ animaduertit, à polluto eius hauſtu faſtidita aquæ ſpecie temperauit. Angaterus ſiquidem inter amnis fluenta proſtratus, ita alueum eius ſanguinis ſui rubore conſperſerat, vt iam non aquis, ſed roſeo quodã liquore manare videretur. Ita Starcatherus corporis viribus defici, quam eas à tam fœda potione mutuari ſpecioſius duxit. Igitur conſumpto penè robore, ſaxo quod in uicino fortè ſitum erat genibus aduolutus, pauliſper eidem accliuis incubuit: cuius caua adhuc ſuperficies cernitur, ac ſi illam decubantis moles conſpicua corporis impreſſione ſignaſſet. Ego autem hanc imaginem humana arte elaboratam reor, cum veri fidem excedere videatur, inſecabilem petræ duritiam ita cæræ mollitiem imitari potuiſſe, vt ſolo innitentis contactu humanæ ſeſſionis ſpeciem repræſentaret, habitumq; perpetuæ concauitatis indueret. Cumq; Starcatherum quidam fortè curru præteriens, toto penè corpore ſauciatum vidiſſet, horrore rei pariter atq; admiratione permotus, propius lora deflectit, quærens quid ſibi præmij foret, ſi plagas eius medendi officio proſequeretur. Sed Starcatherus vulnerum acerbitate cruciari, quam ſordidæ conditionis hominum miniſterio vti præoptans, officium eius ac genus cognoſcere inſtitit. Quem cum præconis partibus fungi didiciſſet, ſpernere non contentus, etiam conuicio proculcauit, quod cunctis honeſtatis partibus neglectis, ſcurrilitatis officia ſectaretur, omnemq; vitæ curſum nefanda ſemper opinione reſperſerit, & quæſtus loco pauperum duxerit detrimenta, nemini innocentiam tribuere, cunctis accuſationis iniuriam irrogare paratus, tunc præcipue lætus, cum quid alienis luctuoſum rebus incideret, dum in hoc maxime ſua deſudet intentione, vt omnium actus inſidioſæ explorationis arte cognoſcat, & innocuos mores quæſitæ fraudis occaſione perſtringat. Abeunte eo, ſuperuenit alius opis medelæq; promiſſor, qui prioris exemplo conditionem fateri iuſſus, ancillam ſe cuiuſdam in matrimonio habere, eiusq; domino emancipandæ coniugis gratia ruſticum opus dependere teſtabatur. Cuius opera Starcatherus idcirco ſe vti nolle perhibuit, quod erubeſcendo connubij genere ſeruiles ſibi conſciuiſſet amplexus. Cui ſi quid virtutis ſuppeteret, faſtidita alieni ſaltem familiaritate mancipij, libera tori participe frueretur. Quantam porrò huius viri magnitudinem

Starcatheri effigies ſaxo impreſſa.

Starcatheri magnanimitas.

tudinem existimemus, qui summis vitæ periculis implicatus, tantũ se in repellendis auxilijs gessit, quantum in excipiendis vulneribus gesserat. Itaque discedente eo subiens fœmina fortuito senem præteribat incessu. Quæ cum pertergendorum eius vulnerum gratia propius accessisset, in primis quo genere aut officio esset exponere iussa, ancillam se molendi officio assuetã perhibuit, Quam rursum Starcatherus an prolem haberet percontatus, postquam fœmineam ei sobolem esse cognouit, domum abire, & vagienti filiæ mammas præbere iussit, perquam deforme existimans, ab extremæ sortis muliercula subsidium mutuari. Quinetiam melius eam proprium sanguinem lactis nutrimentis, quàm aliena vulnera remedijs prosecuturam sciebat. Hanc quoque discedentem iuuenis curru delatus insequitur. Qui cum conspecti senis vulneribus opem laturus accederet, quisnam esset rogatus, agricola se patre natum, rusticiq; laboris operibus assuefactum subiunxit. Cuius Starcatherus natalibus collaudatis, officium quoq; veneratione digniſſimum iudicauit, quod talibus vitæ subsidia iusto laboris commercio peterentur, qui nimirum quæstum non nossent, nisi quem fusi sudoris impendio peperissent. Nec immeritò ruralis vitæ habitum etiam excellentissimis opibus præferendum putauit, cuius integerrimi fructus inter splendidam abiectamq; fortunam mediocritatis gremio orti educatiq; viderentur. Ne autem indonatam iuuenis humanitatem relinqueret, chlamydem à se vepribus interiectam oblatæ dignationis præmium effecit. Accedens itaq; ruricolæ filius, euulsas stomachi partes pristino loco restituit, elapsamq; extorum congeriem nexili viminum complexione perstrinxit. Deinde exceptum vehiculo senem, ad regios vsq; penates pleno venerationis studio deportandum curauit. Interea Helga verbis magnam præ se cautelam ferentibus, virum instruere aggressa, scire se, inquit, Starcatherum mox vt victis pugilibus remearet, absentiæ pœnas ab eo sumpturum, à quo plus ignauiæ & libidini quam condicti certaminis fidei indultum existimet. Cui ideo acrius resistendum fore, quod fortibus parcere, ignauos odisse soleat. Cuius prædictionem Helgo æque ac consilium veneratus, corpus animumq; capessendæ virtutis ardore firmauit. Cumq; Starcatherus ad regias esset ædes delatus, vulnerum dolore neglecto, ocyus curru desilijt, ac veluti toto integer corpore nuptialem irrumpens thalamum, pugno valuas perfregit. Tunc lecto exiliens Helgo, vt coniugis erat consilio doctus, aduersæ eius fronti ferrum immersit. Cumq; secundi vulneris meditatione denuò ferrum adacturus videretur, Helga toro ocyssime euolans, senem ab imminenti exitio correpti vmbonis interiectu defendit: quod tamen ab Helgone validiore ferri impulsu medio tenus vmbone dissectum est. Ita laudabilis fœmina ingenij amicum auxilio prosecuta, quem consilio læserat, manu seruauit, vtq; monitis maritum, ita factis senem protexit. Quæ res Starcatherum ad incolumitatem Helgoni tribuendam adduxit, præfatum parci oportere cui certum virtutis indicium præsens fortitudinis fides exhibeat. Morte siquidem indigniſſimum prædicabat, quem tanta resistendi fiducia plenum probitatis ingenium exornasset. Idem plagis nondum medicamine procuratis, nec vlla adhuc cicatrice respersis, occiso ab æmulis Haldano, Suetiam repetens, filium eius Syuardum deuicta quorundam rebellione, paternæ dominationis hæredem constituit. Apud quem diutile conuersatus, cum Frothonis fraudulenter oppressi filium Ingellum transuerso animo actum patris interfectoribus animaduersionis humanitatem atque amicitiam erogasse fama rei crebrescente cognosset, ob tam horridum facinus indignationis aculeis lacessitus, dolenterq; ferens tantæ indolis iuuenem tam inclyti patris filium exuisse, eximium carbonum fascem tanquam opimam sarcinam humeris suis Daniam petiturus impendit. Rogatus ab obuijs, quid tam insolitum onus deferret, Ingelli regis hebetudinem ad acuminis habitum carbonibus se perducturum astruxit. Itaq; expedita & compendiaria semita velut vno spiritu rapidum ac præceps iter explicuit, tandemq; Ingelli hospitio vsus, sedem maioribus destinatam suo more conscendit. Quippe apud prioris seculi reges amplissimum dignitatis gradum obtinere consueuerat. Quem cum regina squalore obsitum sordidisq; & agrestibus pannis vtentem ingressa conspi-

Agriculturæ laus.

ceret,ob deformitatẽ cultus parum curiosa hospitis æstimatrix effecta, simulq; virum ex veste metiens, stoliditatis increpitũ quod maiores discubitu præcurrisset, ac sedem rustico cultu indignam occupasset,loco excedere iussit,ne puluinaria tetriore quàm par esset habitu contrectaret.Quod enim ille ex fiducia agebat,stoliditati atq; impudentiæ deputabat,ignara aliquanto splendidius mentem quam vestem in sublimi lucere consessu. Paruit animosus senex, tametsi repulsa æger,indebitamq; fortitudini suæ contumeliam egregio animi temperamento suppressit, ac ceptum ruborem nec voce nec gemitu prosecutus. Nec tamen tacitã doloris acerbitatem,prorsus occultare sustinuit. Exurgens enim atq; in vltimã ædis partem secedens,adeò ipsa parietum robora dimissi corporis impulsu contudit: vt tectũ ruina penè eximia tignorum trepidatione submitteret. Quo euenit vt non solum repulsa,sed etiam exprobratæ sibi paupertatis ignominia lacessitus,iram suam aduersum contumeliosam reginæ vocẽ irreuocabili seueritate destringeret.Quem cum Ingellus à venatione regressus curiosioribus oculis collustratum,nec os vsquã hilariter circunferentem,nec se assurgendi officio venerantẽ animaduerteret,Starcatherum esse parũ blandæ frontis annotatione cognouit.Nam cum manus eius bellico opere duratas,cicatrices aduerso corpore exceptas,acerrimũq; oculorum vigorem attenderet, animaduertit nequaquã enerui animo esse, cuius corpus tanta vulnerum vestigia confodissent.Obiurgatam igitur vxorem impensius monuit,vt abiecto irarum supercilio, quem conuicio insecuta fuerat, blandimentis permulsum liberalitatis officijs deleniret, ciboq; & potione firmatum benigno recrearet alloquio,præfatus hunc sibi olim à patre tutorem datum, infantiæ suæ indulgentissimum extitisse custodem. Tum sera senilis animi cognitrix rigore in mansuetudinem verso,quem repulsa affecerat,conuicij amaritudine lacerauerat,ministrandi studio venerata est, atq; ex hospita indignante, obsequentissimam adulatricem agere cœpit, curiositatem suam iræ eius apponere cupiens, eo quidem minus errore culpabilis, quo illum celerius obiurgata deseruit. Nec tamen leues eius pœnas pependit, cum loca in quibus fortissimum senem discubitus repulsa sugillauerat,postmodũ fratrum suorum cladibus cruentata conspiceret. Nocte vero Ingello cibum cum Suertingi filijs capiente, apparatissimis dapibus insistens luxurioso mensas epulo cumulauit, senemq; ne maturius se conuiuio subtraheret, familiari inuitatione retinuit, tanquam operosioris escæ oblectamenta solidũ virtutis rigorem excauare potuissent. Quibus cum Starcatherus oculos inseruisset, eorũ vsu lasciuiore contempto,ne quid externo ritui indulgeret,temperantia qua plurimũ pollebat appetitum suum aduersus deliciarum irritamenta firmauit, ne bellicam claritatem conuiualibus illecebris absumendam permitteret.Erat enim fortitudo eius frugalitatis amatrix, aliena nimiæ ciborum abundantiæ & ab immoderato dapum vsu auersa, vtpote quæ aliquo in momento ponendi luxuriã nunquam vacauit,semperq; voluptate omissa,virtutis respectum egit. Cum ergo vetustos continentiæ mores, omnemq; pristinæ consuetudinis habitũ nouo luxu ac lautitia corrumpi animaduerteret,rusticioris escæ paratũ appetens, cœnæ sumptuosioris impendium fastidiuit. Igitur profusam dapum indulgentiam aspernatus, fumidoq; ac rancidulo cibo vsus, famem eo sapidius quo simplicius pepulit, ne veræ virtutis neruos externarum deliciarum contagione, tanquam adulterino quodam dulcore remitteret, aut priscæ frugalitatis normam inusitatis gulæ superstitionibus abrogaret. Cæterum indignanter ferebat assam dapem, eandemq; elixam vnius cœnæ sumptibus erogari, edulium pro monstro accipiens quod culinæ nidoribus delibutum,fartoris industria multiplicis temperamenti varietate perfricuit. Econtrario Ingellus proiectis maiorum exemplis, innouando mensarum ritu licentius sibi quàm mos patrius permittebat indulsit. Postquã se enim Teutoniæ moribus permisit,effœminatæ eius lasciuiæ succumbere non erubuit.Ex cuius sentina in patrię nostræ fauces haud parua luxuriæ nutrimenta fluxerunt. Inde enim splendidiores mensæ, lautiores culinæ, sordida coquorum ministeria, variæq; farciminũ sordes manauere.Inde licentioris cultus vsurpatio à ritu patrio peregrinata est.Itaq; regio nostra quæ continentiam in se tanquam naturalem aluit, luxum à finitimis depoposcit.

Mens sæpius in sublimi loco splendidius luet, quàm veste.

Profusus obsoniorum apparatus à Teutonibus in Daniam traductus.

poſcit. Cuius Ingellus illecebra captus, iniurias beneficijs rependere erubeſcendũ non duxit. neq; illi miſera parentis clades cum aliquo amaritudinis ſuſpirio obuerſata eſt. At regina ne propoſiti irrita abiret, iram ſenis donis optime propulſandam exiſtimans, mirifici operis vittam proprio capiti detractã gremio cœnitantis appoſuit, beneuolentiã eius quia virtutem hebetare nequiuerat, mercari cupiens. Quã Starcatherus necdum offenſæ acerbitate depoſita, in os ferentis reijciens, plus contemptus quàm venerationis in eo munere repoſitum arbitrabatur: prudentiq; animo egit ne cicatricibus conſito, galeisq; aſſueto capite, inſolitum effœminati cultus ornamentum exciperet, ſciens virilibus comis muliebre redimiculum inijci non oportere. Itaq; repulſam repulſa vltus, contemptum ſuum mutua aſpernatione penſauit, tantum ſe penè in vindicando ruboregerens, quantum geſſerat in ſuſtinendo. Veterani nanq; bellatoris animus Frothonis cultum inextricabilibus amicitiæ hamis complexus, totq; ac tantis munificentiæ eius meritis inuitatus, ad abijciendum vltionis propoſitum nullo indulgentiæ blandimento ſeduci poterat, quo minus debitam beneficijs eius gratiam etiam poſt fata referre ſatageret, extinctoq; viciſſitudinem humanitatis rependere curaret, cuius adhuc extantis amantiſſimum animum, liberaliſſimamq; amicitiã expertus fuerat. Adeò quippe miſerrimam Frothonianæ cladis imaginem alte pectori inſertam gerebat, vt ab intimo præcordiorum eius receſſu, clariſſimi ducis reſpectus conuelli nequiret, atq; ob hoc præſenti beneficio priſtinæ familiaritatis titulum anteponere non dubitaret. Cæterum ſuperioris contumeliæ memoria nihil gratiæ ſequenti obſequio reddidit, laceſſiti pudoris ignominiam deponere nequiens. Tenacius enim iniuriarum vel beneficiorum imagines fortium quàm mollium animis inhærere conſueuerunt. Neq; enim illorum inſueuit moribus, qui amicorum proſperum vitæ curſum comitantur, aduerſum deſerunt, quiq; fortunæ magis quàm charitati cultum tribuunt, proprijs commodis quàm alienæ beneuolentiæ propiores. Animaduertens autem pertinax propoſiti fœmina, ne ſic quidem conuiualem à ſene hilaritatem elici poſſe, vt blanditiarum cœptum liberaliori comitate proſequeretur, cumulatioremq; hoſpiti honorem redderet, tibicine deinduſtria modulari iuſſo, muſam qua indignationis eius perſeuerantia flecteretur inſtituit, artificialis ſoni miniſterio naturales inclementiæ neruos elidere cupiens. Sed fiſtulæ aut chordarum lenocinium in hebetanda viri pertinacia parum efficax manſit. Auditor enim exhibitum ſibi cultum figmentum magis quàm charitatem redolere cognouit. Quo euenit vt eluſus opinione ſua mimus, ſtatuæ magis quàm homini canere putaretur, diſceretq; ponderoſiſſimæ ſeueritatis ſtatum fruſtra ſcurrarũ luſibus attentari, inaniq; oris ſpiraculo maximæ rei molem labefactari non poſſe. Adeò enim Starcatherus oris habitum indignationis pertinacia firmauerat, vt nulla ex parte conſueto infractior videretur. Quippe debitus votis rigor nec tibiæ cantu, necgulæ lenimento permulſus, plus ſtrenuo viriliq; propoſito, quàm aurium aut epuli blandimentis tribuendum putauit. Oſſe itaque quod veſcendo carne ſpoliauerat in vultum geſticulantis proiecto, plenas aurarum buccas, violenta flatus excuſſione laxauit. Quo facto, quantum ſeueritas ſcenicos plauſus faſtidiret, edocuit. Ira ſiquidem obſeratæ aures nulli voluptatis effectui patuerunt. Dignum hiſtrione munus turpi præmio deforme mulctauit obſequium. Siquidem optimus meritorum æſtimator, muneris loco tibicini tibiam erogauit, ac durum mercedis genus molli officio retulit. Itaq; mimus neſcias ſonorius cecinerit an fleuerit, quàm parum in luxurioſis pectoribus fortitudo poſſideat, effuſa lachrymarum acerbitate teſtatus. Neq; enim qui totum ſe voluptati ſubſtrauerat, quandoque calamitatis incurſum tolerare didicerat. Cuius læſio futuras cœnæ clades ominata eſt. Et bene quidem cultor ſeueritatis animus vindictæ conſtantiam pertinaci grauitate complexus, qui quantum alij ſuauitatis, tantum ex fidibus faſtidij traxit, probroſo oſſis iactu ingratũ penſauit officiũ, plus ſe valentis amici ſpecioſis cineribus quã improbis turpiſſimi alumni moribus debuiſſe confeſſus. Deinde in ampliorẽ hiſtrionis ſuggillationem, mox citandũ carmen ſubtexuit. Regina vero virtutem quam debilitare nequiuerat ſtupens, eius quem fruſtra beneficijs coluit,

Conſtantia Starcatheri.

admiratrix euasit. Videns autem Starcatherus eos qui Frothonem oppresserant in summa regis dignatione versari, concepti furoris magnitudinem acerrimo oculorum habitu prodidit, internosq; motus externo oris indicio patefecit, occultam animi procellam aperta luminum sæuitia testatus. Deniq; Ingello se regijs dapibus delenire cupiente, edulium repulit, quod vulgaris cibi vilitate contentus peregrina admodum obsonia fastidiret, communibusq; epulis assuetus, nullius gulam saporis oblectatione palparet. Interrogatus cur fronte tam nubila regiæ liberalitatis obsequio vti noluisset: reperiendi Frothonis filij gratia, Daniam sibi petitam asseruit, nec eius qui petulantis stomachi ingluuiem operosa dapum vbertate farciret: hoc enim familiaris regi Teutonum luxus egerat, vt excoctas aquis epulas delicioſæ satietatis studio rursum igni torrendas præberet. Post hæc Ingelli mores intactos præterire non passus, in eius caput omnem reprehensionis amaritudinem transtulit, impietatis damnatum quod nimiæ saturitatis vsu oscitans, partam edendo crapulam fœda ructatione exhalaret, Saxonicamq; imitatus illecebram amplissimis à sobrietate excessibus oberrasset, adeò virtute vacuus, vt ne minimam quidem eius vmbram consectaretur. Maxime autem illi turpitudinis cumulum accedere memorabat, quod in ipso militiæ tyrocinio vlciscendi parentis immemor neglecta naturæ lege paterni sanguinis carnifices beneuolentia atq; officio amplecteretur, iniquissime meritos amantissima charitate complexus, eosq; in quos quam acerrime animaduertere debuerat, non modò impunitate donasset, verumetiam conuictu ac mensæ honore dignos iudicasset, à quibus potius capitale supplicium sumendum fuisset. Præterea hic hoc carmine vsus asseritur:

Offensorũ proximus condonandorũ præclarum exemplum.

Cedat imbellis vetulo iuuentus,
Et senis crebros veneretur annos,
In viro forti numerosa nemo
Tempora culpet.
Albicet quanquam seniu capillus
Permanet virtus eadem vetustis,
Nec fluens ætas poterit virile
Carpere pectus.
Me grauis sessor cubito repellit,
Qui boni formam vitio prophanat
Dum gulæ parens nihilum diurnis
Prorogat escis.
Quando Frothonis comes annotabar
Militum semper medius resedi
Aede sublimis, procerumq; primus
Prandia duxi.
Sorte nunc versa melioris æui,
Angulo claudor simuloq; piscem
Qui vago captat latebram recursu
Abditus vndis.
Seculo certe solitus priore
Cultius strato recubare fulcro,
Inter extremos premor & referta
Pellor ab aula.
Pellerer forsan foribus supinus
Ni latus pulsum paries referret
Et fugam truso facilem negaret
Obuius asser.
Aulici risu populi lacessor,
Aduenæ digno vacuus receptu
Aspero carpor sale, dum loquaci
Mordeor ausu.
Quid noui rumor celeber volutat,
Quis tenor rerum, patriæ quis ordo
Gliscerem vestræ regionis actus
Aduena nosse.
Vt quid Ingelle vitio sepultus
Vindicem patris remoraris ausum,
Num pij cladem genitoris æquo
Pectore duces?
Quid dapem deses colis? ocioq;
Mollior scortis, stomachum reclinas?
An tibi paruo patris interempti
Vltio constat?
Proxime quando Frotho te reliqui
Mente præsaga didici quod armis
Hostium certe periturus esses
Maxime regum.
Cumq; rus longum tererem viator
Præscius mentem gemitus subibat
Qui quod hinc esses mihi non videndus
Omine finxit.
Proh dolor quod tunc aberam remotus
Extimos orbis populos lacessens
Cum dolo regis iugulum petebat
Perfidus hospes.
Aut enim vindex domini probarer,
Aut comes pœnæ, sociusq; fati,
Et pari gaudens sequerer beatum
Funere regem.
Non gulam veni dapibus beare,
Cuius enitar vitium ferire,
Nec cutis curam sequar, aut obesi
Gaudia ventris.
Nemo me regum prius inclytorum
Exteros iuxta medium locauit

Cui

Cui frui primis licuit cathedris
Inter amicos.
Suetia veni, spatiosa mensus
Rura, mercedem ratus affuturam
Si modo chari fruerer reperta
Prole Frothonis.
Sed probum quærens adÿ gulosum
Deditum ventri vitioq; regem,
Cuius in luxum studium refudit
Fœda voluptas.
Claret Haldani ratus esse sermo
Qui breui nobis cecinit futurum
Quod patri gnaro generandus esset
Filius excors.
Degener quanquam reputetur hæres
Non opes magni patiar Frothonis
Aduenis lucro fore, vel rapinæ
More patêre.

Ad hanc vocem tremefacta regina, detractum capiti suo redimiculum, quo fortè capillitium muliebriter adornabat, efferato seni tanquam beneficio bilem auersura porrexit. Quo Starcatherus quamturpissime in os offerentis cum indignatione reiecto, clara rursum voce recinuit:

Amoue quæso muliebre donum
Et tuo mitram capiti repone,
Insulas nemo Venerem decentes
Fortis adoptat.
Absonum nanq; est vt in arma promptis
Nexili crinis religetur auro,
Mollibus cultus tenerisq; turbis
Competit iste.
At tuo munus refer hoc marito
Cui placet luxus, digitusq; prurit
Dum nates versans volucris rubellæ
Viscera tractat.
Vxor Ingelli leuis ac petulca
Teutonum ritus celebrare gestit,
Instruit luxus & adulterinas
Præparat escas.
Nam nouis palpat dapibus palatum
Captat ignoti libitum saporis,
Aestuans ferclis onerare mensas
Lautius omnes.
Hæc viro vinum pateris propinat,
Cuncta propenso meditans paratu,
Cocta torreri iubet & secundo
Destinat igni.
Pascit vt porcum petulans maritum
Impudens scortum, natibusq; fidens
Gratis admissum tolerare penem
Crimine stupri.
Assat elixum, recoquitq; tosta
Prodigo cœnam meditata luxu,
Negligens morum, vitijq; cultrix
Fœmina turpis.
Hæc procax fastu, Venerisq; miles
Appetens escæ, bene temperatos
Abdicat ritus, simul & gulosas
Instruit artes.
Rapulum læui patina liquatum
Præditas succo tenui placentas
Pruriens aluo petit, ordinesq;
Conchyliorum.
Non ego magnum memini Frothonem
Dexteram fibris volucrum dedisse,
Podicem cocti lacerasse galli
Pollice curto.
Quis prior regum potuit gulosus
Viscerum putres agitare sordes?
Aut manu carptim fodicare fœdum
Alitis anum?
Fortium crudus cibus est virorum,
Nec reor lautis opus esse mensis
Mens quibus belli meditatur vsum
Pectore forti.
Aptius barbam poteras rigentem
Mordicus presso lacerare dente,
Quàm vorax lactis vacuare sinum
Ore capaci.
Fugimus lautæ vitium popinæ
Rancidis ventrem dapibus fouentem.
Coctiles paucis placuere succi
Tempore prisco.
Discus herbosi vacuus saporis
Arietum carnes dabat & suillas,
Temperans vsus nihil immodesto
Polluit ausu.
Lacteum qui nunc adipem liguris
Induas mentem petimus virilem
Esto Frothonis memor & paterni
Funeris vltor.
Occidet nequam pauidumq; pectus
Nec fugax fati stimulum refellet
Valle condatur licet, aut opacis
Incubet antris.
Vndecim quondam proceres eramus
Regis Haconis studium secuti,
Hic prior Helgo Begathus resedit
Ordine cœnæ.
Hic famis primæ stimulum licebat
Aridis pernæ natibus leuare,
Ventris ardorem rigidi domabat
Copia crusti.
Offulam nemo vapidam petebat
Quisq; communes celebrabat escas
Simplici tantum stetit apparatu
Cœna potentum.

Vulgus externum fugiebat esum
Nec fuit summis epuli libido,
Ipse rex paruo meminit modestam
Ducere vitam.
Mellei temnens speciem saporis
Combibit tostum Cereris liquorem
Nec parum coctis dubitabat vti
Assa perosus.
Mensa perstabat modico paratu
Exhibens sumptum tenui salino
Ne quid externo variaret usu
Docta vetustas.
Amphoras nemo paterasúe quondam
Intulit mensis, dolio profudit
Poculum promus, nec erat catillis
Copia pictis.
Nemo transacti venerator æui
Cantharis iunxit teretes diotas
Nec cibis lancem cumulauit olim
Comptus agaso.
Non breui concha ciathoúe læui
Prandium vanus decorabat hospes,
Nunc recens morum facies pudenter
Omnia pressit.
Aere quis sumpto toleraret vnquam
Funus amissi redimi parentis,
Aut loco patris peteret necati
Munus ab hoste?
Quis valens hæres, soboleś́ fausta
Talibus iunctum latus applicaret,
Vt viri neruos vacuaret omnes
Pactio turpis?
Vnde cum regum tituli canuntur
Et ducum vates memorant triumphos
Pallio vultum pudibundus abdo
Pectore tristi.
Cum tuis nil eniteat trophæis
Quod stylo digne queat annotari,
Nemo Frothonis recitatur hæres
Inter honestos.
Improbis quid me laceras ocellis
Qui reum patris veneratus hostem
Panibus tantum tepidoq́ iuri
Crederis vltor?
Vindices quando scelerum probantur
Quo minus mentem pudeat prophanam
Aurium prompto vacuatus usu
Esse peropta.
Sæpe nam virtus aliena sueuit
Conscium culpæ lacerare pectus
Et boni fama premitur malignus
Pectore sensus.
Appetas ortum licet, aut remotus
Occidentali regione degas,
Seu situm mundi medium sequaris
Concitus istinc.
Seu plagam cœli gelidam reuisas
Quà poli vertex patet, impetuq́
Versili sphæram rapit, & propinquam
Despuit vrsam.
Te pudor late comes insequetur
Et graui vultum feriet rubore
Quando magnorum sociata ludit
Concio regum.
Dedecus quem cum maneat perenne
Inter illustres medius venire
Non potes turmas, reprobusq́ in omni
Climate degas.
Fata Frothoni sobolem dedere
Editam mundo superis sinistris,
Cuius affectum scelus & libido
Sordida cepit.
Sicut in naui fit vt obsoletum
Fœda sentinæ gremium requirant,
Sic in Ingellum vicios a rerum
Copia fluxit.
Ergo vulgatum veritus ruborem
Angulis pressus patriæ iacebis
Torpidus fœdo lare nec videndus
Agmine claro.
Sorte tum barbam quaties sinistra
Concubinarum stimulis repressus
Cum tibi pellex querulus perurat
Vocibus aurem.
Cum pauor mentem gelidus repigret
Et patris vindex fieri timescas,
Degener planè, parilisq́ scorti
Ritibus extas.
Obrui paruo poteras paratu,
Vt quis arreptum iugularet hœdum,
Aut ouem cultro teneram trucidet
Gutture secto.
Ecce Suertingo genitus tyranno
Dania post te potietur hæres,
Cuius ignauam retines sororem
Fœdere turpi.
Dum grauem gemmis nitidamq́ cultu
Aureo gaudes celebrare nuptam,
Nos dolor probro sociatus vrit,
Turpia questos.
Quando te præceps agitat voluptas
Anxius nobis animus prioris
Temporis formam reuocat, monetq́
Multa dolere.
Nam secus quàm tu scelus æstimamus
Hostium quos nunc veneraris. vnde
Prisca noscenti facies molesta est
Temporis huius.
Re magis nulla cuperem beari
Si tui Frotho iuguli nocentes
Debitas tanti sceleris viderem
Pendere pœnas.

Tan-

Tantum autem monitus sui incitamento profecit, vt ab enerui & frigescenti animo veluti quadam reprehensionis silice flagrantissimum fortitudinis ignem extunderet. Primum enim rex vacuas carmini aures præbuit, deinde impensiori educatoris sui hortamine concitatus, serum vltionis calorem animo traxit, oblitusq; conuiuæ, hostem induit. Ad vltimum discubitu euolans, omnem iræ suæ procursum in confessores effudit, ita vt ferrum aduersus Suertingi filios cruenta seueritate nudaret, & quorum gulam mensæ delicijs fouerat, destricto mucrone iugulum peteret. His nanq; continuò trucidatis, sacra mensæ sanguine inuoluit, infirmum societatis vinculum diremit, erubescendumq; conuiuium egregia crudelitate mutauit, atq; ex hospite hostis, ex abiectissimo luxuriæ mancipio truculentissimus vltionis minister euasit. Siquidem industria hortatoris oratio, molli ac teneræ iuuentæ animositatis spiritum ingenerauit, latebrisq; suis extractam recreauit audaciam, extuditque vt grauissimæ cladis autoribus pœna factis debita penderetur. Exulauerat siquidem probitas iuuenis non expirauerat, quæ in lucem senili suffragatione producta, opus eo maius quo tardius edidit, aliquanto speciosius cruore quàm mero calices imbuens. Quàm porrò industrium existimemus senem, qui disertissima admonitione immensum regalis animi vitium expugnauit, eiusq; loco perruptis nequitiæ claustris, efficacissimam virtutis sementem inseruit? Ipse quoq; manum regis pari facinore prosecutus, fortitudinem non solum in se plenissimam exhibuit, sed etiam ex alieno pectore erutam reuocauit. Quo peracto sic cœpit:

Rex Ingelle vale, cuius iam prodidit ausum
Plenum animi pectus, tibi mens in corpore regnat
Auspicio patefacta suo, nec defuit altum
Pectore consilium, quanquam taciturnus aa horam
Extiteris, nam damna moræ probitate rependis,
Torporemq; animi redimis virtute potenti.
Fac age fundamus reliquos, nullusq; periclum
Effugiat, quod quisq; pari ratione meretur:
Cedat in autorem facinus, premat artificemq;
Culpa relata suum, cæsorum corpora curru
Excipiant famuli, promptusq; cadauera lictor
Efferat, officijs meritò caritura supremis,
Et bustis indigna tegi, non funebris illis
Pompa rogusue pium tumuli condonet honorem:
Putida spargantur campis, auiumq; terenda
Morsibus, infesto maculent rus vndiq; tabo.
Tu quoq; rex sæuam si quid sapis effuge nuptam,
Ne lupa consimilem sibi fœtum gignat, & ex te
Bellua consurgat proprio nocitura parenti.
Dic Rotho perpetue timidorum irrisor, an vltos
Frothonem satis esse putas, qui funera septem
Vindictæ vnius impendimus? ecce feruntur
Exanimes, qui non rebus sed imagine tantum
Imperium coluere tuum, fraudemq; parabant
Obsequio. sed ne semper spes illa subibat
Quod solet ingenuis sua respondere propago
More secutura sortem quam sanguine traxit.
Nunc ergo Ingelle, melius quàm tempore lapso
Letharum dici dominus Daniæq; mereris.
Imberbis quando ductum auspiciumq; sequebar
Militiæ rex Hako tuæ, lasciua perosus.
Ingenia & luxum, nil præter bella colebam,
Exercens animum cum corpore, mente prophanum
Omne relegaui, stomachoq; placentia fugi,

Fortia complexus animo, nanq; arma profeſſus
Aſpera veſtis erat cultusq; parabilis olim,
Rara quies, ſomniq; breues, labor ocia longe
Propulit, & parco fluxerunt tempora ſumptu.
Non vt nunc quidam quibus inſatiata cupido
Ingluuie cæca viſum rationis inumbrat.
Horum aliquis veſtis operoſæ tegmine cultus
Molliter alipedem flectit, ſparſamq; renodat
Carpit ſuperbos. *Cæſariem, & laxos patitur fluitare capillos,*
Diſcere ſæpe foro, turpiq; inhiare lucello
Gaudet, & hoc ſtudio vitam ſolatur inertem,
Venali celebrans commiſſa negocia lingua.
Vi violat leges, & ferro iura laceſſit,
Obterit innocuos, alieno paſcitur ære,
Stupra gulamq; colit, riſu conuiuia mordax
Inſequitur, ſic ſcorta petens vt ſarculus herbam.
Occidit ignauus dum prælia pace quieſcunt
In media ſi valle cubet, teſtudine nulla
Tutus erit qui fata timet, fors vltima viuum
Quenq; rapit, latebra lethum depellere non eſt.
Aſt ego qui totum concuſſi cladibus orbem
Leni morte fruar, placidoq; ſub aſtra leuandus
Funere, vi morbi defungar vulneris expers?

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI SEXTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER SEPTIMVS.

INGELLO quatuor filios fuiſſe, ex ijſdemq; tribus bello conſumptis, Olauum ſolum poſt patrem regnaſſe, perita rerum prodit antiquitas, quem quidam Ingelli ſorore editum, incerto opinionis arbitrio perhibent. Huius actus vetuſtatis ſqualore conſperſos, parum iuſta notitia poſteritas apprehendit, extremum duntaxat prudentiæ eius monitum memoria vendicauit. Quippe cum ſupremis fati viribus arctaretur, Frothoni & Haraldo filijs conſulturus, alterum terris, alterum aquis regia ditione præeſſe, eamq; poteſtatis differentiam non diutina vſurpatione, ſed annua viciſſitudine ſortiri iubet. Ita regnandi inter eos conditione æquata, prior Frotho maritimarum rerum regimine potitus, crebris piraticæ damnis deformis euaſit. Infortunij cauſa recentia nautarum coniugia fuere, domeſticas tori voluptates externis militiæ laboribus præferentium. Interiecto tempore natu minor Haraldus maris dominationem ſortitus, vacuum coniugio militem legit, fraternæ fruſtrationis euentum metuens. Fortuna delectui reſpondit. Quippe tam glorioſum piratam egit, quàm frater inglorium geſſerat. Quæ res fraternam ei inuidiã peperit. Quinetiam eorum coniuges Sygne & Vluilda, quarum altera Suetiæ rege Syuardo, altera Carolo Gothiæ præfecto orta fuerat, crebra nobilitatis contentione rixantes, alternos maritorum ſoluêre conuictus. Quo euenit, vt Haraldus & Frotho rei familiaris ſocietate conuulſa, communem partientes ſupellectilem, plus muliebris rixæ iurgijs, quàm fraternæ charitatis officijs indulgerent. Sed & Frotho fratris claritate deformem ſe fieri contemptumq; ſibi ſtrui iudicans, à quodam familiarium

liarium occulte eum interfici iubet, quod quem ætate vinceret, ab eo se virtute superari videret. Quo peracto ne scelus à conscio proderetur, insidiarum ministrum tacite trucidandum curat. Post hæc vt innocentiæ sibi fidem pareret, notamq; sceleris euitaret, quisnam rerum casus inopina germanum clade sustulerit, latius inuestigari præcepit. Sed neque tot artibus perficere potuit, quo minus eum tacita vulgi notaret opinio. A quo Carolus postmodum quis Haraldum occidisset rogatus, dissimulanter ab eo notæ rei quæstionem agi respondit. Quo dicto mortis causam adciuit, Frothone exprobratum sibi latenter parricidium iudicante. Post hæc Haraldus & Haldanus filij ex Sygne Caroli filia susceptι, cum ad necem à patruo quærerentur, ab eorum tutoribus callidior seruandorum pupillorum ratio excogitata est. Nam truncos luporum vngues subtellibus annectentes, contiguum penatibus suis lutum, obfusamque niuibus humum crebris decursibus exarare cœperunt, ferini incessus speciem præbituri. Post hæc trucidatis ancillarum liberis, eorumq; corporibus frustatim discerptis, lacera passim membra disijciunt. Itaque requisitis adolescentibus, nec inuentis, fusi reperiuntur artus, ferarum vestigia demonstrantur, tellus cruore delibuta conspicitur: creditum est pueros lupina ingluuie consumptos, nec cuiquam ferè de tam manifesto laceratιonis argumento dubitare concessum: cuius spectaculi fides pupillis præsidio fuit. Qui mox à tutoribus caua concluſi ilice, ne vllum vitæ eorum indicium ederetur, diu sub canum specie nutriebantur: latrantum quoque eis vocabula indita: quo minus latentium opinio vulgaretur. Solus Frotho mortis eorum fide repudiata, latebræ locum ex perita augurij fœmina cognoscere instituit. Cuius carminum tanta vis erat, vt rem quantalibet nodorum consertione perplexam, è longinquo soli sibi conspicuam ad contactum euocare posse videretur. Hæc Regnonem quendam occulte circa illos educationis officium peregisse, eosq; tegendæ rei gratia caninis censuisse nominibus astruebat. Qui cum se inusitata carminum violentia latibulis egestos incantantis obtutibus admoueri conspicerent, ne tam horrendæ coactionis imperio proderentur, gremium eius acceptι à tutoribus auri incussione perfundunt. Quæ recepto munere, repentina morbi simulatione par exanimi concidit. Perquirentibus ministris causam tam subiti lapsus, inscrutabilem filiorum Haraldi fugam existere memorabat, quorum eximia vis etiam atrocissimos carminum temperaret effectus. Ita paruulo contenta beneficio, maius à rege præmium præstolari passa non est. Post hæc Regno suam ac pupillorum opinionem populari sermone crebrescere expertus, in Feoniam vtroq; deuexit. Vbi à Frothone captus, adolescentes se custodia prosecutum fatetur, precaturq; regem pupillis quos patre priuauerit parcat, nec se duplici parricidio obiectare felicitatis loco ducat. Quo dicto sæuitiam eius in ruborem conuertit, pollicitusq; est, si quid ab eis in patria nouaretur, se regi indicia delaturum. Ita pupillis incolumitate parta, metu liber, multos annos confecit. Qui cum adulti Sialandiam petiuissent, vltionem patris ab amicis exequi iussi, non se ac patruum annua luce potituros vouerunt. Quo comperto Regno pacti memoria concitatus, noctu regiam petit, seq; promissæ rei indicem venire tacite asserit. Dormientem tamen ad vigilias euocare passus non est, eo quod Frotho excitationis suæ pœnas ferro exigere solitus fuerat. Tanti quondam regium somnum importuna frustratione perrumpere existimatum est. Id Frotho mane ex vigilibus expertus, vt animaduertit Regnonem insidiarum nuncium attulisse, contracto milite sæuitia fraudem præcurrere statuit. Nec aliud Haraldi filijs auxilio, quàm furoris simulatio fuit. Nam cum se ex improuiso occupari conspicerent, perinde ac furijs acti lymphantibus morem gerere cœperunt. Quos cum Frotho mente captos putaret, propositum remisit, deforme existimans ferro petere, qui ferrum in se conuertere viderentur. A quibus proxima nocte incendio consumptus, dignas parricidij pœnas pependit. Quippe regiam adorti, reginam in primis lapideo obruere congestu: igne deinde penatibus applicato, Frothonem in excisi dudum specus angustias & opacos cuniculorum recessus obrepere coëgerunt. Vbi dum clausus delitescit, vapore & fumo strangulatus interijt.

Magicæ artis efficacia.

Regis somnum si quis olim interrupisset, ferro puniebatur.

Perempto Frothone cum Haldanus ternos circiter annos patriæ præfuisset, Haraldo fratri regnandi iure perfunctorie tradito, Olandiam eiq; finitimas insulas quas à Suetiæ complexu sinuosus aquarum diuellit anfractus, piraticis populatur iniurijs. Ibidem subductis hyeme nauigijs ac vallo cinctis expeditioni triennium dedit. Post hæc Suetiæ manus iniecit, eiusq; regem bello consumpsit. Cuius nepotem Ericum, patrui vero sui Frothonis filium pugna postmodū excepturus, postquam pugilem eius Haquinum hebetandi carminibus ferri peritum didicit, eximiæ magnitudinis clauam ferreis consertā nodis, tunsionis vsibus adaptauit, perinde ac præstigij vires ligneo robore debellaturus. Deinde cum cęteris conspicuo virtutis habitu præmineret, inter acerrimos hostium procursus obnupto galea capite, scuti inops libratum clauæ robur in obiecta clypeorum munimina geminæ manus ope torquebat. Nec erat vllum tantæ soliditatis obstaculum, quod non fu stratim adactæ molis impulsus obtereret. Quo euenit vt occursantem sibi in acie pugilem acriori gestaminis impactione subrueret. Victus tamen & in Helsingiam fuga delapsus, Vitolfum quendam olim Haraldo militantem saucij corporis curam petiturus accessit. Hic in castris maiore ætatis parte consumpta, tandem in huius prouinciæ solitudinem post tristia ducis fata concesserat, ibiq; rusticæ vitæ cultu consueta militiæ studia relaxabat. Qui quod hostilibus sæpe telis petitus fuerat, non infimam medendi peritiam assidua vulnerum suorum curatione contraxerat. Si quis vero operam eius blandimentis exposceret, hunc medelæ loco occultæ læsionis noxa afficere solitus erat, aliquanto speciosius beneficia minis quam adulatione exposci iudicans. Idem Erici milites penatibus suis occupandi Haldani cupidine imminentes ita videndi officio spoliauit, vt propinquas ædes nec prospectu capere, nec certis possent vestigijs indagare. Adeò luminum vsum nubilus quidam error obtuderat. Cuius opera Haldanus virium integritatem adeptus, accito Thorone conspectioris ingenij pugile, Erico bellum denunciat. Quem cum productis ediuerso copijs militum numero præstare conspiceret, occultatam agminis partem inter propinquos viæ frutices delitere præcepit, hostem per angustiora semitæ compendia gradientem insidijs consumpturus. Quod præuidens Ericus, explorata progrediendi facultate, secessu vtendum putauit, ne proposito incedens tramite, hostium dolis inter præruptos montium vrgeretur anfractus. Igitur apud conuallem arduis montium iugis vtrinq; conseptam mutuis viribus pugna conseritur. In qua Haldanus inclinatam suorum aciem conspicatus, frequentem saxis rupem cum Thorone conscendit, indeq; erutas moles in subiectum hostem deuoluit, quarum pondere & ruina aciem in occiduo constitutam oppressit. Quo euenit, vt victoriam quam armis amiserat, cautibus recuperaret. Ob cuius facti virtutem Biargrammi cognomen accepit: quod vocabulum ex montium efferitatis nuncupatione compactum videtur. Igitur apud Sueones tantus haberi cœpit, vt magni Thor filius existimatus, diuinis à populo honoribus donaretur, ac publico dignus libamine censeretur. Sed quoniam ægre deuictorum ingenia quiescere solitum est, & in vetitum semper subactorum obluctatur improbitas, accidit vt Ericus dum fugæ damnis consulere studet, subiectas Haldano prouincias attentaret. Sed ne Daniam quidem ab hoc sæuitiæ genere immunem reliquit, perquam dignum existimans eius lacessere patriam, per quem sua abactus fuerat. Ita dum iniuriam inferre quàm repellere maluit, Suetiam armis hostilibus liberauit. Quippe cum Haldanus Haraldum fratrem ab eo tribus deuictum prælijs, quarto occisum cognosset, amittendi imperij metu relictis Sueonum agris patriā repetere coactus est. Ita Ericus, quo facilius Suetiæ regnū deseruit, hoc celerius recepit. Quē si fortuna æque in retinendo regno, ac recuperādo instruere voluisset, nequaquā Haldano prendendum dedisset. Cuius captionis modus hic erat: Reuersus in Suetiā Haldanus, occultata per insidias classe, binis obuiam Erico nauigijs proficiscitur. A quo denis petitus, varijs nauigationis reflexibus ad occultum suorum agmen relabitur. Quem longius insequente Erico, Danica ponto classis emergit. Circumuentus itaq; Ericus oblatum sibi sub seruiendi conditione spiritum repudiauit, lucemq; libertati præferre non passus, mori quàm obsequi præoptauit, ne vitæ cupiditate

Beneficia minus quàm adulatione exposcere speciosius est iudicatum.

ditate ex libero ſeruus euadere videretur, aut quem nuper fortuna æquaſſet, nouo famulatus officio coleret. Adeò ſalutē dedecore mercari virtus ignorat. Compeditus igitur & ad loca feris peruia relegatus, indignū tanta animi maieſtate exitum habuit. Haldanus gemini regni imperio potitus, opinionis ſuæ titulum tribus honeſtatis gradibus decorabat. Erat enim condendorum patrio more poëmatum peritia diſertus, nec athletica minus virtute quàm regia poteſtate conſpicuus. Audiens autem vegetioris ingenij piratas Tokonem & Anundum circumpoſitis imminere prouincijs, maritima pugna tentatos oppreſſit. Nihil enim veteres claritate magis expetendū ducebant, quam non opum fulgor, ſed armorum induſtria periſſet. Itaq; ſeditiones amplecti, inſtaurare lites, ocia faſtidire, paci militiam anteferre, virtutum non rerum æſtimatione cenſeri, plurimū voluptatis in prælijs, minimum in conuiuijs reponere clariſſimis quondam viris curæ extitit. Sed neq; diu Haldano æmulus defuit: nam Syualdus quidam claro admodum loco natus, apud Sueonū concionem Frothonis ac coniugis eius exitio flebiliter memorato, tantū Haldani odium penè omnibus ingenerauit, vt plurimorū ſuffragijs nouarum rerū licentiam aſſequeretur. Nec ſolo vocum fauore contentus, adeò plebis animū ambitionis artibus occupauit, vt omnium ferè manus ad regiū inſigne capiti ſuo imprimendū adduceret. Hic ſeptem filios habebat tanto veneficiorum vſu callentes, vt ſæpe ſubitis furoris viribus inſtincti ſolerent ore toruum infremere, ſcuta morſibus attrectare, torridas fauce prunas abſumere, extructa quæuis incendia penetrare, nec poſſet conceptus dementiæ motus alio remedij genere quàm aut vinculorū iniurijs aut cædis humanæ piaculo temperari. Tantā illis rabiem ſiue ſæuitia ingenij, ſiue furiarum ferocitas inſpirabat. Quibus auditis Haldanus, vt erat circa piraticā occupatus, expedire militibus dixit, vt qui in exteros hactenus deſæuierint, nunc ciuium viſceribus ferrum adigant, ereptiq; regni iniuriā propulſent, qui dilatandi curam gerere conſueuerunt. Quo imminente Syualdus miſſis ad eum legatis iubet, ſi famā factis æquaret, & tantus re eſſet quantus opinione cenſeretur, ſe ſuamq; ſobolem pugna ſolus excipiat, priuatoq; periculo publicū redimat. Eo deinde reſpondente, legitimæ dimicationis formam duorum numerum excedere non debere: nil mirandū, inquit Syualdus, hominem cœlibem proleq; vacuū oblatos detrectare congreſſus, cui inops caloris natura deforme corporis animiq; frigus incuſſerit. Nec liberos ab eo diuerſos exiſtere, quem ſuæ generationis autorē habuerint, quod ab ipſo commune naſcendi principium traxerint. Ita ſe ac filios vnius hominis loco cenſendos eſſe, quibus veluti vnū corpus à natura tributū videatur. Cuius conuicij rubore permotus Haldanus, prouocationi parēre cœpit, tam contumelioſam cœlibatus exprobrationem egregijs virtutis operibus penſaturus. Cumq; per opacam fortè nemoris indaginem graderetur, hærentem obiter quercum humo radicitus eruit, ſoliſq; ſpoliatam ramis in ſolidam clauæ ſpeciem transformauit. Quo geſtamine fretus, tali carmen breuitate compegit:

Veteres, ea claritate, quam armorum peperiſſet induſtria, nihil magis expetendū putarunt.

Mira de ſeptē fratribus veneficis hiſtoria.

En rude quod gerimus obnixo vertice pondus
Vulnera verticibus exitiumq; feret.
Sed neq; frondoſi geſtamen roboris vllum
Omine Gotenſes horridiore premet.
Ardua comminuet nodoſi robora colli,
Et caua ſylueſtri tempora mole teret.
Claua quidem ſæuum patriæ domitura furorem,
Nulla magis Suetis exitialis erit,
Oſſa domans, laceroſq; virūm libranda per artus
Impia prærupto ſtipite terga premet,
Cognatos preſſura lares, fuſura cruorem
Ciuis, & in patriam pernicioſa lues.

His dictis Syualdum cum ſeptem filijs attentatum acerrimas eorum vires eximia clauæ mole fruſtratus, exitio tradidit. Ea tempeſtate Harthbenus quidam ab Helſyngia veniens, raptas regum filias ſtupro fœdare gloriæ loco ducebat, illum perimere ſolitus, à quo peragendæ Veneris vſu prohiberetur, illuſtres nuptias humi-

libus præferens, tantoq; se clariorem existimans, quanto splendidiores concubitus per vim assequi potuisset. Nec vltionem effugit qui se ei comparatione virtutis æquare præsumeret. Tanta vero corporis magnitudine erat, vt nouem cubitis proceritatis eius dimensio tenderetur. Huic duodecim athletæ contubernales fuere, quibus officio erat quoties illi præsaga pugnæ rabies incessisset, vinculorum remedio oborti furoris impetum propulsare. Ab his Haldanus Harthbenum, eiusq; pugiles viritim impetere iussus, non solum certamen spopondit, sed etiam victoriam sibi ingenti verborum fiducia promisit. Quo audito Harthbenus repentino furiarum afflatu correptus, summas clypei partes morsus acerbitate consumpsit, igneos ventri carbones mandere non destitit, raptas ore prunas in viscerum ima transfudit, crepitantia flammarum pericula percurrit, ad postremum omni sæuitiæ genere debacchatus, in sex athletarum suorum præcordia furente manu ferrum conuertit. Quam insaniam illi pugnandi auiditas an naturæ ferocitas attulit, incertum est. Haldanum deinde residua pugilum manu petiuit. A quo miræ granditatis malleo contusus, vita ac victoria caruit, deditq; pœnas & Haldano quem prouocauerat, & regibus quorum sanguine per vim potitus fuerat. At quoniam Haldano fors inopinas pugnæ causas porrigere consueuit, quasi nunquam virium eius experimentis contenta, accidit vt Egtherus Fynnensis piratico Sueones molestaret incursu. Quem Haldanus ternis adortus nauigijs, nam & ei totidem esse compererat, cum nocte prælium finiente debellare non posset, postera die ex prouocatione secum decernentem oppressit. Deinde cum Hatheri Reguli filiam Thorildam à Grimmone eximiarum virium athleta sub duelli commination expeti comperisset, edictumq; à patre esset, potiturum ea qui pugilem amouisset, quanquam ad senectutem cœlebs peruenerat, non minus Reguli promissione quàm athletæ petulantia concitatus Noruagiam petit. Qua inita cunctas agnitionis suæ notas adulterina oris illuuie respergens, vt pugnæ locum accessit, prior ensem destringit. Quem ad hostilem sciens obriguisse conspectum, humi deiecit, alioq; vagina submoto Grimmonem appetens, extremos loricæ nexus cum occidua clypei parte persecuit. Quod factum Grimmo admiratione persecutus, vetulum, inquit, acrius dimicantem non memini: statimq; ferrum exerens obiectam gladio parmam penetrabili sectione conuulsit. Cuius immorantem ictui dextram Haldanus nihil hæsitans obuia ferri celeritate corripuit. Ille nihilominus læua gladium stringens, ferientis femur transegit, mutilati corporis vltionem exiguo vulnere prosecutus. Victor Haldanus victo residuum vitæ pecunia redimendi potestatem fecit, ne imbelli & manco miseras animæ reliquias deformiter adimere videretur. Quo facto tantum se penè in seruando hoste egit, quantum gesserat in vincendo. Cuius victoriæ præmium Thorildæ nuptijs assecutus, filium ex ea Asmundum sustulit, à quo se Noruagiæ reges originem duxisse magni æstimant, ab Haldano solennem generationis suæ seriem retexentes. Post hæc cum Ebbo pirata plebeij generis ad splendida coniugia capessenda virtutis fiducia concitatus, Sygrutham Gothensium regis Vnguini filiam postularet, ac præterea Gothici regni dimidium in dotem expeteret, super matrimonij admissione consultus, consensum falso spondendum monuit, seq; nuptias frustraturum promisit. Quinetiam sedendi locum sibi inter conuiuarũ discubitus assignari præcepit. Probante consilium Vnguino, omnem regiæ dignitatis speciem peregrina corporis deformitate corrumpens, noctuq; nuptijs superueniens, occurrentibus formidini fuit, maiorem humano habitu virum aduenisse mirantibus. Qui mox vt regiam intrauit circunspectis omnibus quærit quis proximum regi discubitum occapuerit. Ebbone deinde futurum Vnguini generum eius lateri coniunctũ dicente, per summam verborum iracundiam percontatur, qua vesania quibúsue furijs eo petulantiæ adductus sit, vt despicabiles generis sui sordes eximiæ nobilitatis splendori miscere præsumat, rusticasq; manus regiæ genti inferere audeat: nec id quidem expetere contentus, etiam alieni regni consortium captare videatur. Deinde eum ferro secum decernere iubet, non prius voto quàm victoria potiturũ. Quo nocturnum monstris certamen, diurnum hominibus congruere respondente, ne temporis ex-

Harthbeni corporis proceritas.

Genealogia et origo regum Noruagiæ.

ris excusatione pugna abnui posset, lunæ splendore diem æquari perhibuit. Taliter adactum pugnæ Ebbonem conuiuio in spectaculũ verso prostrauit, nuptiasq; exequijs mutauit. Qui interiectis annis in patriam decedens cum sine liberis esset, regias opes Vnguino testamento legauit, eumq; regem constituit. Hic postmodũ ab æmulo cui Regnaldo nomen erat bello oppressus, filium Syualdum reliquit. Huius filia Syritha adeò spectatæ pudicitiæ erat, vt cum ob formę pulchritudinem ingenti procorum frequentia peteretur, ad neminem ex eis inspectandum adduci posse videretur. Cuius continentiæ fiducia à patre coniugem depoposcit, qui delenimentorum dulcedine mutuum eius conspectum impetrare quiuisset. Olim siquidem apud nos puellarum continentia magnopere visus petulantiam edomare solebat, ne mentis integritas oculorũ libertate corrumperetur, affectabaturq;, vt cordis castimoniam, oris modestia fateretur. Tunc Otharus quidam Ebbonis filius siue gestarum rerum magnitudine, siue comitatis & facundiæ fiducia accensus, pertinacius postulandæ virginis ignibus æstuabat. Cuius obtutum omnibus ingenij neruis emollire connisus, cum demissum oculorum eius habitum nulla penitus arte flexisset, inuictæ seueritatis perseuerantiam miratus abscedit. Eiusdem rei cupidus gigas cum æque se effectu vacuum animaduerteret, fœminam subornat, quæ cum obtenta virginis familiaritate eius aliquandiu pedissequam egisset, hanc tandem à paternis procul penatibus quæsita callidius digressione seduxit, quam ipse mox irruens in arctiora montanæ crepidinis septa deuexit. Opinantur alij quod fœmineam mentitus effigiem cum insidiosa artis protractione domesticis puellam ædibus abduxisset, partes demum raptoris impleuerit. Quod vt comperit Otharus, indagandæ virginis gratia montis penita perscrutatus, inuentam oppresso gigante secum abduxit. Adeò autem gigantea sedulitas puellæ cæsariem nexili comarum astrictione reuinxerat, vt pilorum perplexa congeries crispata quadam cohærentia teneretur, nec facile præter ferrum quis posset consertos crinium extricare complexus. Denuò igitur varijs rerum irritamentis aggressus puellarem in se prouocare conspectum, cum diu torpentes nequicquam oculos attentasset, proposito parum ex sententia cedente, cœptũ reliquit. Sed neq; puellam stupro violare sustinuit, ne splendido loco natam obscuro concubitus genere macularet. Quæ cum varios solitudinum anfractus diutius errabunda percurreret, contigit vt ad syluestris cuiusdam immanisq; fœminæ tugurium perueniret. A qua pascendi caprarum gregis officio deputata, cum denuò per Otharum libertatis auxilium impetrasset, talibus eius tentatur alloquijs:

Num meis mauis monitis adesse
Et pares votis sociare nexus
Quàm gregi præsens, olidisq; curam
Ferre capellis?
Impiæ dextram dominæ refelle
Et trucem præceps fugito magistram,
Vt rates mecum socias reuisens
Libera degas.
Linque commissæ studium bidentis,
Sperne caprinos agitare gressus,
Et tori consors refer apta nostris
Præmia votis.

O mihi tantis studijs petita
Torpidos rursum radios reflecte
Paululum motu facili pudicos
Erige vultus.
Ad lares hinc te statuam paternos
Et piæ lætam sociabo matri,
Si semel blandis agitata votis
Lumina pandas.
Quam tuli claustris toties gigantum
Confer antiquo meritum labori,
Et graues rerum miserata nisus
Parce rigori.

Quare etenim cerebrosa adeò dementire cœpisti, vt alienum ductare pecus, & in monstrorum famulitio numerari præoptes, quam pari consensus aptitudine mutuum tori promouere contractum? Illa nihilominus ne pudicæ mentis constantia, ad externos titubaret aspectus, luminum habitum immoto palpebrarum rigore continuit. Quantæ porrò pudicitiæ seculi illius fœminas extitisse putemus, quæ ne ad leuem quidem oculorum motum maximis amatorum irritamentis adduci potuerunt? Cum ergo Otharus ne gemini quidem beneficij meritis virgineũ in se visum concitare quiuisset, pudore & ægritudine fatigatus classem repetijt. Cumq; Syritha more pristino decursis late scopulis, in Ebbonis fortè sedes erronea

Quanta quondam fœminarum fuerit pudicitia.

peruenisset, nuditatis & inopiæ rubore egentium se filiam astruebat. Animaduertens autem hanc Othari mater, quamuis marcore illitam, inopiq; contectã amicu lo, à generosis pullulasse ramalibus, honorato sedendi loco susceptam, reuerenda secũ comitate detinuit. Nobilitatem quippe virginis index forma prodebat, & vul tu genus interprete resultabat. Quam videns Otharus, cur vultũ peplo obscuraret inquirit. Cuius animũ certius experturus, nupturam sibi fœminã fingit, eiusq; torũ conscendens, lucernã Syrithæ gestandã committit. Quæ cũ absumptis penè lych nis admoto propius igne premeretur, tantũ patientiæ specimen præbuit, vt manũ absq; motu continere visa, nullã ardoris molestiã sentire crederetur. Externũ quip pe æstum cohibebat interior, & pruritantis animi feruor adustæ cutis incendium temperabat. Quæ demũ ab Otharo manui consulere iussa, placidos in eum obtu tus verecunda luminum erectione conuertit, statimq; semoto nuptiarũ figmento, genialẽ torũ nuptura conscendit. Cumq; postmodũ Syualdus comprehensum O tharũ ob illatum filiæ stuprũ suspendio consumendũ duxisset, cõtinuò Syritha rap tus sui casibus explicatis, non solũ eum in regis gratiã reduxit, sed etiam patrẽ ad eius sororẽ matrimonio sibi copulãdã adduxit. Post hæc inter Syualdũ Regnaldũq; exquisitæ probitatis militibus vtrobiq; delectis, apud Sialandiã prælium agitur, in quo cum triduo mutuis cædibus exacto ob summã vtriusq; partis virtutẽ incerti victoriæ procursus existerent, Otharus siue diutinæ pugnæ tædio, siue gloriæ æmu latione correptus, cũ mortis contemptu consertissimos hostes irrumpit, Regnal doq; inter fortissimas militũ acies obtruncato, subitã Danis victoriam peperit. In signe hoc prælių maximorũ procerũ ignauia fuit. Adeò siquidem rei summa per horruit, vt fortissimi Sueonũ quadraginta terga fugæ dedisse dicantur, quorũ prę cipuus Starcatherus nulla sæuitia rerũ aut periculorum magnitudine quati solitus, nescio qua nunc obrepente formidine sociorũ fugam sequi quam spernere præ optauit. Crediderim hunc metum ei diuinis viribus iniectum, ne supra humanam fortitudinem virtute sibi præditus videretur. Adeò nihil perfecti mortalium feli citas habere consueuit. Tunc hi omnes maximi piratarum Haconis quasi quædã belli reliquiæ ad eum delapsæ commilitium amplectuntur.

Starcatheri fuga.

De Sigaro rege, à quo villa Syersted nomen accepit.

Post hæc Syualdo filius Sigarus succedit, cui filij Syualdus, Alf, & Algerus fuere, filiaq; Sygne: è quibus Alf cæteris animo formaq; præstantior, piraticis in cumbebat officijs: cuius etiam insignem candore cæsariem tantus comæ decor asperserat, vt argenteo crine nitere putaretur. Eodem tempore Gothorum rex Syuardus filios habuisse fertur Wemundum & Ostenum, filiamq; Aluildam, quæ tantam verecundiæ fidem ab ipsis propemodum incunabulis præferebat, vt os peplo iugiter obnuptum haberet, quo minus formam suam alienæ libidinis irri tamentum efficeret. Huic pater in arctam admodum custodiam relegatę viperam anguemq; educandos commisit, pudicitiam eius adultorum tandem reptilium custodia vallaturus. Neq; enim facile thalamus inuestigari poterat, quem tanti di scriminis pessulus obserabat. Statuit etiam, vt si quis eius aditum frustra tentasset, protinus amputandum caput, paloq; refigendum præberet. Ita annexus petulan tię metus concitata iuuenum ingenia castigabat. Tunc Alf Sigari filius, rẽ hoc illu strius quo periculosius tentandam existimans, proci titulum professus, animalia propter virginis conclaue excubantia debellare iubetur, quod edicti ratione eo rum victori virgineus deberetur amplexus. Quorũ vt acrius aduersum se rabiem excitaret, cruenta corpus pelle contexit. Qua succinctus, mox vt septi valuas sub ijt, torridam calibem forcipe comprehensam, hiantis viperæ faucibus immersit, camq; exanimem prostrauit. Anguem deinde sinuosa volubilitate prolapsum, in ter medios rictus telum iaculatus absumpsit. Cumq; pacti conditione connexum victoriæ pignus expeteret, refert Syuardus hunc sibi generum acceptari, in quem filia solidum optionis arbitrium contulisset. Cumq; sola puellæ mater proci vo tum difficulter exciperet, mentem filiæ secreto perlustrat alloquio. Qua procum impensius ob virtutem laudante, conuicijs eam acrius lacerat, quod elisis pudici tiæ neruis specierum illecebra caperetur, omissaq; virtutis censura adulantibus formæ blanditijs lasciuæ mentis intuitum exhiberet. Ita Aluilda ad Danici iuue nis con-

nis contemptum adducta, virili veste fœmineam permutauit, atq; ex pudica admodum puella ferocem piratam agere cœpit. Compluribus quoq; eiusdem voti puellis in commilitium adcitis, eo fortè loci peruenit, vbi piratarũ agmen amissi bello ducis interitũ deplorabat. A quibus ob formæ pulchritudinem piraticæ princeps creata, maiores muliebri virtute res edidit. Quam Alf crebris nauigationis laboribus insectari conatus, in Blacmannorũ fortè classem hyeme incidit. Quo tempore densatis aquarum coactibus tanta glaciei moles naues corripuit, vt eis nulla remigandi vis processum struere potuisset. Cumq; frigoris diuturnitas tutiorem cõclusis sponderet incessum, iubet Alf suos concretum pelagi sinum caligatis tentare vestigijs, calceorum lubricitate deposita, glaciale planum firmius percursuros. *Glaciẽ calcandi modus.* Quos Blacmanni succincta pedum agilitate fugæ consulere rati, inita cum eis pugna, vacillantibus nimirũ cessere vestigijs, vtpote quorum ancipites gradus subiectis plantis lubricũ impellebat. Dani vero crustatum algore pelagus passu tutiore permensi, infirmos hostium elisere progressus. Quibus deuictis, nauigationem in Finniam vertunt. Vbi contractiorem fortè sinum ingressi, missis qui rerũ habitum explorarent, paucis nauibus portũ occupari cognoscunt. Aluilda quippe easdem faucium angustias prior classe petiuerat. Quæ cum ignotas eminus puppes adesse conspiceret, præpeti remigio velox in eorum defertur occursum, irrumpere hostẽ quam operiri satius iudicans. Tunc Alf prohibentibus socijs plures naues paucioribus attentari, indignum respondit, vt Aluildę quis perferat paucarũ puppium obiectu procursus sui studia deturbari, præfatus paruæ rei momento magnorum operum titulos respergendos non esse: nec parua Danis admiratio fuit, vnde hostium corporibus talis formæ decor, tantaq; membrorum aptitudo suppeteret. Vt ergo naualem committere pugnam cœperunt, iuuenis Aluildæ proram insiliens in puppim vsq; facta resistentium strage progreditur. Cuius comes Borcarus decussa Aluildæ galea, mentiq; eius lenitate conspecta, animaduertit oculis non armis agendum esse, telorumq; rigore deposito blandioribus hostem officijs attrectandam. Igitur Alf quam terra mariq; tot obstantibus periculis indefesso labore quæsierat supra spem offerri gauisus, cupidius apprehensam, virilem cultum in muliebrem conuertere coëgit, ex qua postmodum filiam Guritham procreauit. Sed & Borcarus Aluildæ comitem Gro nomine matrimonio complexus, filium ex ea Haraldum suscepit, quem sequens ætas Hyldetan cognominauit. Et ne quis hunc bellis sexum insudasse miretur, quædam de talium fœminarum conditione & moribus compendio modicæ digressionis expediam. Fuere quondam apud Danos fœminæ, quæ formam suam in virilem habitum conuertentes, omnia penè temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne virtutis neruos luxuriæ contagione hebetari paterentur. Siquidem delicatũ viuendi genus perosæ, corpus animumq; patientia ac labore durare solebant, totamq; fœmineæ leuitatis mollitiem abdicantes, muliebre ingenium virili vti sæuitia cogebant. Sed & tanta cura rei militaris notitiã captabant, vt fœminas exuisse quiuis putaret, præcipue vero quibus aut ingenij vigor, aut decora corporum proceritas erat, id vitę genus incedere consueuerant. Hæ ergo perinde ac natiuę conditionis immemores, rigoremq; blanditijs anteferentes, bella pro basijs intentabant, sanguinemq; non oscula delibantes, armorũ potius quam amorum officia frequentabant, manusq; quas in telas aptare debuerant, telorũ obsequijs exhibebant, vt iam non lecto, sed letho studentes spiculis appeterent, quos mulcere specie potuissent. Nunc à diuerticulo propositum repetã. Veris initio cum Alf, & Algerus repetitis piraticæ operibus varia pelagus nauigatione tentarent, in Hamundi Reguli filios Helwin, Hagbarthum & Hamundum centenis incidêre nauigijs. Quibus illato prælio cum fessas cæde dextras sola crepusculi caligo dirimeret, noctu militi fœdus imponitur, quod postero die perpeti inuicem iure firmatũ est, tanto vulnere hesterna pugna vtrobiq; suscepto, vt nulla renouandi certaminis facultas existeret. Ita quos par virtus exhausit, necessitas in pacem coëgit. Per idem tempus Hildigisleus claro Teutonum loco ortus, formæ & nobilitatis fiducia Sygnem Sigari filiam postulabat, apud quem maximum ei contemptum obscuritas peperit, quod fortitudine va-

Fœminarũ Danicarum illustrium quondam studium.

cuus, aliena probitate fortunam inſtruere videretur. Præcipue eandem in amorẽ Haconis magnaliũ eius ſpectata deflexit opinio. Quippe maiorẽ fortium quã mollium reſpectũ agebat, nec formæ, ſed operũ inſignia mirabatur, ſciens omne decoris blandimentum ſola virtutis æſtimatione ſordeſcere, nec æqua illi lance conferri. Sunt enim puellæ, quæ potius amatorũ claritate quàm ſpecie capiuntur, quasq; non oris, ſed mentis habitum æſtimantes, in alternũ copulæ votũ ſolus animi reſpectus accendit. Hagbarthus vero cum Sigari filijs Daniã petens, ijſdemq; ignaris ſororis eorũ alloquio potitus, tandẽ eam ad clandeſtini concubitus promiſſionem fide ſibi obligandã adduxit. Quæ poſtmodũ fortè pediſſequis inſignes procerum titulos conferentibus Hildigiſleo Haconem prætulit, in illo nihil præter ſpeciem laudabile reperiri, in iſto oris liturã animi flore penſari teſtata. Nec eum ſimplici laudationis genere extuliſſe contenta, tali concentu vſa perhibetur:

Hic candoris inops prima probitate relucet,
Vultum vigore metiens.
Nam damnum rigidæ redimit mens ardua formæ,
Mendamq; vicit corporis.
Corde micat ſpecies, facies feritate iuuatur,
Ipſo rigore prælucis.
Hæc candore beat mentem, ſed mente colorem
Morum ſeuerus arbiter.
Huic precium non forma facit, ſed fortior auſus
Armisq; parca claritas.
Aſt illum capitis decor approbat, & nitor oris,
Vertexq; crine fulgidus.
Sordet inane decus formæ, confunditur in ſe
Fallax decoris dignitas.
Diſparibus ſtudijs virtus, ſpeciesq; reguntur,
Hæc perſtat, illa deperit.
Importat vitium vacuus color, hunc leuis annì
Fluxus gradatim diſſipat.
Aſt probitas meliore loco ſua pectora format
Nec lapſa prorſus excidit.
Exteriore bono vulgaris fallitur aura,
Rectiq; normam negligit.
At mihi cenſura virtus potiore probatur,
Spreta decoris gratia.

Quæ vox ita ad aſtantium aures delapſa, vt Hagbarthus Haconis laudari vocabulo putaretur. A qua cum Hildegiſleus Hagbarthum ſibi prælatũ dolenter tuliſſet, Bolwiſum quendam luminibus captum muneribus illicit, qui Sigari & Hamundi filios ad amicitias odio permutandas adduceret. Rex quippe Sigarus ſenum duorum, quorum alter Bolwiſus erat, conſilio cuncta ferè gerere conſueuerat. Horum tam diſcors ingenium fuit, vt alter inimicitijs diſſidentes, in gratiam reducere ſolitus eſſet: alteri curæ foret amicitia iunctos odio ſequeſtrare, & ſimultatum peſtes alternis ventilare diſſidijs. Primum itaq; Bolwiſus apud Sigari filios Hamundi ſobolem pleno obtrectationis mendacio lacerabat, affirmans eam nunquam fida pace ſocietatis iura ſeruare ſolitam, bello potius quàm fœdere continendam. Itaq; iuuenum pactione perrupta Helwis & Hamundus, Hagbartho procul agente, Sigari filijs Alf & Algero prælium inferentibus apud portum, qui Sinus Hamundi dicitur, opprimuntur. Quos Hagbarthus poſtmodum integris viribus ſuperueniens in vltionem fratrum bello conſumpſit. Hildigiſleus ambas nates telo traiectus elabitur. Quæ res inſectandorum riſu Teutonum occaſio extitit, quod opprobrij nota plagæ deformitas non careret. Poſt hæc Hagbarthus muliebri corpus cultu inſtruens, tanquam Sigari filiam fraterna clade non læſerit, ſolitarius eam acceptæ promiſſionis fiducia repetit, plus ſecuritatis ex ipſius fide, quàm ſuo facinore formidinis contrahens, adeò libido periculum contemnit. Et

Senum duorũ diſpar ſtudiũ.

ne pro-

ne profectioni causa deesse videretur, pugnacem Haconis famulam profitendo, legationem eius ad Sigarum perferre se dixit. Cumq; noctu inter pedissequas cubitum reciperetur, pedesq; ei ab ancillulis lauandi officio pertergerentur, interrogatus, quid hispidis adeò cruribus esset, manusq; parum blandi contactus haberet, hoc modo respondit:

Quid miri tenerum nobis durescere subtel,
Et longos hirto crure manere pilos?
Cui plantas toties subiecta reliquit harena,
Et vepres medium corripuere gradum?
Nunc saltu nemus experior, nunc æquora cursu,
Nunc mare, nunc tellus, nunc iter vnda mihi.
Sed neq; ferratis conclusum nexibus vber,
Aut iaculis solitum, missilibusq; premi,
Ad tactum vestro potuit molescere ritu
Quas chlamydis tegmen aut toga leuis habet.
Nec colus aut calathi, sed cæde madentia tela
Officium nostræ composuere manus.

Cuius affirmationem Sygne consentaneo dissimulationis genere prosequi nõ morata, par esse refert manus vulnera sæpius quàm vellera, pugnam quàm pensa tractantes, consentaneam officio præferre duritiem, nec tractabili fœminarum mollitudine eneruem leuitatis speciem alienis contactibus exhibere. Quippe eas partim bellico labore, partim nauigandi consuetudine duratas esse. Neq; enim bellatricem Haconis vernulã muliebribus inseruire negocijs, sed iaculandis hastis, torquendisq; missilibus oblitam cruore dexteram afferre consueuisse. Quamobrem mirandum non esse plantas ingenti itinerum emensione duratas, quasq; decursa toties littora scabris lapidum fragmentis obtriuerint calloso rigore lentescere, nec parem earum teneritudini contactum præ se ferre, quarum vestigia digressus expertia aulicis iugiter liminibus includantur. Quam quum Hagbarthus perinde ac honoratiorem cubandi locum habiturus tori sociam recepisset, inter mutuæ voluptatis colloquia talibus sensim orsis compellat:

Si captum genitor tuus Me tristi dederit neci,
Nunquid coniugij fidem Tanti fœderis immemor
Post fatum repetes meum? Nam si sors ea cesserit,
Haud spero veniæ locum, Nec parcens miserebitur
Vlturus sobolem parens, Nam fratres necui tuos
Priuatos ope nautica, Et nunc te patre nescio
Ac si nil prius egerim Votis illius obuiam
Communi teneo toro. Dic ergo Venus vnica
Quam voti speciem feres Complexu solito carens?

Ad hæc Sygne:

Me crede tecum chare velle commori
Si sors exitij prætulerit vicem,
Nec ulla vitæ prorogare tempora,
Quum te mors tumulo tristis adegerit.
Nam si supremam fortè lucem clauseris,
Lictorum rabido subditus ausui,
Quocunq; letho præfocetur halitus,
Morbo seu gladio gurgite vel solo,
Omnis pet ulcæ labis ignes abdico,
Et me consimili deuoueo neci,
Vt quos idem fœdus tori reuinxerat,
Idem supplicij contineat modus,
Nec hunc necis sensura pœnas desertam,
Quem dignum Venere constitui mea,
Qui prima nostri carpsit oris oscula

Et floris teneri primitias tulit.
Nullum puto votum futurum certius,
Si quid fœminea vox fidei gerit.

Quæ vox ita Hagbarthi animum vegetauit, vt plus voluptatis in eius promisso quàm periculi in sua digressione reponeret. Qui quum ab ancillulis proditus à Sigari lictoribus oppugnaretur, diu se strenua pugna defendit, complures q; ex eis in aditu trucidauit. Comprehensus tandem, & ad concionem perductus, diuersa plebis suffragia expertus est. Siquidem complures supplicium ab eo tam grauis iniuriæ exigendum dicebant. Sed Bilwisus Bolwisi frater, alij q; sententiæ potioris autores, potius strenua eius opera vtendum, quàm crudelius in eum consulendum monebant. Tunc subiens Bolwisus, iniqua affirmabat consilia, quæ regem quum vltione vti debeat, ignoscere iubeant, & iustum iracundiæ motum indigna miseratione deleniant. Quo enim pacto Sigarum circa hunc parcendi miserendiúe studio moueri posse, à quo non solum gemino filiorum solatio spoliatus, sed etiã corruptæ filiæ contumelia respersus videatur? Quam sententiam maiore concionis parte suffragijs prosequente, damnatur Hagbarthus, stipes q; eum excepturus erigitur. Quo euenit, vt qui prius nullum penè triste suffragium habuerat, omnium sæuitia mulctaretur. Quem regina mox porrecto poculo sitim lenire iussum, tali minarum inflictione solicitat:

Nunc insolens Hagbarthe Quem morte dignum concio
Adiudicauit omnis, Situs fugandæ gratia
Ori dabis bibendum Cypho liquorem corneo.
Ob hoc metum refutans Vitæ supremo tempore
Audacibus labellis Letale liba poculum,
Quo potus inferorum Mox applicere sedibus,
Iturus in recluſam Ditis seueri regiam,
Patibulo q; corpus, Orco daturus spiritum.

Tunc iuuenis oblatum apprehendens poculũ, tale fertur intulisse responsum:

Hac gustum capiam manu supremum,
Extremæ quo q; potionis haustum,
Qua natos tibi sustuli gemellos.
Iam non elysios inultus axes
Non impune truces adibo manes,
Nam nostro prius hos peracta nisu
Clades tartareis recluſit antris.
Hæc vestro maduit cruore dextra,
Hæc proli teneros ademit annos,
Quam luci tua procreauit aluus,
Cui tunc nec funebris pepercit ensis.
Infamis mulier, furens q; mente,
Infelix genitrix & orba natis,
Sublatum tibi nulla reddet ætas,
Nec tempus redimet, dieſúe quæuis
Demptum lethifero rigore pignus.

Ita mortis comminationem interfectorum à se iuuenum exprobratione vltus, reiecto in reginam poculo, os eius sparso meri liquore suffudit. Interea Sygne deflentes famulas an sibi cœptorum sociæ fieri paterentur, interrogat. Illæ quicquid dominæ voti incederet, suis spondent effectibus exequendum. Promissioni fides adiecta est. Deinde lachrymis suffusa, quem vnice tori consortem habuerit, fato insequi velle se dicit, iubet q; mox vt signum è specula datum esset, faces thalamo subdi, deinde laqueos ex peplis fieri, hisdem q; fauces pulso pedum fulcimine strangulandas præberi. Assentientibus quo minorẽ mortis metum haberent, merũ propinat. Post hæc Hagbarthus ad montem, qui postmodũ ab ipso vocabulum traxit, suspendio consumendus adducitur. Tunc experturus amasiæ fidẽ, amiculũ suũ à lictoribus suspendi præcepit, voluptati sibi esse præfatus, si propinquæ mortis instar

inſtar alicuius ſpectaculi imaginem peruidiſſet. Quo impetrato, ſpeculæ cuſtos id circa Hagbarthum peragiratus, concluſis intra aulã puellis conſpecta denunciat. Quę mox datis incendio tectis, ſubiecta pedibus robora depellentes, gulas laqueis obtorquendas dederunt. Igitur Hagbarthus regiam igni implicatam conſpiciens, ac notum conflagrare cubiculum, plus lætitiæ ſe ex amicæ fide, quàm mœroris ex propinqua morte ſentire perhibuit. Quinetiã aſtantes ad necem ſibi inferendam hortatus, in quàm paruo momento fatũ poneret, huiuſmodi carmine proteſtatur:

Ocyus ô iuuenes corruptus in aëra tollar,
Dulce mihi nupta eſt poſt tua fata mori.
Aſpicio crepitus & tecta rubentia flammis,
Pollicitusq́ diu pacta reuelat amor.
En tua non dubijs completur pactio votis,
Quum vitæ mihi ſis, interitusq́ comes.
Vnus erit finis, vnus poſt fœdera nexus,
Nec paſſim poterit prima perire Venus.
Felix qui tanto merui conſorte iuuari,
Nec male tartareos ſolus adire deos.
Ergo premant medias ſubiecta tenacula fauces,
Nil niſi quod libeat pœna ſuprema feret,
Quum reſt aurandæ Veneris ſpes certa ſuperſit
Et mors delicias mox habitura ſuas.
Axis vterq́, iuuat, gemino celebrabitur orbe,
Vna animi requies, par in amore fides.

Ecce enim oblatum libens diſcrimen accipio, quum ne apud manes quidẽ amor ipſe participis ſui complexum deperire patiatur. Et cum dicto lictorum opera laqueo profligatur. Et ne cuiquam antiquitatis veſtigia prorſus exoleuiſſe credantur, prædictæ rei fides præſentibus locorum indicijs exhibetur, quum & Hagbarthus pago vocabulum extinctus intulerit, nec longe à Sigari oppido locus pateat, vbi plano paululum agger elatior veteris fundi inſtar protuberantis fumi ſpeciem demonſtrat. Sed & quidam Abſaloni trabem ſe eo loci repertam vidiſſe narrauit, quam agreſtis vomere glebam rimatus offendit. His auditis Hako Hamundi filius, quum in vltione fratrum arma ab Hybernienſibus in Danos tranſlaturus videretur, ab Hakone Sialandico Wigeri filio, Starcatheroq́ deſeritur, quorum poſt Regnaldi necem ad id vſq́ tempus auxilijs vtebatur. Alter ſiquidem familiaritatis, alter originis intuitu mouebatur, diuerſaq́ ratio par ambobus ſtudium peperit. Hakonem nanq́ ab inuaſione patriæ pietas deturbauit, quod cæteris aduerſum exteros bellum gerentibus, ipſe cum ciuibus præliaturus videretur. Starcatherus vero quod Sygari ſenilis hoſpitio vſus fuerat, hoſtem agere ſuperſedebat, ne bene meritum iniuria afficere putaretur. Tantum enim quidam hoſpitalitatis gratiæ deferunt, vt ad moleſtiam eis inferendam adduci non poſſint, quorum ſe quandoque humanitatis officia expertos meminerint. Sed & Hako plus damni in fratrum nece, quàm pugilum defectione reponens, in portum qui Danice Herwig, latine Exercituum ſinus dicitur, claſſe collata, militem exponit, pedeſtremq́ aciẽ inſtruit, quo loci nunc oppidum ab Heſberno conſtructum, munimine ſuo præſidium accolis facit, aditumq́ barbaræ feritatis eliminat. Deinde ſparſis trifariam copijs, geminam nauium partem, paucis remigio deſtinatis, ad Suſam amnem præmittit, quæ per obliquos aluei flexus ancipiti nauigatione progrediens, peditibus ſi res poſceret ſubſidium miniſtraret. Ipſe cum reſiduis pedeſtri itinere facto, ſylueſtribus maxime locis ne cerneretur, inceſſit. Quæ via crebris quondam occluſa nemoribus, nunc partim aratris apta, tenui fruticum raritate prętexitur. Et ne progreſſis in planum arboreum deeſſet vmbraculum, ramalia ab eis incîdi geſtariq́ præcepit. Præterea ne quid properantibus oneri foret, veſtium partem ac vaginas abijci, nudosq́ gladios deferri iuſſit. Ob cuius facti memoriam æternum monti vadoq́ cognomen reliquit. Ita binas vigilum ſtationes nocturna progreſſione fruſtratus, quum in tertiam incidiſſet, mox ſpeculator inſolitum facti contemplatus

Hagbyr Danice vocatur.

Suſa amnis.

Frondes et frutices humano more videtur incedere.

euentum, acceſſo Sigari cubiculo ſtupendæ rei nuncium afferre ſe dixit, quod frondes ac frutices humano more gradientes aſpiceret. Tunc percontatus rex quantum nemoris diſtaret aduentus, vt propinquum eſſe cognouit, hoc monſtro fatum ſibi portendi ſubiunxit. Quo euenit vt ſucciſorum fruticum palus letalis publico nuncuparetur eloquio. Igitur locorum anguſtias veritus, relicto oppido conſpectiorem ſoli planitiem prælio hoſtes excepturus petiuit. Idem apud locum qui vulgo Walbrunna, latine cadauerum vel ſtragis puteus appellatur, geſta infeliciter pugna, prottritus extinguitur. Tunc Haco victoria in crudelitatem verſa tanto facinore fortunam proſequi cœpit, vt promiſcuæ cædis auidus, nihil conditioni aut ſexui deferendum putaret. Sed neq; miſerationis aut verecundiæ reſpectui indulſit, quo minus fœmineo ferrum cruore reſpergeret, matresq; cum liberis communi ſtragis ſæuitia violaret. His auditis Syualdus Sigari filius, quum paternis hactenus penatibus inhæſiſſet, vltoris partes executurus exercitum contrahit. Igitur Haco multitudinis concurſu conterritus, cum tertia agminis parte in Herwig claſſem repetens, maritimo ſibi diſceſſu conſuluit. Cuius collega Haco cognomine Faſtuoſus, plus fiduciæ in recenti victoria, quàm metus in Haconis abſentia reponendum exiſtimans, mortemq; fugæ præferens, reſiduum tutabatur exercitum. Itaq; reductis pauliſper caſtris apud villam Axelſtadam naualem diutile præſtolatus occurſum, venientium tardius ſociorum ſegnitiem cauſabatur. Nondum enim ad deſtinatum portum immiſſa amni claſſis appulerat. Adeò autem Sigari classes Syualdiq; charitas promiſcuos plebis animos incitabant, vt vterq; ſe bello ſexus impenderet, nec certamẽ crederes fœmineis caruiſſe preſidijs. Poſtera luce Haco, Syualdusq; congreſſi, biduum extraxere pugna, in qua rebus atrociſſime decertatis, vtroq; duce proſtrato, Danorum reliquias victoria decorauit. Nocte vero prælium inſecuta ad conſtituti portus receptaculum claſſis Suſam rimata peruenit. Cuius alueum quondam remigijs peruium, nunc ſolidioribus elementis concretum anguſtiæ limitant, vt vetante conſtrictionis inertia rarus puppium admittatur ingreſſus. Diluculo nautæ ſociorum cadauera conſpicati, funerandi ducis gratia, collem ſpectatæ magnitudinis extruunt, quem vſq; nunc opinione celebrem Haconis buſtum fama cognominat. Quorum multitudinem Borcarus cum Scanico repente equitatu aduenies, neci implicuit. Conſumpto hoſte vacuas remigio rates inſtruens, Hamundi filium anhela præceps celeritate perſequitur. Cuius congreſſu habito, contigit Haconem rebus infeliciter geſtis metu præcipitem in Scotorum patriam ternis euolare nauigijs, vbi decurſo biennio defungitur. Talia rerum bellorumq; diſcrimina adeò regiam apud Danos gentem exhauſerant, vt hanc ad ſolam Iuritham Alfi filiam, Sigari vero neptem redactam eſſe conſtaret. Qui quum ſe conſuetæ nobilitatis regimine defectos viderent, regnum popularibus tradunt, creatisq; ex plebe principibus Oſtmaro Scaniæ, Hundingo Sialandiæ procurationem attribuunt. In Hanonem Fioniæ dominium conferunt. Penes Roricum atq; Haterum Iutiæ ſummam diſcreta poteſtate conſtituunt. Quod ne lateat quo regum poſteritas ſatore ſuccreuerit, occurrunt quædam neceſſariò pauliſper perſtringenda digreſſu. Ferunt fortiſſimum Suetonum Gunnarum olim ob grauiſſimas cauſas Noruagiæ infenſum, laceſſendæ eius licentiam precibus impetratam maximis exaſperaſſe periculis, ac primum in Iather prouinciam propoſitos effudiſſe decurſus: quam partim flammis, partim cædibus implicans omiſſis rapinis tantum obſitos cadaueribus calles ac fuſas cruore ſemitas permeare gaudebat. Nam quum cæteri iugulis abſtinere, prædamq; magis quàm cædem affectare ſolerent, hic ſpolijs ſæuitiam anteponens, funeſtum animi libitum, humanis potiſſimum cladibus exercebat. Cuius atrocitate permoti incolæ, propinquum periculum publica deditione præueniunt. Sed & rex Normanorum Regnaldus vltimæ ſenectutis, audito tyranni ſtudio, filiam Drotam facto ſpecu claudendam curauit, aptumq; ei prouiſis in longum ſumptibus famulitium tribuit. Sed & gladios exquiſita fabrorum opera decuſatos, cum regia ſupellectile pariter antro mandauit, ne ferri vſum, quem ſibi inhabilem videret, hoſti capiendum relinqueret. Et ne conſpicua caueæ pateret elatio, ſolidiori terræ tumorẽ æquabat.

Ad bellum

Ad bellum deinde profectus, quum senilibus membris in aciem descendere non posset, comitum innixus humeris, alienis fulta gradibus vestigia proferebat. Igitur prælio cupidius quàm felicius gesto consumptus, grauem ruboris causam patriæ reliquit. Vt enim Gunnarus deuictæ gentis ignauiam inusitata conditionis deformitate mulctaret, rectoris loco canem eis præponi curauit. Quo facto quid aliud eum assequi voluisse putemus, quàm vt plenus superbiæ populus insolentiam suam manifestius puniri cognosceret, dum obnixos latranti vertices inclinaret. Et ne quid contumeliæ deesset, satrapas procurauit, qui sub eius titulo priuata ac publica negotia tuerentur. Cuius etiam iugi constantiq; custodiæ distinctos procerum ordines applicabat. Statuit insuper, vt si quis aulicorum ducis sui despicabile duxisset obsequium, variosq; discurrentis incessus plenis venerationis obsequiis insequi supersedisset, membrorum clade supplicia lueret. Sed & geminum genti vectigal imposuit, vnum autumnalibus copijs, alterũ vernali tempore persoluendum. Ita Noruagiensium tumore explosо obtentum est, vt liquidius fastus sui detrimenta cognoscerent, quem caninis adactum obsequijs viderent. Audiens autẽ regis filiam longinquis occlusam latibulis, omnibus ingenij neruis ad eam inuestigandam contendit. Quo euenit, vt dum ipse quoq; lustrandi inter alios officio fungeretur, subterranei murmuris sonum dubia procul aure colligeret, tunc sensim progressus certiorem humanę vocis habitum deprehendit. Cumq; subiectam pedibus humum ad solidum fodi iussisset, subitò patente cauea cuniculatos animaduertit anfractus. Trucidatis itaq; famulis, dum detectos antri aditus tueri cupiũt, puella cum repositis inibi spolijs cauo extrahitur, quæ rerum admodum prouida patrios duntaxat enses secretioris custodiæ tutamento tradiderat. Hęc a Gunnaro stuprum pati coacta, filium procreat Hildigerum, cui tanta paternæ crudelitatis æmulatio fuit, vt cædium semper appetens, & humanis solum intentus excidijs, immensa fundẽdi cruoris cupidine suspiraret. Igitur ob intolerabiles sæuitiæ mores à patre proscriptus, moxq; ab Aluero tyrannide donatus, finitimos bellis ac cædibus implicando omne ætatis tempus armis exegit, nihilq; exilij conditione ex consueto crudelitatis habitu remittens, animum cum loco mutare passus non est. Interea Borcarus Regnaldi filiæ Drotæ matrimonium per vim a Gunaro occupatum expertus, coniuge eum, vitaq; priuat, ac sibi Drotam connubio sociat, quæ etiam ægrè nuptijs assensa non est, quod parentis vltorem iure complexura videretur. Neque enim lugentis patrem filiæ eius interfectori voluptuosus poterat obtemperare consensus. Huius Bocariq; filius Haldanus fuit, cuius iuuentæ initia stoliditatis opinione referta fuere, sequens verò ætas fulgentissimis operum insignibus illustris euasit, maximisq; vitæ ornamentis inclaruit. Adolescens pugilem ingenuæ famæ, quod ab eo pueriliter obludens colapho percussus esset, gestamine quod in manu habebat petitum oppressit. Quo facto futuros operum titulos auspicatu præteritæ vitæ contemptum in amplissimum sequentis fulgorem conuertit. Ea quippe res bellicorum eius insignium magnitudinem augurata est. Ea tempestate Rotho Rutenorum pirata patriam nostram rapinæ & crudelitatis iniurijs profligabat. Cuius tam insignis atrocitas erat, vt cæteris extremę captorum nuditati parcẽtibus, hic etiam secretiores corporum partes tegminibus spoliare deforme non duceret. Vnde graues adhuc, immanesque rapinas Rothoran cognominare solemus. Sed & torquendi interdum hunc supplicij modum adhibere solebat, vt dextris eorum pedibus terræ tenacius affixis, læuos curuatis deinduſtria ramis annecteret, quorum salacitas medij corporis distractione recurreret. Quem Fioniæ rex Hano dum specioſos sibi titulos conscisсere cupit, maritimis viribus oppugnare conatus, fugam vno comitatus ingreditur. In cuius exprobrationem prouerbium manauit, in proprio plus lare Hanonem valere. Tunc Borcarus vlteriorem ciuium iacturam inspectare non passus, Rothoni se obijcit, quorum vt mutuum bellum, ita etiam exitium fuit. Eadem pugna Haldanum grauiter affectum fama est aliquandiu susceptis oblanguisse vulneribus, e quibus vnum euidentius ori inflictum habebat. Quod adeò cicatrice conspicuum erat, vt cæteris medela recreatis, patentiori quadam lentigine teneretur. Obliſam quippe labelli partẽ ita

Inaudita crudelitatis exemplum.

verrucæ vitium vlcerabat, vt eius rimosa tabes carnis excremento sarciri nequiret. Quæ res ei plenum contumeliæ cognomẽ impressit, quum potius vulnera aduerso corpore excepta laudem quàm dedecus afferre soleant. Adeo maligna virtutum interpres vulgaris interdum existit opinio. Interea Alfi filia Guritha, quũ regiam stirpem ad se solam redactã animaduerteret, neminemq; cui nuberet nobilitate parem haberet, nuncupatis votis voluntariam sibi castimoniã indixit, concubituq; carere quàm ex plebe maritum adscisceret satius duxit. Quinetiã cauẽdæ iniuriæ gratia cõclaue suum electo pugilum agmine tutabatur. Ad quam quũ Haldanus semel fortè veniisset, abessentq; pugiles, quorum ipse fratrem impubis extinxerat, oportere eã, inquit, soluto virginitatis vinculo, castimoniæ rigorẽ rebus permutare venereis: ne ita pudicitię votis indulgeat, vt lapsa regni gubernacula copulæ suæ beneficio reparare contemnat. Se ergo nobilitatis splendore conspicuum nuptialibus ab ea votis respici iubet, quod ob dictã causam voluptati aditum daturа videatur. Ad hęc Guritha adduci se nõ posse retulit, vt regię nobilitatis reliquias inferioris ordinis viro copulare sustineat. Nec generis obscuritatẽ exprobrasse cõtẽta, etiam oris deformitatem improperat. Haldanus geminũ ab ea sibi vitiũ obiectari subiunxit, vnum quod sanguine parum niteret, alterũ quod rimosi oris iacturam inexpleta cicatrice præferret, ideoq; non prius se postulandæ eius gratia rediturũ, quàm vtranq; notã parta armis claritate terrisset. Obsecrat quoq;, ne cui tori conniuentiã pręberet, antequam reditus, interitúsue sui certitudinem nuncio cognouisset. Quẽ athletę fratre iampridem ab eo spoliati Gurithæ locutũ indignè ferentes, discedentẽ equis insectari conantur. Quo viso, commilitibus latebrã petere iussis, se solũ pugiles excepturum dicebat. Morantes asseclas imperioq; obsequi deforme ducentes minis abigit, præfatus non cõperturam Guritham pugnã à se formidine detrectari. Mox quercu succisa, atq; in clauæ habitũ redacta, solus cum duodecim manũ conseruit, eosq; spiritu spoliauit. Quibus perẽptis tam præclari operis titulis non contentus, maioris edendi gratia auitos à matre gladios recepit, quorũ alter Lyusingus, alter Huuytingus ob collimati acuminis nitorẽ vocabulũ habuit. At vbi inter Aluerũ Suetię regem, Rutenosq; bellũ flagrare cognouit, è vestigio Rusciam petit, oblatoq; incolis auxilio, summa cum omniũ dignatione suscipitur. Sed nec procul Aluerus agebat, breui locorum traiectu paruulam internectente distantiã. Cuius miles Hildigerus Gunnari filius, Rutenorum pugilibus ad secum dimicandũ prouocatis, cum Haldanũ offerri animaduerteret, eiusq; se fratrem esse non ignoraret, pietatem fortitudini prętulit, seq; septuaginta pugilum oppressione conspicuum, cum homine parum spectato manum conserturum negauit. Iubet itaq; eum minorum se rerum experimẽtis metiri, ac deinde æqua viribus studia consectari. Hæc autem non virtutis diffidentia, sed integritatis seruandæ gratia astruebat, quum non solum acerrimus, verum etiam hebetandi carminibus ferri peritus existeret. Quippe quum ab eius patre suum oppressum meminisset, affectusq; geminos, vnum paternæ vltionis, alterum fraternæ charitatis haberet, prouocationi cedere, quàm maximo implicari scelere satius duxit. Cuius loco alium Haldanus athletam deposcens, exhibitum iugulat, moxq; ei etiam hostium suffragio virtutis palma decernitur, omniumq; fortissimus publica proclamatione censetur. Postera die duobus in pugnam petitis, ambos obtruncat. Tertia luce ternos expugnat. Quarta, quatuor secum congressos exuperat. Quinta verò quinos expostulat. Quibus oppressis, quum ad octauam similibus pugnæ & victoriæ incrementis peruentum esset, vndecim simul admissos prosternit: cui Hildigerus quod operum suorum titulos virtutum eius magnitudine æquatos videret, cõgressum vlterius negare non passus, quum ab eo obducto panniculis ferro mortificum sibi vulnus inflictum animaduerteret, abiectis armis humi decumbens, tali fratrem voce compellat:

Haldanus duodecim pugiles quercu obtruncat.

Collibet alternis deuolui fatibus horam,
Et ferro pausante solo subsidere paulum,
Alternare moram dictis animosq; fouere.
Restat proposito tempus, nam fata duorum

Fors diuersa tenet, alium discrimine certo
Sors feralis agit, alium potioribus annis
Pompa decusq; manent, & agendi temporis vsus.
Sic sibi diuiduum partes discriminat omen.
Danica te tellus, me Sueticus edidit orbis.
Drot tibi maternum quondam distenderat vber,
Hac genitrice tibi pariter collacteus exto.
En pia progenies trucibus concurrere telis
Ausa perit, sudo pro nati sanguine, fratres
Illata sibi cæde ruunt, dum culmen auentes
Tempore deficiunt, sceptriq; cupidine nacti
Exitiale malum socio styga funere visent.
Ad caput affixus clypeus mihi Sueticus astat,
Quem specular vernans varij cælaminis ornat,
Et miris laqueata modis tabulata coronant.
Illic confectos proceres, pugilesq; subactos,
Bella quoq;, & nostræ facinus spectabile dextræ
Multicolor pictura notat: medioxima nati
Illita conspicuo species cælamine constat,
Cui manus hæc cursum metæ vitalis ademit.
Vnicus hic nobis hæres erat, vna paterni
Cura animi, superoq; datus solamine matri.
Sors mala quæ lætis infaustos aggerit annos,
Et risum mœrore premit, sortemq; molestat.
Lugubre enim ac miserum est deiectam ducere vitam,
Et tristes spirare dies, omenq; dolere.
Sed quæcunq; ligat Parcarum præscius ordo,
Quæcunq; arcanum superæ rationis adumbrat,
Seu quæ fatorum serie præuisa tenentur,
Nulla caducarum rerum conuersio tollet.

His dictis quum ab Haldano ob tam seram fraterni vinculi confessionem inertiæ damnaretur, idcirco se silentio vsum esse dicebat, ne aut pugnam detrectando ignauus, aut committendo scelestus existimari posset. Talibus excusationis verbis intẽtus extinguitur. Sed apud Danos Haldanum ab Hildigero prostratum rumor ediderat. Post hæc Gyuritha, quæ regij sanguinis sola apud Danos supererat, quũ à Siuaro Saxonicæ gẽtis nobilissimo postulari cæpisset, latenterq; ei Haldanũ prę-ferret, conditionem pro eo intulit, ne suum prius cõnubium peteret, quàm Danorum regnum membratim diuisum in vnum corpus redigeret, idq; sibi per iniuriã ereptum armis restituisset. Quod frustra tentante Siuaro, omnibus arbitris pecunia ab ipso corruptis, tandem ei despondenda conceditur. Quod Haldanus apud Rusciam per negociatores expertus, tanto studio nauigationi incubuit, vt nuptiarum tempus aduentu præcurreret. Quarum prima die regiam petiturus præcepit, ne comites prius à constitutis sibi mouerẽtur excubijs, quàm ferri stridorem eminus aure perciperent. Cumq; conuiuis parũ cognitus coram virgine constitisset, ne vulgaris eloquij nuditate pluribus intellecta depromeret, in hunc modum abstrusa carmen ambage compegit:

Patris sceptra relinquens *Nil figmenta verebar*
Commenti muliebris *Astus fœmineiue,*
Vnum quando duosq; *Tres ac quatuor & mox*
Quinos indeq; senos *Post septem simul octo*
Vndenos quoq; solus *Victor Marte subegi,*
Sed ne tunc fore rebar *Probri labe notandus*
Promissi leuitate, *Pactis illicibusq;.*

Ad hæc Gyuritha,

Fragili moderamine rerum

Animus mihi pendulus hæſit
Trepida leuitate pererrans:
Tua fama volatilis, anceps,
Variisq; relatibus acta,
Dubium mihi pectus inuſit,
Teneri tibi temporis annos
Gladio perijſſe verebar,
Poterámne reſiſtere ſola
Senioribus atq; magiſtris
Prohibentibus iſta negari
Thalamoq; monentibus vti?
Manet & Venus, & calor idem
Socius tibi, parq; futurus:
Nec ab ordine ſponſio ceſſit
Aditus habitura fideles.

Neq; enim vlla adhuc te fefellit promiſſio, quanquam ſola multiplicis ſuadelæ conſilia detrectare non poſſem, & in iugalis copulæ receptione monitis obuiaro cenſorijs. Nec dum reſponſum virgo complebat, & iam ſponſum Haldanus ferro tranſuerberat. Nec vnum oppreſſiſſe contentus, maximam conuiuarum partem obtruncat. In quem quum Saxones ceſſim ebrietate labantes irruerent, à ſuperuenientibus eius vernaculis trucidantur. His geſtis Gyuritha potitur: quam quum ſterilitatis vitio obnoxiam animaduerteret, maximamque prolis creandæ cupidinem haberet, conciliandæ ei fœcunditatis gratia Vpſalam petit, reſponsóque monitus ſuſcitandæ ſobolis cauſa fraternis primum manibus parentare, poſtquam oraculo paruit, optatæ rei ſolatium impetrauit: ſiquidem filium ex Gyuritha ſuſcepit, cui Haraldo vocabulum aptauit. Cuius titulo Danorum regnum principum iniurijs laceratum ad priſtinum dominationis habitum reuocare conatus, dum bello apud Sialandiam geſto, Weſetum præcipuæ opinionis athletam in acie oppugnat, occiditur. Quo viſo Gyuritha, quum prelio ob filij charitatem ſub virili habitu intereſſet, eundem fugientibus ſocijs cupidius dimicãtem ad propinquum nemus humeris deportandum curauit. A cuius inſectatu plurimum hoſtes laſſitudo prohibuit, quorum aliquis dependentis pygam ſagitta confixit. Igitur Haraldus plus ruboris ſibi, quam opis materna cura allatum exiſtimauit. Qui quum eximiæ formæ, præcipuæque magnitudinis eſſet, coæuíſque robore & ſtatura præſtaret, tantam Othini, cuius oraculo editus videbatur, indulgentiam expertus fuerat, vt integritatis eius habitus ferro quaſſari non poſſet. Quo euenit vt vulnifica alijs tela, ad læſionem ei infligendam inhabilia redderentur. Nec præmij inops beneficium fuit, animas quippe ei quas ferro corporibus eieciſſet, pollicitus proditur. Idem in monimentum patris eius res geſtas apud Blekygiam rupi, cuius memini, per artifices mandare curæ habuit. Poſt hæc quum Weſetum apud Scaniam nuptias acturum audiret, eásque ſub egentis ſpecie petiuiſſet, finito noctium conuiuio, omnibúsque mero ac ſomno ſopitis, nuptialem thalamum trabe pertudit, cuius buccam Weſetus ita abſque vulneris inflictione fuſte quaſſauit, vt binis eam dentibus vacuefaceret. Quorum iacturam poſtmodum inſperata molarium eruptio ſarciebat. Hic euentus Hyldetam ei cognomen impoſuit, quod eum quidam ob eminentem dentium ordinem aſſecutum affirmant. Illic occiſo Weſeto Scaniæ dominium adipiſcitur. Inde Hatherum apud Iutiam oppugnatum extinxit, cuius occaſum perpes oppidi vocabulum indicat. Poſt hæc Hundingo, Roricoq; proſtratis, Lethram occupat, diſtractúmque Daniæ regnum in priſtinum corpus reformat. Deinde Wicarorum regem Aſmundum à ſorore natu maiorem regno ſpoliatum comperiens, pendente bello tanta fœminæ petulantia concitatus, ſola naue Noruagiam Aſmundo opem laturus accedit. Commiſſo prælio purpurea amictus lacerna, mitraq; auro variata capillitium redimitus, in hoſtẽ progreditur. ita armorum loco tacita fortunæ conſcientia fretus, vt conuiuali potius quàm bellico cultu inſtructus videretur. Sed nec apparatui ingeniũ reſpõdit. Inermis ſiquidem

Mulier ſterilis fœcunda quomodo videatur eſſe facta.

dem ac regijs duntaxat insignibus ornatus, cœtus anteibat armigeros, expeditámque pugnandi copiam feruentioribus belli periculis obiectabat. Directa nanque in eum spicula, ac si retusi acuminis essent, nocuo cassabantur effectu. Cúmque cæteri præliantis inermitatem aduerterent, impressione facta, ad eum acrius impetendum pudore coguntur. Quos Haraldus corpore integer, aut ferro consumpsit, aut fugam arripere coêgit, sicque regnum Asmundo prostrata eius sorore restituit. A quo oblatis sibi victoriæ præmijs, solam gloriæ mercedem sufficere dixit, tantúmque se in repudiandis muneribus gessit, quantum egerat in promerendis. Quo facto non minorem omnibus continentiæ suæ, quàm fortitudinis admirationem incussit, claritatem se, non pecuniam ex victoria percepturum testatus. Interea rex Sueonum Aluerus decedit, Olauo, Ingone, & Ingeldo filijs relictis: quorum Ingo paternæ hæreditatis titulis non contentus, proferendi imperij gratia Danis bellum denunciat. Cuius euentum Haraldo oraculis explorare cupienti, senex præcipuæ magnitudinis, sed orbus oculo obuius extitit, qui hispido etiam amiculo circumactus Othinum se dici, bellorúmque vsu callere testatus, vtilissimum ei centuriandi in acie exercitus documentum porrexit. Iussit igitur vt terrestribus bellum copijs editurus, vniuersam aciem in tres turmas diuideret, quarum vnamquamque vicenarij ratione densaret, mediam verò viginti virorum numero reliquis porrectiorem extenderet, quam etiam in coni siue pyramidis acumen diverò turmæ seriem hac ratione contexeret, vt à duobus frons inchoans, consequẽtibus locis vnitatis duntaxat incrementa reciperet, & quidem in secunda linea tres, in tertia quatuor, eodémque modo posterius ordinandos, habita congressione statueret, sicque consequentes gradus idem proportionis tenor instrueret donec coniunctionis extremitas alas æquaret: cornu verò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Post has item turmas instructam iaculis iuuentutem admittat, à cuius tergo grandæuorum cohortem adhibeat, quæ labantes sociorum vires veterana quadam virtute firmaret. Deinde funditorum alas gnarus locorum supputator annecteret, qui post sodalium agmina consistentes, eminus hostem tormentis incesserent. Post quos cuiuslibet ætatis aut ordinis homines absque conditionis æstimatione passim adscisceret. Cęterum postremam aciem ternis ad instar primę cornibus interstinctam, similiq; graduum proportione digestã explicet. Cuius tergum superiori coniunctum agmini, ipsum auersæ frontis obstaculo tueretur. At si nauale fortè prælium incidisset, partem classis secerneret, quæ eo propositos incho ante conflictus multiuola rates hosticas reflexione circundaret. His disciplinæ militaris rationibus instructus, Ingonem, Olauumq; bellum parãtes, anticipatis apud Suetiam rebus, oppressit. Quorum fratri Ingeldo sub aduersæ valetudinis simulatione belli inducias per legatos poscẽti postulata concessit, ne virtus quæ mœstis rebus parcere didicisset, humilis ac iacẽtis fortunæ temporibus insultaret, à quo postmodum raptæ sororis iniuria lacessitus, quum diu bellis eum ancipiti victoria fatigasset, in amicitiam adciuit, sociumque quàm hostem habere satius duxit. Post hæc quum inter Olauum Throndorum regem, virginesq; Sticlam & Rusilam regnum bello decertandum audiret, fœminea admodum præsumptione permotus, clàm arbitris eum accessit, cultuq; quo dentium prolixitatem obnuberet sumpto, pugnam virginibus intulit. Quarum vtraque prostrata binis portubus affine earũ vocabulis nomen reliquit. Tum verò conspectissimum virtutis argumentum exhibuit. Quippe subarmali tantum subucula fretus, inermem telis thoracem opposuit. Igitur Olauo victoriæ sibi præmium offerente beneficium repudiauit, sicq; fortitudinis an continentiæ maius specimen dederit, incertum reliquit. Deinde Fresicæ gentis athletam Vbbonem nomine Iutiæ fines crebra popularium strage vastantẽ adortus, quum armis subdere non posset, milites ad eum manibus capiendum hortatus, humi prostrauit, victumq; compedibus tradidit. Ita quem paulò ante grauissimam sibi cladem allaturum putauit, deformi expugnationis genere superatum obtinuit. Quem sorore ei in matrimonium data militem nactus, finitimos Rheno populos tributo submisit, militẽq; ex eius gẽtis fortissimis legit. Quo fretus bello Scla-

Acierum instructio.

uiam preſſit, eiusque duces Duc & Dal ob virtutem capi potius quàm occîdi curauit. Quibus in commilitium receptis, Aquitaniam armis perdomuit, moxque Britanniam petens, Humbrorum rege proſtrato, promptiſſimos quoſque deuictæ iuuentutis adciuit. Quorum præcipuus Orm cognomento Britannicus habebatur. Hac rerum fama athletas è varijs orbis partibus accerſitos in mercenariam manum redegit. Quorum frequentia actus, adeò regnorum omnium motus nominis ſui terrore cohibuit, vt eorum rectoribus mutuum conſerendæ manus auſum excuteret. Sed nec quiſquam maris dominationem abſq; eius nutu vſurpare præſumpſit. Quippe quondam in Danorum republica diuiduum terræ & pelagi imperium fuit. Interea apud Suetiam moritur Ingeldus, Ringone, quem ex Haraldi ſorore ſuſtulerat, paruulo admodum filio relicto, quem Haraldus paterno regno datis ei tutoribus præfecit. Ita prouincijs principibúsque perdomitis, quinquaginta annos, in ocio habuit. Quorum quiete ne militum animos in deſidiam reſolui pateretur aſſidue eis cauendi, inferendiq; ictus rationem à gladiatoribus perdiſcendam conſtituit. Quorum quidam inſigni dimicationis arte callentes, aduerſæ frõtis ſupercilium infallibili ictu ferire ſolebant. Quo ſi quis recepto verſilitate palpebræ timidius conniueret, mox aula eiectus ſtipendijs defungebatur. Hiſdem temporibus Olonem Syuardi filium Haraldi ſorore editum in Daniam e Noruagię finibus conſpiciendi auunculi cupido perduxit. Quem quia primum in Haraldi clientela habitum, poſt bellum verò Sueticum Danicarum rerum imperio potitum conſtat, propoſito pauliſper attinet, quæ de eius operibus memoriæ ſunt prodita, recenſere. Igitur Olo tertium ætatis luſtrum apud patrem emenſus, quantum animi corporisq; dotibus inclaruerit, incredibile reddidit. Prętera adeò viſu efferus erat, vt quod alij armis, ipſe oculis in hoſtem ageret, ac fortiſſimum quenq; vibrãte luminum acritate terreret. Cui quum nuncio delatum eſſet Gunnonem Thelemarchię ducẽ cum filio Grimone nemus Ethaſcog, quod & fruticibus prędenſum & vallibus quàm maximè opacum erat, per latrocinium obſidere, facinoris indignatione cõmotus, cum cane & equo parabilem à patre armaturam depoſcit, iuuentam damnans, quę debitũ virtuti tempus inertia dilabi pateretur. Quibus impetratis, prædictam ſyluam arctiſſimè ſpeculatus, hominis veſtigia niui altius impreſſa cognoſcit. Quippe latronis inceſſum pruina greſſu violata prodiderat. Qua duce vſus ſuperato montis cliuo præcipuæ granditatis amnem offendit. Quo priſtinam humani veſtigij ſpeciem auferente, traiectu vtendũ conſtituit. Verum ipſa aquæ moles rapidiore lapſu præcipiter agens vndas, difficultate tranſitum negare videbatur. Siquidem occultis cautibus frequens omnem aluei tractum ſpumeo quodam volumine turbidabat. Sed ex animo Olonis periculi metum feſtinationis cupido detraxerat. Igitur vbi domitus virtute timor, contemptumq; temeritate periculum, nihil quod animo libitũ foret actu difficile ratus, ſtridulos equo vortices ſuperauit. Quos emẽſus in anguſtias paludibus vndiq; ſecus ambitas incidit. Quarum interna facile peti præiecti aggeris obſtaculum non ſinebat. Transquẽ leuato equo frequens ſtabulis repagulum animaduertit. Vnde egeſto equorum grege, ſuum inducere cupiens, à Tokone quodam (ſeruus hic Gunnonis erat) adeò aduenam inſoleuiſſe dolente acrius impetitus, oppugnantem ſolo clypei fruſtrabatur obiectu. Quẽ ferro opprimere deforme exiſtimans, apprehenſum, artuatimq; confractũ, tecto quo præceps exceſſerat, tranſuerſum iniecit. Qua ignominia Gũno ac Grimo ocyus incitati, diuerſis elapſi poſticis pariter in Olonem cum contẽptu ætatis eius ac virium ruunt. A quo letaliter vulnerati, quum corporis admodũ viribus deficerentur, Grimo ſupremi vix ſpiritus potens, ac toto penè vigore defunctus, carmen hoc extremo vocis ſingultu contexuit:

Simus nempe licet corpore debiles,
Elapſusq; cruor robur obhauſerit,
Quum nunc elicitus vulnere ſpiritus
Vix ſenſim lacero pectore palpitet,
Diſcrimen moueo temporis vltimi,
Per nos intrepidis clareat auſibus.

Ne conflictum aliquis fortius editum,
Pugnatúmue magis dixerit vſpiam.
Et certamen atrox arma gerentibus
Quum per buſta caro feſſa quieuerit,
Famæ conciliet præmia perpetis.
Prima hoſtis ſcapulas ſectio comprimat,
Et ferrum geminas abripiat manus,
Vt quum nos ſtygius Pluto receperit,
Olonem quoq; par exitus occupet,
Et commune tribus funus inhorreat,
Vna trium cineres vrnaq; contegat.

Hactenus Grimo. Cuius inuictum pater ſpiritum æmulatus, vt fortiſſimam filij vocem mutua adhortatione proſequeretur, ſic cœpit:

Quanquam defectis ad ſummum ſanguine venis,
Extet in occiduo corpore vita breuis,
Taliter extremæ vigeat contentio puguæ,
Vt laudem noſtri non ſinat eſſe breuem.
Ergo humeros hoſtis & brachia framea primum
Impetat, vt manuum debilitetur opus.
Sic commune tribus dabitur poſt fata ſepulchrum,
Et ſocios cineres par tribus vrna teget.

His dictis ambo genibus nixi, nam fati propinquitas vires hauſerat, comminus cum Olone cõfligere ſummopere niti, vt perituri morte hoſtem æquare poſſent, floccipendere fatum, dummodo eum à quo occidebantur, ſocio amplecterentur occaſu. E quibus Olo, alterum ferro, alterum cane cõſumpſit. Sed ne ipſe quidem incruẽtam geſſit victoriam, quum hactenus integer, tum demum aduerſo vulnus corpore ſuſcepiſſet. Quod ſedulo cane perlinctum recuperata corporis firmitate, mox ad vulgandam victoriæ ſuæ fidem ipſa latronum cadauera patibulis ingeſta latius inſpectanda conſtituit. Cæterùm caſtro potitus, quicquid inibi prædę reperit, clandeſtinæ cuſtodiæ traditum futuris vſibus aſſeruauit. Ea tempeſtate Scati & Hiali fratrum inſolens luxus eò petulantiæ prorepſit, vt excellentis formæ virgines parentibus ereptas concubitu violarent. Quo euenit vt Eſam quoque Olaui Wermorum reguli filiam raptui deſtinantes patri mandarent, ſi illam externæ libidini famulari nollet, per ſe, aliúmue quempiam pro tuenda prole decerneret. Quod quum Olo nuncio comperiſſet, oblata pugnæ facultate gauiſus, Olaui penates agreſtium cultum mutuatus accedit. Vbi quum inter extremos diſcubitu frueretur, mœrentem regis familiam conſpicatus, eius filio deinduſtria propius accerſito, quid ita cæteri luctuoſa facie eſſent, inquirit. Quo ſororis ſuæ pudicitiã ni cuiuſpiam defenſio ocyus intercederet, proximè per acerrimos pugiles profanandam dicente, percontatur rurſum quid præmij ecepturus foret, qui ſalutem ſuam pro virgine deuoueret. Super quo Olauus per filium interrogatus, filiã propugnatori ceſſuram reſpondit. Quæ vox præcipuam Oloni ſubeundi diſcriminis cupidinem attulit. Conſuêrat autem virgo hoſpitum vultus propius accedendo quàm curioſiſſimè prælato lumine contemplari, quo certius ſuſceptorum mores cultumq; perſpiceret. Eandem quoq; creditum ex notis atq; lineamentis oris conſpectorum perpendiſſe proſapiam, ſolaq; viſus ſagacitate cuiuſlibet ſanguinis habitum diſcreuiſſe. Quæ quum Olonẽ ſcrutabundis aggreſſa luminibus cõſtitiſſet, inuſitato oculorum eius horrore perſtricta, penè exanimis cõcidit. At vbi ſenſim redditus vigor, ſpiritusq; liberius in ea re cœperat, rurſum iuuenem conſpicari conata, lapſo repente corpore ceu mente capta procubuit. Tertio quoq; dum clauſam deiectamq; aciem attollere nititur, non modo oculorum motu, certe etiã pedum regimine defecta, ſubito lapſu decidit. Adeò vigorem ſtupor hebetat. Quo viſo Olauus cur toties caſum corpore præbuiſſet interrogat. Qua ſe truculẽto hoſpitis viſu perculſam teſtante, eundemq; & regibus ortum, & ſi raptorum vota refelleret ſuis perquàm dignum amplexibus aſſerente, rogatur a cũctis Olo, nam os

Effectus luxuriæ turpiſſimus & ſceleratiſſimus.

pileo obnuptum habebat, discusso velamine cognoscendi capitis notas præbere. Tum ille cunctis mœrorem deponere, animúmque procul à dolore habere iussis, detecta fronte auidius omnium in se oculos eximiæ pulchritudinis admiratione deflexit. Flaua quippe cæsaries, nitentíque capillitio erat. Cæterum pupillas ne visentibus formidini forent, palpebris arctius obstringendas curabat. Crederes repente animis spe meliorum erectis tripudiare conuiuas, dissultare aulicos, summámque ægritudinem effusa mentium hilaritate conuelli. Igitur spe metum leuante altera conuiuij facies, nec quicquam initio par aut persimile fuit. Ita benignum vnius hospitis promissum, communem omnium formidinem propulsabat. Inter hæc Hiallus & Scatus cum decem vernaculis superuenientes, tanquam puellam ilico sublaturi tumultuoso cuncta clamore miscebant, regem ni filiam in expedito sisteret, euocantes in pugnam. Quorum debacchationem protinus Olo sponsione certaminis excipit, conditione adiecta, ne quis furtim tergum dimicantis incesseret, sed aduersis tantum pugna congressibus staret. Deinde gladio Logthi dicto, solus duodecim prostratis maius adolescente opus edidit. Cæterum pugnę locum insula dabat stagni medium tenens, vnde non longè vicus abest, qui cladis huiuscemodi monimentum Hialli & Scati fratrum vocabula coniunctim referens, præbet. Igitur puella sibi in præmium victoriæ data, quum filium ex ea sustulisset, Omũ dum repetendi patris licentiam à socero nactus, postquam patriam à Thorone regulo per Tostonem Victimarium & Leotarum cognomine præditum oppugnari cognouit, ad conserendam cum eis manum solo satellite muliebriter culto contentus, perrexit. Cúmque non longe Thoronis ædibus abesset, suum comitísque ferrum cauatis baculis condendum curauit. At vbi regiam subijt, verum oris habitum adulterina specie supprimens, obtritum annis hominem simulabat. Apud Syuardum verò se Egentium regem fuisse, filijq; eius Olonis odio pertinacius actum exulare dicebat, quem mox aulicorum plerique regis nomine consalutantes, genibus nixi manus ei per ludibrium offerre cœperunt. Quibus ille quod ioco gesserant ratum habere iussis, ferro quod baculis incluſum gestabant erepto, regem inuadit. Itaque pars Olonem iuuare, iocum pro serio ducere, nec fidem per ludibrium præstitam violare. Complures voti vanitate rescissa, à Thoronis partibus stare. Igitur anceps, intestinúmque prælium oritur. Denique Thorone non minus suorum quàm hospitis armis oppresso, Leotarus letaliter saucius victorem Olonem tam ingenio viuidum, quàm acrem operibus iudicans, Vegeti cognomento donauit, eundem fraudis exemplo, qua circa Thoronem vsus fuerat, periturum vaticinans: indubitanter quippe domesticis occasurum insidijs. Et cum dicto repente exanimatus est. Itaque suprema morientis vox futurum victoris exitum augurij sagacitate complexa dinoscitur. His gestis Olo nõ prius se patri restituit, quàm pacem eius penatibus reportauit. A quo recepta pelagi dominatione, septuaginta maritimos reges nauticarum virium certamine consumpsit, inter quos Biruillus & Huiruillus, Thoruillus quoque, Nef & Onef, Reduarthus, Randus atque Errandus præcipui noscebantur. Cuius rei fama ac titulo pugiles, quorum omne fortitudini studium inhiabat, accensos, ad firmandam secum societatem frequentes adduxit. Quinetiam effrenati ingenij iuuenes claritatis cupidine concitatos stipatores adciuit, inter quos Starcatherum summa dignatione susceptum familiarius quàm vtilius colebat. His viribus instructus ita finitimorum regum petulantiam opinionis suæ magnitudine castigauit, vt ijsdem gerendorum inuicem bellorum manus curam audaciámque detraheret.

Olo paternæ domui pacem sua præclarè gestis restituit

Post hæc ad Haraldum profectus, ab ipsoq; maritima prælatione donatus, tandem Ringoni in commilitium delegatur. Eodem tempore Bruno quidam omniũ Haraldi consiliorũ vnicè particeps ac cõscius habebatur. Huic ipse & Ringo quoties secretiore nuncio opus habebant, mandata credere consueuerant. Quẽ familiaritatis gradũ educationis & crepundiorum consortione adeptus fuerat. Quo fluminis cuiusdã aquis inter assiduos ꝓfectionum labores absumpto, Othinus eius nomine & habitu subornatus insidiosæ legationis cura arctissimã regum concordiã labefactauit, tãtaq; inimicitias serentis fallacia fuit, vt amicitia ac necessitudine vinctis

ctis mutuum odij rigorem ingeneraret, quod absq; bello satiari nõ posse videretur. Primum apud eos tacita adoleuere dissidia, donec vulgatis vtrinq; studijs arcanus in publicum liuor erumperet. Denunciatis itaq; inimicitijs, colligẽdis belli instrumentis septem anni cessere. Sunt qui Haraldũ non liuoris impulsu, aut regni æmulatione, sed industrio quodam spontaneoq; conatu clandestinas exitij causas quæsiuisse testantur. Quũ enim ob senectam, seueritatemq; ciuibus etiã onustus existeret, ferrum morbi cruciatibus anteponens, spiritum in acie quàm lectulo deponere præoptauit, consentaneum præteritæ vitæ operibus exitum habiturus. Itaq; quò mortem suam clariorem efficeret, inferosq; comitatior peteret complures fati cõsortes adsciscere gestiebat, futuræ cladis materiam vltronea belli instructione molitus. His ergo de causis tam propriæ, quàm alienæ necis auiditate correptus, vt par vtrobiq; strages incideret, pares vtrinq; copias instaurauit, aliquãto fortius Ringoni robur applicans, quem victorem superesse maluerat.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI SEPTIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER OCTAVVS.

HISTORIAM belli Suetici Starcatherus, qui & eiusdem prælij præcipuum columẽ erat, primus Danico digessit eloquio, memoriæ magis quàm literis traditum. Cuius seriem ab ipso pro more patrio vulgariter editam, digestamque latialiter complecti statuens, in primis præstantissimos vtriusque partis proceres recensebo. Neque enim mihi multitudinem complectendi cupido incessit, quam ne prẽcise quidem numerus capit. Et prius eos qui ab Haraldi partibus steterant, mox qui sub Ringonis stipendijs egerant, stilo retexam. Igitur ex ducibus qui ad Haraldum coierant clarissimi noscitãtur Suen, ac Sambar, Ambar, & Elli, Rati, Fionicus, Salgarthus, & Roẽ, quem barbæ prolixitas cognomento insignem effecit. His accedunt Scalk, Scanicus, & Alf Aggi filius, quibus iunguntur Oluir latus, & Gnepia vetulus. His annumeratur Gardhstang oppidi cultor. Cui adijciuntur necessarij Haraldi Blend vltimæ Tyles incola, ac Brandmicæ cognomen habens. Hisdem sociantur Thorny cum Thoruingo, Tatar atq; Hialto. Qui quidem nauigio Lethrã aduecti instructis ad bella corporibus, ingenij quoq; virtute pollebant, proceritatis habitum animorum exercitijs æmulantes. Quippe spicula arcuum, balistarumq; tormentis excutere, ac plerunq; viritim cum hoste decernere, poẽses quoq; patrio sermone cõtexere promptissimè calluerunt, adeò animum cum corpore impensa exercitatione coluerãt. E Lethris autẽ prodiere Hortar, Borrhyq;, præterea Belgi cum Begatho. Quibus adiecti sunt Bari ac Toli. Atsle oppido cum Hacone genam scisso sub Hetha Wisnaq; ducibus Tummi velificator excesserat, quarum muliebri corpori natura virilem animum erogauit. Webiorgam quoq; eodem spiritu præditam, Bo Brami filius, & Brat iutus belligerandi cupidine prosequuntur. His agglomerantur Orm Anglicus, Vbbo Freficus, Ary altero cassus lumine, Alfer Goter. Post quos Dal corpulentus, & Duc Sclauicus recensentur.

WISNAM verò imbutam rigore fœminam, reiq; militaris apprimè peritam Sclaua stipauerat manus. Cuius præcipui Barri ac Gnizli satellites agnoscũtur. Cæteri verò ex eadem cohorte corpus clypeolis tecti, prælongis ensibus, aëriique coloris parmulis vtebantur. Quas belli tempore aut in tergum repellentes, aut impedimentorum gerulis dantes abiectis pectorum munimentis, expositisque ad discrimen omne corporibus, districtis Martem mucronibus intenderunt. E quibus

Tolcar atque Ymi præcipui claruere. Poſt quos Toki Iumenſi prouincia ortus cũ Otrito, cui agnomen iuuenis erat, illuſtris agnoſcitur. At Hetha promptiſſimis ſtipata comitibus, armatam bello centuriam afferebat. Cuius primi fuere Grimar, ac Grenzli: poſt Hoſger, Liuicus: Hama quoq; & Hunger Humbli Biariq; regum fortiſſimi memorantur. Hi perſæpè duellis feliciter geſtis inſignes latè victorias ediderе. Itaque memoratæ virgines non modò comiter, ſed etiam pugnaciter cultę, terreſtres in aciem copias ductauere. Igitur centuriatim Danicus confluxit exercitus, ſeptem reges pari ingenio, ſed diſpari voto. Alij Haraldo, pars Ringoni preſidio fuerunt. Præterea in partem Haraldi conceſſerant, Homi & Hoſa, Thulhim Haſtinusq; & Hythin gracilis, Dahar quoque cognomento Grenski. Sed & Haraldus Olauo genitus patre. Ex Hatica verò prouincia Har atq; Herleuuar cũ Hothbroddo, cui Effreni cognomen erat, Danicis militauere caſtris. At ex Imica regione Humnehy, & Haraldus adueniunt: quibus applicantur à ſeptẽtrione profecti Haki Bemonisq; filij Sygmundus & Serker. Horum omnium clientelam rex liberali familiaritate coluerat: nam primis apud ipſum honoribus habiti, cultos auro gladios, opimaq; bellorum præmia perceperunt. Aduenerant & editi Gandal ſene, quos Haraldi familiares clientela vetus effecerat. Igitur frequens Danica claſſe pelagus, Sialandiam Scaniæ veluti interſito ponte committere videbatur. Quas quidem prouincias intermeare cupientibus conſertiſſimo nauium globo pedeſtre compendium exhibebat. Sed ne improuidis bellum Sueonibus pararetur, mittuntur ab Haraldo, qui Ringoni palàm inimicitiarum mandata perferrent, ipſamque ſequeſtræ pacis direptionem vulgarent, hiſdem pugnæ locum præſtituere iuſſum. Igitur qui Haraldo militauerant, hi fuere quos edidi. At ex parte Ringonis computantur Vlf, Abgi, Windar, Eyil luſcus, Gotar, Hildi, Guti, Alf patre genitus, Stur robuſtus, Sten, Wienicæ paludis accola. Applicantur hiſdem Gerth alacer, Gromer, Wermicus. Poſt quos ſeptentrionales Albiæ finitimi ſupputantur: Saxa, Fletir, & Saligothus, Thord nutabundus, Throndar naſutus, Grundi, Othi, Grinder, Toui, Coll, Byarchi, Hogni ingenioſus, Rokar fuſcus. Hi ſiquidem multitudinis collegium aſpernati, in vnam ſe aciẽ à cætera cohorte ſecreuerant. Præter hos Rani, cui Hyld pater erat, & Lyuth Guthi, Sueno quoque ſupernè tonſus, Rethyr, accipiter, & Rolf vxorius numerantur. Quibus conglobantur Ring Athylæ filius, Haraldúsque Thothni editus vico. His annectuntur Walſten Wicenſis Thorulf ſpiſſus,, Thengil procerus, Hunſolwe, Birwil pallidus, Burgar, & Scumbar. At è Thelemarchia fortiſſimi venerant, quibus animi plurimum, faſtus minimum erat: Thorleuar pertinax, Torkill Guticus, Gretir iniquus irruptionúmque auidus. His ſuccedunt Haddir durus, & Roldar articulus. E Noruagia verò memorantur Thronder, Thronski, Thoki moricus, Rafn candidus, Haſwar, Biarni, Blihar cognomento ſimus, Biorn è vico Soghni, Findar maritimo genitus ſinu, Berſi quoque apud Falu oppidum creatus, Syuardus verris caput, Ericus ſibulator, Alſten, Harki, Ruthar, Rauui, Erlingar, cui Colubra cognomentum erat. At è Yathrica prouincia prodiere Od Anglus, Alf multiuagus, Enar protuberans, Yuuarúsque cognominatus Thruwar. A Tyle autem venere Mar Ruffus, eo videlicet pago, qui Mithfrithi dicitur ortus, educatúsque Grombar annoſus, Gram Brundelucus, Grim ex oppido Skierum, apud Scaha Fyrchi quidem prouinciã ſatus. Deinde Berhgar vates aduertitur, cui Brahi & Rankil comites adhibentur. At Sueonum fortiſſimi hi fuere: Ar, Backi, Keclu, Rarll, Croc agreſtis, Guthfaſt, Gummi è Gyſtamarchia. Qui quidem Fro dei neceſſarij erant, & fidiſſimi numinum arbitri. Ingi quoque & Oly, Alwer, Folki patre Elrico nati, Ringonis militiam amplectuntur, viri quidem manu prompti, conſilio vegeti, proximáque Ringonem famliarita te complexi. Iidem quoque ad Fro deum generis ſui principium referebant. Inter quos & Simundus aderat ex Sigtim oppido forenſis quidem athletha, emptionúmque ac venditionum contractibus aſſuetus. Huic additur Froſty cognomento Crucibulum. Cui ſociatur Alf elatus è vico Vpſala. Idem & iaculari promptus & in acie præire ſolitus erat. At Olonem ſeptem reges manu conſilióque promptiſſimi ſtipauere, Holty videlicet & Hendill, Holmar, Leuy, & Hama. Quibus Regnal-

Telemarchicis animi plurimum, faſtus autem minimum.

gnaldus Ruthenus, Rathbarthi nepos ascribitur. Præterea Syualdus, vndecim salum paronibus sulcat. Lefy Pannoniorum victor bracteatam auro Liburnam linteo excipit. Thririkar verò instar draconis tortuosas habente proras nauigio vehebatur. Thrygir quoq; & Torwil diuisim nauigantes duodenas ductauere puppes. Cæterum in tota Ringonis classe nauium duo millia quingentæ repertæ sunt. Guttonica verò classis in portu cui Garnum nomen, Sueticam operiebatur. Itaq; Ringo terrenum ductabat agmen. At Oloni naualibus præesse copijs imperatum. Igitur Gothis obuiam Suetis veniendi inter Wic & Werundiam locus cum tempore denunciatur. Cernere tum erat late proris exaratum mare, prospectúmque pelagi explicata malis carbasa præstruebant. Et iam classis Suetica prospera nauigatione vsa, Danis adhuc aduerso laborantibus cœlo maturius belli locum petiuerat. Vbi Ringo expositas classe copias, simúlque quas ipse terreno ductarat itinere gregatim in aciem dirigere parat. Quæ vbi campis laxius explicari cœperant, cornu alterum in Werundiam extrahi compertum est. Quam multitudinem rex locis ordinibúsque confusam equo circuiens, in fronte promptissimos quosque & præstantiori armatura cultos sub Olone Regnaldo Wiuilloque ducibus collocat. Deinde veluti flexu quodam in duo cornua reliquam aciem cogit. E quibus dextrum Vngonem cum Elrici filijs, Trigonémque tueri iubet. At læuum Læsoni parêre iussum. Cæterum alas globosque maxime Curetum Estonumque consertior turma texuerat. Vltima funditorum acies stabat. Interea classis Danica ventorum indulgentia aspirante, septem dierum continuam nauigationem emensa, Calmarna oppidum subijt. Mirareris late ventis velificatum mare, cœlumque ex oculis intenta antennis linthea eripiebant. Nam Sclaui ac Liui, Saxonumq; septem millia classem auxerant. At per solidum proficiscentibus Scanienses, quod locorum periti essent, duces ac præuij destinantur. Igitur vbi præstolantibus Suetis, Danicus superuenit exercitus, Ringo suis quoadusque Haraldus aciem centuriasset, patienter considere iussis, non antè signa canere præcepit, quàm regem propter aquilas curru compositum aspexissent, præfatus sperare se facile collabi aciem posse, quæ cæci ductamine niteretur. Præterea Haraldum supremo ætatis tempore alieni imperij cupiditate correptum, non minus mente captum, quàm luminibus fore, nec opibus exatiari posse, qui si annos respiciat, tumulo penè contentus esse debeat. Suetis itaque pro libertate, pro patria ac liberis dimicandi necessitatem incumbere, hostem temeritate atque insolentia suscepisse bellum. Præterea ex parte aduersa perpaucos Danos esse, Saxones complures, aliasq; effœminatas gẽtes in acie stare. Ob quod cogitare debere Sueones Noricosq;, quantum Germanos ac Sclauos septentrionales semper turba præstiterit. Spernendam ergo aciem fore, quæ potius lubrica hominum colluuione, quàm solido militum robore cõtexta videatur. Nec parum ea oratione militum animos accendebat. At Bruno Haraldi loco aciem statuere iussus, cuneo frontem molitur, Hetham verò in dextero latere locat, Haconem læuo præficit, Wisnam aquiliferam facit. Igitur Haraldus curru eminẽs quàm potuit celsa voce beneficia sua iniurijs à Ringone rependi queritur. Ab illo sibi bellum inferri qui regnum suum munere adeptus fuerit. Ita Ringonem nec senis misereri, nec auũculo parcere, propriosq; motus cunctæ necessitudinis aut beneficentiæ respectui præferre. Iubet itaq; meminisse Danos, vt exteris semper victorijs inclaruerint, vt finitimis imperare potius quàm obsequi consueuerint, hortaturq; ne tantæ gloriæ decus deuictæ gentis insolentia labefactari sustineant, nec imperium quod sibi iuuenta florenti pepererant, senectute confectis demi permittant. Deinde canentibus lituis summa vtrinque vi conseritur bellum. Crederes repente terris ingruere cœlum, syluas camposq; subsidere, misceri omnia, antiquum redijsse chaos, diuina pariter & humana tumultuosa tempestate cõfundi, cunctaq; simul in perniciem trahi. Nam vbi ad teli iactum peruentum, intolerabilis armorũ stridor incredibili cuncta fragore compleuit. Vapor vulnerum repentinam cœlo nebulam intendebat, dies effusa telorum grandine tegebatur. Nec parum in acie funditorum opera valuit. At vbi pila manu aut tormentis excussa, comminus gladijs ferratisq; clauis decernitur. Tum verò plurimum sanguinis periclitatum est,

Igitur feſſis manare ſudor corporis cœpit, mucronumq; crepitacula eminus exaudiebãtur. Illic Starcatherus qui belli huius ſeriẽ ſermone patrio primus edidit, prior in acie dimicans, Haraldi proceres Hun & Elli, Hort, ac Burgha à ſe proſtratos, abſciſſamq; Wiſnæ dexteram commemorat. Cæterum Roa quendam cum duobus alijs Gnepia & Garthar à ſe in acie vulneratos occubuiſſe declarat. Hiſdem Scalki patrem tacito nomine applicat. Idem fortiſſimum Danorum Hacõem à ſe in terram prorutum, ſeq; ab ea ita mutuò vulneratum teſtatur, vt exertum thorace pulmonem ceruicemq; mediotenus ſciſſam, manum quoq; vno truncam digito gerens excederet bello, diuq; hiſcens plaga nec cicatricis capax, nec medelæ habilis videretur. Eodem teſte puella Wegthbiorg in hoſtem dimicans Soth pugilem acie ſtrauit. Eandem athletarum cædibus imminẽtem Thorkillus Thelemarchiæ ortus, emiſſo per chordam ſpiculo traijcit. Tanta enim vi periti arcuum Guttones neruos intenderant, vt clypeos quoq; iaculis tranſuerberarent, nec alia efficacior cædis extitit cauſa, loricas, galeasq; perinde ac inermia corpora ſagittarũ acumina penetrabãt. Interea Vbbi Freſicus promptiſſimus Haraldi miles, ac præ aliis habitu corporis inſignis, prẽter vndecim, quos in acie vulnerauerat, vigintiquinq; delectorum pugilum interfecit. Ii omnes Sueti ſanguine fuere, vel Gothi. Deinde primam aggreſſus aciem conſertiſſimos hoſtes inſilit, palãtesq; metu Sueones hac illac haſta gladioq; diſpellit. Et iam penè res in fugam ceſſerat, cum Hagder, Rolder, & Gretir ęmulatione virtutis athletam adorti, publicam perniciem priuato re dimere periculo ſtatuerunt. Verum comminus inſtare veriti, ſpiculis procul agendum curabant. Sicq; crebreſcentibus iaculis eminus Vbbo confoditur, nemine propius cum ipſo manum conſerere præſumente. Centum quadraginta quatuor ſagittæ prius pectus prælíantis obſederant, quàm lapſis corporis viribus ſolo popli tem daret. Tum demum per Throndos, eosq; qui Dala prouinciam colunt, ingens de Danis clades accepta eſt. Nam ſumma ſagittariorum vi recruduit bellum, nec alia res noſtris pernicioſior fuit. At Haraldus cum defectam lumine ſenectam ageret, triſte ſuorum murmur exaudiens, intellexit ſuperiorem hoſtibus arriſiſſe fortunam. Igitur vt erat falcato curru vectus, Brunonem aurigæ per inſidias officio fungentem, qualem Ringo in centurianda acie tenorem habuerit cognoſcere iubet. Qui paulum ſoluto in riſum vultu, corniculata illum acie prẽliatum reſpondit. Quo audito rex trepidare animo cœpit, ac per ſummã admirationem percontari, quo Ringo talem ordinãdi agminis doctrinam autore contraxerit, maxime cum Othinus diſciplinæ huius traditor ac repertor extiterit, nec ab ipſo quiſpiam præter ſe nouum hoc rei bellicæ documentum perceperit. Ad quod ſilente Brunone ſubijt regem Othinũ hunc eſſe olimq; familiare ſibi numen, impræſentiarum dãdæ vel ſubtrahendæ opis gratia verſiformi corporis habitu tegi. Cui mox ſupplicare obnixius cœpit, vti Danis, quibus antè clemẽter affuerit, ſupremã quoq; victoriam tribuat, cõplementumq; beneficij origini exæquaret, eidem ſe proſtratorũ manes muneris loco dedicaturum pollicitus. At Bruno nihil obſecrantis precibus motus, repente excuſſum curru regem arietauit in terram, ereptamq; cadenti clauam in ipſius caput detorſit, proprioq; eum geſtamine interfecit. Iacebant circa currum regis innumera extinctorum corpora, rotarumq; faſtigium congeries funeſta vincebat. Temonem quoq; cadauerum cumulus exæquauerat. Nam in acie Ringonis ad duodecim millia proceres exanimati ſunt. At ex parte Haraldi, præter popularium ſtragem ad triginta millia proceres corruerunt. Cuius Ringo nece cognita, dato ſigno laxare aciem ſuos, bellumq; remittere iubet. Deinde ſequeſtra pace fœdus cũ hoſtib. ferit, fruſtra pugnã abſq; duce ꝓtrahi monitis. Poſt hæc Sueonibus paſſim inter promiſcuas cadauerũ ſtrues Haraldi corpus exquiri præcepit, ne regium funus debitis fraudaretur inferijs. Igitur reuoluendis interfectorum corporibus, auidæ plebis inijcere operam cœpit. In hanc curam dimidium diei extractum eſt. Tandem cum corpore reperta claua, Haraldi manibus parentãdum ratus, equum quem inſidebat regio applicatum currui, aureisq; ſub ſellijs decenter inſtratum, eius titulis dedicauit. Inde vota nuncupat, adijcitq; precem, vti Haraldus eo vectore vſus, fati conſortes ad tartara antecederet, atq; apud

Vbbonis inulti nominis pugilis interitus

præ-

ꝑstitẽ Orci Plutonẽ ſocijs hoſtibuſq; placidas expeteret ſedes. Deinde rogũ extruit, Danis inauratã regis ſui puppim in flãmę fomentũ cõijcere iuſſis. Cũq; ſupiectũ ignis cadauer abſumeret, mœrẽtes circuire ꝓceres, impẽſiusq; cũctos hortari cœpit, vti arma, aurũ, & quodcunq; opimũ eſſet, liberaliter in nutrimẽtũ rogi, ſub tãti taliterq; apud oẽs meriti regis veneratiõe tranſmitterẽt. Cineres quoq; puſti corporis vrnę cõtraditos Lethrã perferri, ibiq; cũ equo & armis, regio more, funerari præcepit. Tali parẽtationis cura iuſtis auunculo perſolutis, Danorũ ſibi fauorẽ cõciliauit, odiumq; hoſtiũ ad gratiã deflexit. Poſt hæc à Danis vti Hetham regni reliquijs præficeret exoratus, ne repente recidiuæ hoſtium vires coaleſcerẽt, Scaniã à Daniæ corpore abruptam in Olonis præfecturam ſecreuit, Sialandiam verò reliquosq; regni fines, Hethæ dũtaxat parêre iuſſit. Ita in poteſtatẽ Sueticam fortunæ varietas Danicum redegit imperium. Et hic quidem belli Brauici finis.

Reges cum equis & armis olim conſepeliri ſunt ſoliti.

At Sialandenſes qui Haraldo duce vſi fuerant, cum adhuc prioris fortunæ ſpecies animis oberraret, fœmineis parêre legibus ꝓbroſum rati, Olonẽ accedunt, poſtulantes ne clariſſimi regis militiæ aſſuetos, muliebri iugo obnoxios habere pateretur. Præterea ad ipſum ſe defecturos ſi pro conditionis eorũ deformitate tollenda arma ſuſciperet, pollicentur. Nec ſegniter Olo ſupplicantibus affuit, tam auidæ maieſtatis memoria, quàm militũ inuitatus obſequio. Igitur Hetham ad ſe venire iuſſam, cunctis præter Iutiam dominationis ſuæ partibus cedere, ante minis q̃ armis coẽgit, ipſamq; Iutiam ne fœminæ liberũ regni vſum tribueret, vectigalem effecit: filium quoq; procreauit, cui Omundo vocabulum poſuit. Cæterum crudelitati intentus tam impium regem agebat, vt ſuperior reginæ contemptus cunctis pœnitentiam pareret, quibus regnum eius rubori fuiſſet. Duodecim duces ſiue patriæ calamitatibus moti, ſiue Oloni ob aliam olim cauſam infeſti, inſidias capiti eius ꝑparare cœperunt. Ex his fuere Lẽnius, Atyla, Thottus, & Vithnus, qui quanquam apud Sclauos præfecturam gerebat, Danos tamen origine contingebat. Cæterum ad peragendum facinus parum viribus atque ingenio freti, pecunia Starcatherum adſciſcũt. Ille vt rem ferro exequeretur adductus, vtentem balneis regem ſuſceptis cruenti miniſterij partibus attentare conſtituit. Quo lauante ingreſſus, mox acri ipſius viſu luminumq; continua mobilitate vibrantium fulgore perſtrictus, occulto metu hebetatis artubus veſtigium preſſit, relatoq; pede manũ propoſitumq; ſuſpendit. Itaq; qui tot ducum, tot pugilum arma protriuerat, vnius inermis viri aciem ferre non potuit. At Olo ſanè vultus ſui conſcius, obtecto ore accedere eum propius, & quid afferat edere iubet, quippe quem vetuſtas conuictus, & longa familiaritatis experiẽtia ab inſidiarum ſuſpicione alieniſſimum faciebãt. At ille deſtricto mucrone deſiliens tranſuerberat regem, nitentisque aſſurgere iugulum ferit. Centum & viginti auri libræ in præmio reponebantur. Poſtmodum pœnitentia ac pudore perculſus, tanta animi acerbitate commiſſum facinus luxit, vt ſi mentionem eius incidere contigiſſet, à lachrymis temperare nõ poſſet, adeò culpæ atrocitatem reſipiſcens animus erubeſcebat. Præterea aliquot ex his quorum inſtinctu vſus fuerat, in ſceleris à ſe commiſſi vindictam occidit, & cui facto manum tribuerat, præbuit vltionem.

CÆTERVM Omundum Dani Olone ortum creauere regẽ, plus parentis eius nobilitati, quàm meritis deferendum putantes. Hic poſtquam maturuit, in nullo paternis operibus defectior extitit. Siquidem res ab Olone geſtas, aut æquare, aut tranſcendere curæ habuit. Præerat eo tempore aliquantæ Normannorum genti Ringo, cuius filiam Eſam Omundo matrimonium circumſpicienti inſignis commendauerat fama. Verùm poſcendæ eius ſpem ſingulare Ringonis ſtudium minuebat. Is quippe ſolum ſpectatæ fortitudinis generum affectabat, tantum gloriæ in armis reponens, quantum cæteri in opibus ſitum autumãt. Igitur Omundns vt eo claritudinis genere illuſtris euaderet, laudemque ſibi fortitudinis conciliaret, viribus votum impetrare conatus, claſſe Noruagiam accedit, Ringonis regnum hæreditatis nomine tentaturus. Excipit amicè illum Iathriæ regulus Oddo, qui Ringonem certiſſimum patrimonij eius inuaſorem aſſereret, ſeque ſæpius ab eodem iniurijs laceſſitum defleret. Itaque Ringone interim apud Hyberniam pirati

cam exercente, prouinciam propugnatore vacuam adortus, præteritis populariū rebus peculiaria Ringonis bona rapinæ tradidit, eiusq; necessarios interfecit. Nam Oddo quoq; Omundo manum iunxerat. Inter omnia autem facinora, quæ varie ac multipliciter gesserat, nunquam quibus multitudine copiarum præstaret, vim inferre sustinuit, memor se fortissimo parente editum, virtute non numero bella gerere oportere. Interea Ringonem à piratica reuertentē adesse contigit. De cuius reditu edoctus prægrande moliri nauigium cœpit, vnde tanquam è munimento superne hostem telis appeteret. Huic Atylonis Scanici filij Homothus ac Thola remiges adsciscuntur, quorū alter gubernatorem agere, alter proræ præesse iussus. Nec Ringoni in his excipiendis ingenium aut solertia defuit. Quippe exiguam copiarum partem ostendens, à tergo hostem incursandum curauit: de cuius astutia Omundus per Oddonem certior factus, qui in insidijs constitutos opprimerent mittit, Atylone Scanico Ringonem excipere iusso. Is imperio pronius quàm felicius obsecutus, fractis bello rebus, acceptaq; strage victus refugit in Scaniam. Igitur Omundus reparatis per Oddonem viribus, pugnaturam pelago classem explicat. Quo tempore Atylo bellum Noruagicū ex somniorum visis haud dubie speculatus, redimendæ fugæ gratia quamcelerrime nauigationem orsus, Omundum prælio propinquum grata societate prosequitur. Cuius Omundus opera fretus, pugnam tam feliciter quàm fidenter ingreditur. Nam habito per se conflictu, victoriam quam in suis amiserat recuperauit. Quem Ringo mortifico vulnere perstrictus exanguibus contemplatus oculis, manu vt poterat mota (nam vox linguam defecerat) accersitum fore sibi generum obsecrat, iocunde se fatum excipere asserens, si tali filiam connubio reliquisset. Nec responso exceptus extinguitur. Cuius excessum Omundus lachrymis prosecutus, Omothum, cuius fidam in bello operam expertus fuerat, alterius filiarū Ringonis connubio donat, alterā ipse complectitur. Eodem tempore Rusla virgo strenuis militiæ operibus muliebrē animū supergressa, apud Noruagiā cum fratre Throndo crebros de rerū summa conflictus habuerat. Hæc Omundū Noruagiensibus præesse nō sustinens, in omnes Danorū deditios decreuerat bellū. Quod Omundus nuncio expertus, ad hunc tumultum comprimendū promptissimos destinat. Quibus superatis Rusla superbiā ex victoria nacta, animū spe immodica raptū ad ipsā rerum Danicarū summā potiendā intendit. Primū igitur Hallandiæ partes adorta, ab Omotho & Thola à rege transmissis excipitur, victaq; bello refuga concessit ad classem. Cuius triginta solæ rates, cæteris ab hoste captis, fugā nauigatione carpserunt. Euitantē Danos sororem armis excipit Throndus, à qua victus, totoq; exercitu spoliatus, Dofrinas alpes permetiendo, neminē fugæ comitem habuit. Ita quæ paulò ante Danis cesserat, mox fratre superior, fugam victoria mutauit. Quo cognito, Omundus ingenti Noruagiā classe repetit, primūq; Thelemarchiæ populū per Omothū & Tholā clandestino compendio missos, aduersum Ruslæ dominationem erexit. Quo euenit vt Rusla regno per populares exacta, apud insulas, quas spe salutis accesserat, superuenientibus Danis terga sine prælio daret. Cuius fugā rex impensius persecutus, interceptā pelago classem internitiōe deleuit, incruentāq; victoriā ac speciosa spolia cum summo hostiū discrimine retulit. At Rusla perpaucis elapsa nauigijs, incitatiori fluctus remigio persulcabat. Quæ dum Danos declinat fraterno trucidatur occursu, adeò efficaciorem vim nocendi incircunspecta solent habere pericula, & quæ minus metuuntur mala, plerunq; instantibus grauiora gradus efficit. At rex Throndo ob interfectionē sororis præfectura donato, cæteris vero sub pensione coërcitis in patriam redit. Ea tempestate Thorias ac Bero promptissimi Ruslæ milites apud Hyberniam piraticū munus edebant. Hi cognita dominæ nece, quam se olim vlturos iureiurando promiserant, Ringonē auide petitum duelli prouocatione solicitant. Quod abnuere quondā probrosum regibus habebatur. Veterū enim claritudo principū ex armis potius quam opibus æstimabatur. Subeunt igitur Omothus & Thola, qui se prouocatores regis pugna excepturos offerrēt. Quibus Omūdus impense laudatis primū eorum operā admittere vitandi ruboris gratia recusauit. Ad vltimū crebris suorum precibus

Virtute nō numero bella gerenda.

Incircunspecta pericula magis nocent, quàm alia.

Claritas principum veterū magis ex armis, quàm pecuniis æstimata fuit.

precibus exoratus, aliena manu fortunam experiri ſuſtinuit. Quo certamine Beronem occubuiſſe, Thoriam grauiter affectum pugna exceſſiſſe proditũ eſt. Quem rex primo è vulneribus recreatũ, mox in fidẽ acceptum, ducẽ Noruagię creat. Deinde cum conſuetũ à Sclauis per legatos tributũ exigeret, non ſolũ legatorũ cædibus, ſed etiã vi Sclauica apud Iutiã laceſſitus, ſeptẽ reges vno certamine ſuperauit, ſolitumq; tributi ius victoria confirmauit. Interea Starcatherus prolixa iam ætate defeſſus, cum caſtrorum ſtipendijs, ac gladiatorio munere emeritus haberetur, ne ſenij vitio priſtinũ gloriæ decus amitteret, egregiũ fore putauit, ſi voluntarium ſibi cõſciſceret exitũ, fatũq; propriũ maturaſſet arbitrio. Itaq; qui toties excellẽtes ediderat pugnas, incruẽta morte defungi ignobile ratus, vt ſpecioſo obitu p̃teritæ vitæ claritatẽ augeret, maluit ab ingenuo quouis interfici, quàm ſerũ naturæ iaculum operiri. Adeò quondam rei bellicę deditis morbo oppetere probroſum exiſtimatũ eſt. Itaq; cum & corpore inualido & defectis p̃ſpicuitate luminibus eſſet, diuturnioris vitæ morã peroſus, emendi in ſe percuſſoris gratia, aurum quod pro Olonis interfectione meruerat, collo appenſum gerebat, nõ aptius ſe violatæ maieſtatis iniuriã expiaturũ ratus, quàm ſi idẽ ſuæ quod Olonianæ necis extiterat præmium effeciſſet, aurumq; quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ ſalutis impenderet. Hunc quippe vſum ſceleſtiſſimi precij pulcherrimum credidit. Itaq; gemino cinctus enſe, totidem baculorũ adminiculo vacua viriũ veſtigia tutabatur. Quo viſo populariũ quidã geminũ gladiorũ vſum ſeni ſupuacuũ ratus, donari ſibi alterum per ludibrium petiuit. Quẽ Starcatherus ſpe petitionis facta propius accedere iuſſum, detracto lateri mucrone tranſuerberat. Quod Hatherus quidem, cuius patrẽ Lennonem Starcatherus olim parricidij pœnitẽtia adductus occiderat, dum canibus feras inſequeretur aſpiciens, omiſſo venationis officio, duos è comitibus inijciendi metus gratia cõcitatis vehementer equis in ſenem impetũ dirigere iubet. Qui dũ procurſu edito refugere cupiunt, Starcatheri baculis intercepti morte ſupplicia luerunt. Quo ſpectaculo Hatherus admodum perterrefactus, propius equo aduolat, agnitumq; ſenem, ſed ab eo minimè recognitus, an gladiũ vehiculo permutare vellet interrogat. Refert Starcatherus, quondã pœnas ſe ab irriſoribus exigere ſolitũ, nec vnquam impune ſibi à procacibus inſultatum. Sed neq; iuuenẽ ex oris notis defuncta viſu acies deprendere poterat. Itaq; carmen quod indignationis ſuæ magnitudinem patefaceret, in hunc ſubtexuit modum.

Militibus morbo oppetere olim probroſum.

Vt ſine regreſſu pronas agit alueus vndas,
Sic ætas hominum curſim labentibus annis
Irreditura fluit: præceps ruit orbita fati,
Quam generat finem rerum factura ſenectus.
Illa oculos hominum pariter greſſuſq; relidit,
Eripit os animumq; viris, famæq; nitorem
Paulatim premit, & claros oblitterat actus,
Occupat occiduos artus, fruſtratur anhelæ
Vocis opus, vegetamq; premit torpedine mentem
Dum paritur tuſsis, dum pellis ſcabida prurit,
Dens ſtupet exeſus, ſtomachus faſtidia gignit,
Euacuat iuuenile decus, marcore colorem
Oblinit, & picea crebras ſerit in cute rugas.
Obturit egregias artes, monimenta priorum *4 fortè obrui*
Obruit, & titulos antiquæ laudis adurit,
Demolitur opes, precium virtutis & vſum
Carpit edax, tranſuertit res, & ab ordine turbat.
Ipſe ego quàm noceat didici damnoſa vetuſtas,
Viſu æger, vocis modulis, & pectore rauci,
Cunctaq; in aduerſam fluxerunt commoda ſortem.
Iamq; minus vegetum corpus fulcimine tutor
Flaccida ſubiectis innixus membra bacillis.
Lucis inops moderor veſtigia fuſte gemello,

Et virga monſtrante ſequor compendia callis
Stipitis auſpicio potius quàm lumine fiſus.
Nemo mei curam celebrat, nec in agmine quiſquam
Solamen veterano adhibet niſi forſan Hatherus
Aſsit, & infracti rebus ſuccurrat amici.
Egregium conſtatus firmæq; amicitiæ exemplum.
Ille ſemel quemcunq; pio dignatur amore
Integer, incæpti ſtudio conſtanter eodem
Proſequitur, primosq; timet peruellere nexus.
Ille etiam bello meritis bene præmia crebro
Digna refert, animosq; colit, largitur honorem
Fortibus, & claros donis veneratur amicos,
Spargit opes, laudisq; ſuæ cumulare nitorem,
Dapſilitate ſtudet multos ſuperare potentes.
Nec minor ad Martem pietatem viribus æquat,
Belligerare celer, labi piger, edere pugnam
Promptus, & vrgenti tergum dare neſcius hoſti.
At mihi, ſi recolo, naſcenti fata dedere
Bella ſequi, belloq; mori, miſcere tumultus,
Inuigilare armis, vitam exercere cruentam.
Caſtra quietis inops colui, pacemq; peroſus
Sub ſignis Gradiue tuis diſcrimine ſummo
Conſenui, victoq; metu pugnare decorum,
Turpe vacare ratus, crebras committere cædes
Egregium duxi, & ſtrages celebrare frequentes.
Sæpe graues bello reges concurrere vidi,
Et clypeos, galeasq; teri, crudeſcere campos
Sanguine, loricas affixa cuſpide rumpi,
Vndiq; thoraces admiſſo cedere ferro,
Luxuriare feras inhumato milite paſtas.
Hic aliquis fortè egregij conaminis autor
Marte manuq; potens medium dum pugnat in hoſtem
Intentam capiti loricam diffidit, alter
Caſside perfoſſa, ferrumq; in vertice merſit.
Hic gladius ſæpe dextra bellantis adactus
Tegmine diſciſſo capiti deſtrictus inhæſit.

Contrà Hatherus huiuſmodi carmen habuit:

Vnde venis patrias ſolitus ſcriptare poëſes,
Infirmo dubium ſuſpendens ſtipite greſſum?
Quoue ruis Danicæ vates promptiſsime Muſæ?
Roboris eximij caſſus decor excidit omnis:
Exulat ore calor animoq; amota voluptas:
Deſtituit fauces vox & raucedine torpet:
Deſeruit corpus habitus prior, vltima cepit
Illuuies, formæq; notas cum robore carpſit.
Vt ratis aſsiduo fluctu quaſſata fatiſcit,
Sic longo annorum curſu generata ſenectus
Triſte parit funus, defunctaq; viribus ætas
Occidit, & primæ patitur diſpendia ſortis.
Quis vetuit te note ſenex iuuenilibus vti
Rite iocis, agitare pilam, morſa nuce veſci?
Iam ſatius reor vt rhedam qua ſæpe veharis
Venditor enſis emas, facilémue in frena caballum,
Aut precio leue curriculum merceris eodem.
Aptius iuualidos ſua quos veſtigia fallunt
Excipient iumenta ſenes, rota proficit illi

Orbibus acta suis, cui planta vacillat inanis.
At si fortè caues cassum venundare ferrum,
Ereptus tibi te perimet ni væneat ensis.

Ad hæc Starcatherus.

Improba verba seris, facili temeraria labro
Auribus inconcinna pijs: quid præmia ductus
Qui gratis præstandus erat per munera quæris?
Nempe pedes gradiar, nec turpiter ense relicto
Externam mercabor opem, natura meanti
Ius dedit, & proprijs iussit confidere plantis.
Cur cui debueras vltro dux esse vianti
Ludibrio insultas, sermone procaciter vsus?
Quæq; olim gessi memori dignissima fama
Dedecori tribuis, meritum quoq; crimine pensas?
Quid risu insequeris vetulum pugnare potentem,
Inuictosq; meos titulos & splendida facta
Probro adigis, famosa terens & fortia carpens?
Qua probitate petis indignum viribus ensem?
Haud latus hic imbelle decet, dextrámue bubulci
Agrestem soliti calamo deducere musam,
Procurare pecus, aruis armenta tueri.
Nempe inter vernas ollæ vicinus obunctæ,
Crustula spumantis patinæ bulligine tingis,
Crassi adipis macrum perfundens vnguine panem,
Iusq; tepens furtim digito sitiente liguris,
Doctior assuetam cineri prosternere Gallam,
Indormire lari, somnos celebrare diurnos,
Sedulus officium nidentis obire culinæ,
Quam bello fortem iaculis aperire cruorem,
Auersans lucem, latebræ sordentis amator,
Mancipium ventris miserabile, parq; putaris
Sordida cum siliquis lambenti farra catello.
Hercule non tunc me ferro spoliare petebas,
Quando ter Olonis summo discrimine nati
Expugnator eram: nanq; agmine prorsus in illo
Aut gladium fregit manus, aut obstantia fudit.
Hæc grauitas ferientis erat. Quid quando Curetum
Littus, & innumera constratum cuspide callem
Primus ligniferis docui decurrere plantis?
Nanq; aditurus agros confertos murice ferreo
Armabam laceros subiecto stipite gressus.
Hinc mecum egregijs congressum viribus Hamam
Enecui, mox cum Rino duce Flebace nato
Obtriui Kyrios, vel quas alit Estia gentes,
Et populos Semgala tuos. Post hæc Thelemarchos
Aggressus, caput inde tuli liuore cruentum
Quassum malleolis, armisq; fabrilibus ictum.
Hic primum didici, quid ferramenta valerent
Incudis, quantúmue animi popularibus esset.
Teutonici quoq; me pœnas autore dedere,
Quum natos Suertinge tuos Frothonis iniqua
Cæde reos domini vindex ad pocula straui.
Nec minus hoc facinus, quando pro virgine chara
Vno septenos necui certamine fratres
Teste loco, qui me stomacho linquente peressus

Mediocritatis haud vnquam satis laudatæ exemplum.

Non parit arenti rediuiuum ceſpite gramen.
Moxq; ducis Kerri bellum nauale parantis
Vicimus egregio confertam milite puppim.
Inde dedi letho Wazam, Fabrumq; procacem
Multaui natibus cæſis, ferroq; peremi
Rupibus à niueis hebetantem tela Wiſinnum.
Quatuor hinc Leri natos, pugilesq; peremi
Biermenſes, gentis Hybernæ principe capto,
Duſlinæ populabar opes, ſemperq; manebit
Noſtra Brauuellinis virtus conſpecta trophæis.
Quid moror? excedunt numerum quæ fortiter egi,
Quodq; manu geſsi ad ſolidum celebrare recenſens
Deficio, ſunt cuncta meo maiora relatu,
Vincit opus famam, nec ſermo ſuppetit actis.

Hæc Starcatherus. Tandem quum Hatherum Lenno patre ortum mutuo ſermone expertus fuiſſet, animaduertens iuuenem ſplendido loco natum, feriendũ ei iugulum præbuit, hortatus ne à parentis ſui interfectore pœnas exigere vereretur. Hæc facientem auro, quod à Lennone receperat, potiturum eſſe promittit. Et vt eiuſdem in ſe vehementius animum efferaret, huiuſmodi exhortatione vſus eſſe traditur:

Prætereà Hathere priuauit te patre Lenno:
Hanc mihi quæſo vicem referas, & obire volentem
Sterne ſenem, iugulumq; meum pete vindice ferro:
Quippe operam clari mens percuſſoris adoptat,
Horret ab ignaua fatum depoſcere dextra.
Sponte pia legem fati præcurrere fas eſt.
Quod nequeas fugere, hoc etiam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, vetus excidenda, miniſter
Naturæ eſt quiſquis fato confinia fundit,
Et ſternit quod ſtare nequit. Mors optima tunc eſt
Quum petitur, vitæq; piget, quum funus amatur,
Nec miſeros caſus incommoda proroget ætas.

Mors quandò optima.

Hęc dicens exertã crumena pecuniam promit. Hatherus autẽ tam fruẽdi æris, quàm paternæ vltionis capeſſendæ cupidine concitatus, obſecuturũ ſe precibus, nec præmia repulſurũ ſpopondit. Cui Starcatherus cupide enſe præbito, pronam poſtmodũ ceruicẽ applicuit, ne timidè percuſſoris opus exequeretur, aut ferro muli ebriter vteretur, hortatus, præfatusq;, quod ſi peracta cæde ante cadaueris lapſum caput ac truncũ medius interſiliret, armis innocuus redderetur. Quod vtrum inſtruendi percuſſoris, an puniẽdi dixerit, incertũ eſt. Fore enim poterat, vt ſaltantẽ eximij cadaueris moles obrueret. Igitur Hatherus adacto vegete gladio, ſenem capite demutilauit. Quod corpori auulſum, impactumq; terræ glebã morſu carpſiſſe fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans. Percuſſor tamẽ promiſſis fraudẽ ſubeſſe veritus, ſaltu non incautus abſtinuit. Quẽ ſi temerè peregiſſet, fortè lapſi cadaueris ictu obrutus, occiſi ſenis pœnas proprio funere perſoluiſſet. Verum ne tantum athletam buſti inopem iacere pateretur, corpus eius in campo, qui vulgò Rolung dicitur, ſepulturæ mandandum curauit.

Starcatheri interitus.

Omvndvs autem, vt accepi, pace integra ſumma cum tranquillitate deceſſit, duobus filijs & totidem filiabus relictis. E quibus maximus natu Syuardus, fratre Butho adhuc tenero, regnum hæreditate conſequitur. Quo tempore Sueonum rex Gotarus alteram Omundi filiarum ob eximiæ pulchritudinis famam, infinito amore complexus, Ebboni cuidam Sibbonis filio poſtulandæ virginis gratia negocium legationis imponit. Is officio prudentius adminiſtrato, gratum de puellæ cõſenſu nuncium retulit. Iamque nihil voto præter nuptias deerat, quas Gotarus apud alienos agere metuens, per Ebbonem quo prius legato vſus fuerat, ſponſam ſibi tranſmittendam efflagitat. Is quum parua admodum familia comitatus Hallandi-

landiam præteriret, ad agreſtem vicum ſe pernoctandi gratia contulit, in quo duorum fratrum habitationes aduerſas medius amnis ſecreuerat. Et hi quidem conſuetudinem iugulandi quos hoſpitaliter recepiſſent habebant, liberalitatis ſpecie latrocinium obſcurare callentes. Trabem enim in modum præli oblongam, eandémque ferri acumine præditam, arcanis quibuſdam vinculis in excelſa domus parte ſuſpenderant, quam nocturno tempore ſubductis nexibus demittentes, ſubiectorum capita deſecare ſolebant. In quem modum complurium vertices penſili mole præciderant. Igitur Ebboni ſuiſque poſt epulas abunde præbitas, penes focum miniſtri torum extruunt, vt applicatas igni ceruices inſidioſæ trabis impulſu demeterent. Quibus abſcedentibus Ebbo impenſum capitibus machinamentum ſuſpiciens, ſocios ſimulato ſomno corpora tranſponere iubet, præfatus perq̃ ſalutarem eis loci variationẽ exiſtere. Fuere autem inter eos quidam ab Ebbonis clientela extranei, qui ſpretis quæ cæteri exequebantur monitis, immoti vt cuiq; iacendi locus obuenerat, cubuerunt. Sub opacam verò noctem ab inſidiatũ miniſtris pendulum machinamenti pondus impellitur. Quod nodis quibus inhærebat excuſſum, magnaq; vi ſolo adactum, ſubiectos exitio tradidit. Igitur qui facinoris exequendi curam habebant, quo certius rei euentum diſcerent, illato lumine Ebbonem, propter quem maximè rem adorſi fuerant, prudenter periculo occurriſſe cognoſcunt, à quo protinus impetiti, ſanguine pœnas dederunt. Ebbo quoq; ſuis per mutuam ſtragem amiſſis, frequentẽ cruſtulis glacialibus amnem inuento fortè nauigio ſuperat, Gotaroq; cladis ſuæ potius quàm legationis euentum declarat. Quam rem Gotarus à Syuardi inſtinctu profectam iudicans, iniuriarũ vindictã armis exequi parat. Quo Syuardus apud Hallandiã expugnatus, ſorore ab hoſtibus capta, conceſſit in Iutiam. Vbi Sclauorum vulgus pugnã ſine principe auſum acie ſuperauit, tantum gloriæ ex victoria nactus, quantum ex fuga dedecoris traxerat. Verùm hiſdẽ quos ductu vacuos debellauerat, paulò poſt ducẽ nactis pugna apud Fioniam ceſſit, aduerſum quos identidem in Iutia præliatus, infelicem pugnę euẽtum habuit. Quo euenit, vt Scania Iutiaq; exutus, media duntaxat regni veluti quaſdam exeſi corporis partes ſine capite retineret. Iarmericus ex eo genitus, cũ ſororibus admodũ paruulis præda hoſtibus fuit, quarum altera Noruagiẽſibus, altera Germanis, quod venalia quondam ſolebant eſſe connubia, precio vẽdita eſt. Itaque Danorum regnum fortiſſimè propagatum, tantis etiam maiorũ titulis illuſtratum tot victorijs auctum, ob vnius viri inertiam ex ſummo nitore fortunæ & florentiſſimo rerum ſtatu eò ignominiæ peruenit, vt penſionem quam prius exigebat, exolueret. Syuardus autem ſæpius victoria caſſus, ac deformium fugarum reus, poſt tot maiorum decora, in tam erubeſcendo patriæ ſtatu cõfuſa regni gubernacula geſtare non ſuſtinens, ne diuturnior vita ad extremam gloriæ iacturam pertingeret, ſpecioſum ſibi fatum pugna parere properauit. Quippe memorem calamitatis animum, deponendæ ægritudinis cupido ſalutis faſtidio cruciabat, adeò demendi ruboris ſtudium lucem ei inuiſam effecerat. Igitur comparatis pugnę copijs, Simoni cuidam ſub Gotaro Scaniam procuranti, bellum aperte denunciat. Quod obſtinatis temeritatis viribus executus, occiſo Simone, per ſummã hoſtiũ ſtragem vitam finiuit, patriam tamen præſtandæ penſionis onere liberare nequiuit. Interea Iarmericus apud regem Sclauorum Iſmarum cum coæuo ſibi collacteoq; Gunnone coniectus in carcerem captiuus degebat. Quo demum erutus atq; exercendi ruris culturæ applicatus, ruſticum opus exequitur. Ob cuius promptiſſimam adminiſtrationem ad regaliũ mancipiorum magiſteriũ tranſfertur. Eo quoq; ſynceriſſimè geſto, in neceſſariorũ regis gregẽ aſſumitur. Vbi quũ ſe iuxta aulicorum ritum egregia morum amœnitate geſſiſſet, breui in amicorum numerum tranſlatus, primũ familiaritatis locum obtinuit, ac veluti quibuſdam meritorũ gradibus fretus, ab infima ſorte ad ſpectatum honoris faſtigiũ conceſſit, & ne ſegnem eneruemq; iuuentam ageret, militaribus ſe ſtudijs aſſuefecit, naturæ dotes induſtria cumulans. Grata omnibus Iarmerici indoles erat, ſoli reginæ ſuſpectum adoleſcẽtis ingeniũ fuit. Fratrẽ quoq; regis fato functum repentinus rumor edocuit. Cuius corpus Iſmarus ampliſſimo funere elaturus, quo maior exequiarum pom-

Horribilis duorum fratrũ hoſpites ſuos clam trucidãtiũ hiſtoria.

Connubia, nũ aliter atq; res aliæ venalia.

pa fieret, regia comitate conuiuium instruit. At Iarmericus aliàs cum regina familiaris curam sortitus, ad fugam, cuius facultatem regalis absentia promittere videbatur, circunspiciendum accessit. Animaduertebat enim se etiam inter opes positum miserabile regis mancipium fore, & quasi alieno beneficio precarium spiritum possidere. Præterea quanquam primis apud regẽ honoribus vteretur, libertatem delicijs præferendã existimans, visendæ patriæ, noscendiq; generis eximia cupiditate flagrabat. Sciens aũt quod regina ne quis captiuorum elabi posset cõpetentibus prouidisset excubijs, quò viribus puenire nequibat, arte assurgendũ procurat. Fiscellam itaq; biblo ac vimine textam, qua agrestes instar hominis formata aues aristis deturbare cõsueuerant, viuo cane cõpleuit. Quam etiam detracto sibi cultu quo verisimilius humani repræsentaret imaginẽ, texit. Deinde priuatũ regis ęrarium demolitus, egestã inde pecuniam notis sibi tantũ recondidit locis. Interea Gunno absentiam socij simulare iussus, illata in regiã fiscella, impulsoq; ad latrandum cane, percontanti quidnam hoc esset reginæ, mente captũ clamitare retulit Iarmericum. Illa ad aspectum statuę similitudinis errore delusa, insanum æde eijci iubet. Tunc Gunno perlatam foras statuam, perinde ac furentem socium lectulo tradit. Sub noctem verò vigiles epularum hilaritate, ac vino prouehit largiore, abscissaq; dormientium capita, quo turpiore eos morte cõsumeret, inguini sociauit. Excitata strepitu regina, causamq; eius discere cupiens, concita fores petiuit. Sed dum caput incautius exerit, improuiso Gunnonis ense confoditur. Quę quũ mortificum vulnus experta corrueret, reflexis in occisorem luminibus, nullius, inquit, obtentu fraudis si incolumi mihi viuere licuisset, his finibus impunitus excederes. Ad hunc modum crebras in percussorem minas moribunda profudit. Post hæc Iarmericus vnà cum Gunnone præclari facinoris socio, tabernaculum in quo rex fraternas conuiuio celebrabat exequias, cunctis temulentia victis, admoto furtim incendio complet. Quo latius fuso quidam ebrietatis stupore discusso, immissis equis deprehensos periculi insequuntur autores. At iuuenes primum iumentis quæ receperant vecti, ad vltimum hisdem prolixiori cursu debilitatis pedites dedere fugam. Iamq; penè occupatis amnis remedio fuit. Pontem enim quem antè morandi persecutoris gratia præcisis ad medium trabibus non modo onerum impatientem, sed etiam ruinæ propinquum effecerant, prætergressi, in opacam deinduſtria voraginem concesserunt. Quibus imminentes Sclaui, dum parum prospecto periculo equis improuidi, pontem onerant, desidentibus tabulatis excussi, pręcipitantur in flumen. Sed dum enando ripam appetunt, à Gunnone & Iarmerico obstantibus intercepti, mersi aut interfecti sunt. Ita iuuenes egregia calliditate vsi, non vt fugitiua mancipia, sed quasi præditi consilio senes, maius ætate sua facinus ediderunt, quod acutè conceperant efficaciter adimplendo. At vbi in littus ventum, rapto quod fors obtulerat nauigio, in altum procedunt. Quos qui insequebantur barbari nauigare conspectos, vociferando reuocare conati, regnaturos si redeant spondent, quod publico veterum instituto regum percussoribus regnorum successio decreta fuerit. Diu recedentium aures pertinax Sclauorũ clamor promissis pellacibus exurdabat. Ea tẽpestate Buthlus Syuardi frater Danis perfunctoriè prę-erat, à quibus venienti Iarmerico regnum tradere coactus, ex rege priuatus euasit. Eodem tempore Gotarus Sybbonem stupratæ sororis insimulatum occidit. Cuius nece affines permoti, ad Iarmericum eiulabundi decurrunt, seque in vltionem propinqui, Gotarum cum eo oppugnaturos promittunt. Nec parum promissa soluerunt, nam eorum auxilijs oppresso Gotaro, Iarmericum Suetia potiri contigit. Qui quum duarum gentium imperio fungeretur, antè dominationis fiducia Sclauos prælio tẽtat, quorum quadraginta captos applicatis totidem lupis laqueo adegit. Quem supplicij modum olim parricidis debitum, ob hoc circa hostes peragere voluit, vt quantæ in Danos rapacitatis extiterint, ex ipsa atrocium belluarum communione videntibus conspicuum foret. Subacta quoque regione præsidia locis opportuna disponit. Inde profectus Sembonum, Curetum, complurimúque Orientis gentium cladem exercuit. Qua regis occupatione Sclaui datam sibi defectionis materiam iudicantes, interfectis qui ab ipso præsides constituti

Humanorum iniuriæ recompensandæ affectuum, viua imago.

Parricidæ quo nam supplicio sint olim affecti.

tuti fuerãt, Daniam depopulati sunt. Quorum classem Iarmericus forte è piratica rediens interceptam deleuit, eoq; facinore priores victoriarum titulos decorauit. Cęterum optimates eorum primo tibias loris traiectos, moxq; immanium taurorũ vngulis alligatis, molossisq; incessentibus raptim in cœnum, voraginesq; pertractos lachrymabili spectaculo consumpsit. Ea re hebetati Sclauorum animi summa cum trepidatione regis imperium coluerunt. Iarmericus itaq; tot gentium manubijs locupletatus, vt tutum prædæ domicilium compararet, in editissima rupe mirifico opere ædem molitur. Aggerem collatis glebis extruit, fundamẽtum crebris conijcit saxis, ima vallo, triclinijs media, summa propugnaculis cinxit. Secus vndique iuges excubias fixit. Quatuor portæ magnitudine præstantes, à totidem plagis irrestrictos aditus dabant. In huius domus magnificentiam omnem opum suarum apparatum congessit. Ita domesticis rebus compositis, rursum in externas cupidinem vertit. Igitur nauigatione cœpta, quatuor fratres genere Hellesponticos obuios pelago factos, piraticæq; admodum studijs assuetos, maritima pugna attentare non distulit. Qua triduo gesta, sororem eorum cum medietate tributi quo victos onerauerant pactus, præliũ reuocauit. Post hæc Liuorum regis filius Bicco captiuitate quam sub memoratis fratribus ducebat elapsus, Iarmericum, à quo olim fratribus spoliatus fuerat, iniuriæ haud oblitus accessit. Apud quem benignius habitus, breui arcanorum omnium arbiter singularis euasit. Hunc vt suis per omnia tractabil em monitis sensit, in res quàm maximè factu detestabiles consultantem adduxit, atq; ad scelera flagitiaq; committenda compellit, adeò nocẽdi artem obsequij simulatiõe captabat: pcipue eum aduersum eos quos sanguine proximè contigisset, armabat. Ita fraternã vltionem, quia viribus nequibat, fraude exequi pertentabat. Quo euenit vt rex virtutum loco vitiorum sordes amplexus, ob ea quæ perfidi monitoris impulsu atrociter gesserat, communibus in se locum odijs daret. Aduersum quem etiam Sclauorum tumultus exoritur. Cuius sopiendi gratia duces eorum captos, traiectis fune tibijs, equis in diuersa raptantibus præbuit lacerandos. In hunc modum consumpti principes, corporum suorum distractu pertinacis animi pœnas dederunt. Quę res Sclauorum obsequia in suo statu æquali ac solida subiectione continuit. Interea qui ex sorore Iarmerici apud Germaniam orti, educatiq; fuerant, auito nomine freti, in auunculum arma suscipiunt, æque sibi regnum atque ei debere certantes. Quorum munitiones rex apud Germaniam machinis demolitus, oppidis compluribus aut obsessis, aut captis, nonnullis etiam solo æquatis, incruentam ad ciues victoriam reportauit. Occurrunt Hellespontici pactis sororem nuptijs offerentes, quibus celebratis rursum Bicconis instinctu Germaniam petens, captis bello sororijs laqueo spiritum eripere non dabitauit. Optimates puoque conuiuij simulatione contractos, eodem exemplo consumendos curauit. Interea Broderus, quem olim rex ex alio sustulerat matrimonio, nouercæ curam ab eo susceptam, plenis sanctitatis excubijs celebrabat. Quem Bicco apud patrem incesti crimine accusatum, ne falso insimulasse videretur, subornato rum testimonio insecutus est. Cumq; Broderus accusationis partibus plene exhibitis defensionis præsidia afferre non posset, pater ab amicis in conuictum ferri sententiam iubet, minus impium ratus sumendam de filio vindictam alieno quàm proprio delegare iudicio. Quem cæteris proscriptione dignum decernentibus, Bicco tristiorem de capite eius sententiam ferre nõ veritus, a nefarij stupri autore pœnam suspendio capiendam esse pronunciat. Quam ne quis à paterna crudelitate profectam putaret, eũdem laqueo affixum à ministris subiecto assere excipiendũ percensuit, vt quum hi fessas oneri manus subducerent, perinde ac rei perempti iuuenis forent, regemq; parricidij crimine sua culpa liberum facerent. Præterea nisi pœna accusationem sequeretur, paternæ eum saluti insidiaturũ astruxit. Adulteram verò Swauildam quò turpius è vita excederet, pecudum vngulis proculcari debere. Paruit Bicconi rex, adactumq; suspendio filium ne strangulari posset à circunstantibus tabulati ope alleuandum curauit. Igitur innoxium vinculum parum compressis faucibus solam pœnæ speciem prę se ferebat Reginã verò firmissimo nexu humo astrictã, equinis obterendã calcibus præbuit. Hanc tãtę fuisse pul-

Sclauicorũ dũ cum supplicio horrore plenissimum.

chritudinis fama est, vt ipsis quoq; iumẽtis horrori foret artus eximio decore præditos sordidis lacerare vestigijs: quo argumento rex innocentiam coniugis declarari coniectans, accedente erroris pœnitentia, falsò notatã festinat absoluere. Aduolat interea à Bicco, qui supinam iumẽta diris deturbare carminibus, nec nisi pronam obteri posse firmaret. Quippe eam formæ suæ beneficio seruatam sciebat. In hunc modum collatum reginæ corpus, adactus iumentorum grex crebris altè vestigijs fodit. Hic Swauildæ exitus fuit. Interea canis cui Broderus assueuerat, ceu quibusdam questubus aggressus regem, deflere domini suppliciũ videbatur. Eiusdemq; illatus accipiter intimas corpori plumas rostro detrahere cœpit. Ex cuius nuditate rex sumptis orbitatis auspicijs, omen intercepturus præpropere qui filium laqueo detraherent, mittit. Per implumem enim auiculam futurum se, nica uisset, absque liberis augurabatur. Liberato clade Brodero, Bicco delationis pœnas exoluere metuens, nunciare Hellespontícis pergit, Swauildam à viro nefaria strage consumptam. Quibus vlciscendæ sororis gratia nauigantibus, ad Iarmericũ reuersus, parari bellum ab Hellespõticis indicat. Rex mœnibus q̃ acie tutius dimicandum existimãs, in eam quam exædificauerat, munitionem confugit, vbi ad ferendam obsidionem cõmeatibus penitiora propugnacula armatis implebat, fulgentes auro cetræ, circunpensiq; clypei supremũ ædis ambitũ adornabant. Contigit autem vt Hellespontici prædæ partitionem acturi, magnã suorum manum peculatus insimulatam occiderent. Igitur quod tantam copiarum partem intestina clade consumpserant, aulæ expugnationem suis altiorem viribus rati, veneficam, cui Guthrunæ erat vocabulũ, cõsulunt. Qua efficiente, regię partis ꝓpugnatores subitò oculis capti, in seipsos arma conuertunt. Quo viso Hellespontici applicata testudine primos portarum aditus occupant. Deinde cõuulsis postibus, irruptaq; æde, cæcas hostium phalanges obtruncant. Eo tumultu superueniẽs Othinus, mediosq; præliantium globos appetẽs, Danis quos paterna semper pietate coluerat, ademptum præstigijs visum supera virtute restituit. Hellesponticos verò corpora aduersum tela carminibus durare solitos, crebro silice conuerberandos esse perdocuit. Ita vtrunque agmen mutua cęde consumptum interijt. Iarmericus vtroq; pede ac manibus spoliatus, trunco inter exanimes corpore rotabatur. Cui Broderus parum idoneus succesſit in regnum.

Swauildæ species eximia, exitus autem miserandus.

Post hunc regnat Syualdus, cuius filius Snio, senescente patre strenuum piraticæ opus complexus, patriæ res non solum seruauit, sed etiam diminutas in pristinum habitum reuocauit. Idem tyrannide susceptа, Eskilli atq; Alkilli pugilum insolentiam comprimendo, Scaniam à Danicæ iurisdictionis integritate submotam ad societatem patriæ victoria reduxit. Tandem filiæ Gothorum regis mutuo amore perstrictus, conueniendæ eius copiam clandestinis nuncijs tẽtat. Qui à patre puellæ intercepti suspendioq; consumpti, improuidæ legationis pœnas dederunt. Quorum Snio vltionem exigere cupiens, quum Gothiam hostiliter aggressus fuisset, rege eius cum copijs occurrente, prædictorum pugilum prouocatione rem per athletas gerere iussus, hanc duelli legem edidit, vt alteruter regum pro varia athletarum fortuna aut proprium perderet, aut alienum lucraretur imperium, victiq; regnum in victoriæ prẽmio reponeretur. Quo euenit vt Gothorũ rex propugnatorum suorum infortunio superatus, regno Danis cedere cogeretur. Cuius filiam Snio, quum in Sueonum regis connubium paterno impulsu comperisset abductam, quẽdam obsoleto habitu per itinera publica stipem petere solitum, ad eam vsq; tentandam transmisit. Qui quum egentium more propinquum liminibus discubitum habuisset, visa fortè regina exili vocula succinens, amat, inquit, te Snio. Illa allapsum auribus sonum dissimulanter excipiens, nec visu nec gradu relato procedit in regiam, atque eueſtigio regressa obscuro & vix aures offendente sibilo, amantem, inquit, me redamo. Eo dicto vestigium extulit. Quam egenus mutui amoris vocem edidisse gauisus, die postera foribus assidens, præsente domina consueta sermonis breuitate, locum, ait, voto suppetere cõuenit. Illa rursum argutæ vocis industriam colligẽs, summa cum dissimulatione discessit. Paruo post percontatorem præteriens, Bocheror breui se peruenturam asseruit. Hunc quip-

pe

pe locũ fuga petere deſtinauit. Qua de re egenus certior redditus, ſolito percontationis acumine competens promiſſo tempus cognoſcere perſeuerat. Illa vero nec aſtu inferior, nec ſermone lucidior, quam breuiſſime potuit hyemis initiũ nũcupauit. Cæterũ ſtipatores eius qui leuem amatorię vocis iactum exceperant, plenum calliditatis ingenium extremæ ſtoliditatis deliramentũ eſſe credebant. Quę quum Snio certius ex egeno cognoſceret, reginam ſublatis mariti opibus lauandi ſimulatione digreſſam, nauigio deportandam curauit. Poſtea vero ſæpenumero inter ipſum ac Suetiæ regem, altero iuſtas repetente faces, altero illicitas tueri perſeuerante, ancipiti euentu variaq; victoria dimicatum eſt. Ea tempeſtate per ſummam cœli intemperantiam agrorum vbertate corrupta, ingens annonę caritas incidit. Cumq; oborta victualium raritate grauis plebem inedia laceraret, rex quonam modo temporis difficultati ſuccurreret anxius, quum aliquanto maiorẽ bibulorum, quàm edacium impenſam animaduerteret, frugalitatem populo intulit, conuiuiorum vſum abrogans, ne qua ex fruge potio pararetur edixit, acerbitatem famis ſuperflui hauſtus interdicto pellendam, atq; à ſiti abundantiã eſus mutuandam exiſtimans. Tunc quidam petulantioris gulæ proſcriptam bibendi conſuetudinem deflens, altum calliditatis genus complexus, nouam voluptati licentiam reperit, ac publicam continentiæ legem priuata intemperantia ſoluit, deliciarum vſum à ridiculi operis acumine mutuatus. Vetiti enim liquoris guſtu minutim liguriendo vſus, deſiderium ebrietatis expleuit. Quam ob rem conuentus à rege, integerrimum ſe frugalitatis obſeruatorem aſſeruit, vtpote auiditatem hauſtus moderatæ ſumptionis ingenio caſtigantem, affixamq; ſibi culpam ſorbitionis titulo tueri perſeuerauit. Deniq; adiecto minarum terrore, non modo bibere, verumetiam pitiſſare prohibitus, conſuetudini tamen imperare non potuit. Vt enim tanquam licite illicitis frueretur, nec gulam alieno ſubiectam haberet imperio, madefactis potione cruſtulis, capace liquoris offula veſcebatur, cupitamq; crapulam lento guſtu prouexit, interdictum ſatietatis modum haud ſecus ac licitum conſecutus. Adeò pertinaciſſima gulæ rabies ſalutem pro luxu deuouens, nec regia quidẽ comminatione deterrita, ad omne periculum ſpernendum temerarium ſolidauerat appetitum. Secundo quoq; perinde ac violatę conſtitutionis reus conuenitur à rege. Sed ne tunc quidem facti defenſionem abiecit, nequaquam à ſe regalibus inſtitutis obuiam itum eſſe contendens, aut decretam edicto continentiã ſuis profanatam illecebris, præſertim quũ lata frugalitatis lex ita parſimoniæ formam tradiderit, vt potandi magis quàm edendi liquoris facultas inhibita videretur. Tum rex obteſtans deos, per communẽ iurare ſalutem, tale quid deinceps audentem capitaliter eſſe plexurum. Ille mortem temperantia leuiorem, vitamq; quàm luxum deponere tolerabilius ratus, rurſum aquis excoquit frugem, detoſtoq; liquore cum ſe nullam vlterius excuſandæ cupiditatis defenſionem obiecturũ ſperaret, palàm potioni indulgendo ad calicum vſum libera fronte conuertit, aſtuq; in audaciã verſo, regiam animaduerſionẽ operiri quàm frugi fieri maluit. Interrogante ergo rege, cur toties rei interdictæ licentiam vſurpaſſet, deſiderium hoc, inquit rex, nõ tam auiditas mea, quàm habita in te beneuolentia peperit, funeribus enim regijs, inferias conuiuio perſoluendas meminerã. Itaq; ne epulum quo tuæ peragantur exequiæ ob frumenti inopiam ſolenni potionis vſu careat, induſtria potius quàm ingluuie ductus prohibiti liquoris tempe ramento prouidi. Te autem ante alios inedia periturũ. prioremq; buſto opus habiturum non ambigo, cum ob hoc inuſitatã parcitatis legem tuleris, quod defuturam tibi primum alimoniã verearis. Tibi quippe nõ alijs conſulendo nouum auaritiæ autorem agere ſuſtines. Tam vrbana hominis cauillatio iram regis in ruborem conuertit, qui cum publicæ ſalutis decretum in ludibrium ſui recidiſſe conſpiceret, omiſſo communis vtilitatis conſilio, reuocauit edictũ, ſententiãq; ſoluere quàm ciuiũ offenſam contrahere maluit. Cumq;, vt dixi, ſiue parum compluta humo, ſeu nimiũ torrida torpentibus ſatis, ac parce fructificantibus campis, inediæ languor defectam eſcis regionem attereret, nullumq; parum ſuppetentibus alimentis trahendæ famis ſupereſſet auxilium, Aggone atque Ebbone autoribus

Ceruiſiæ vſum interdictum.

Bibacis aſtus.

Edictum crudele.

plebiſcito prouiſum eſt, vt ſenibus ac paruulis cæſis, omniq; demum imbelli ætate regno egeſta, robuſtis duntaxat patria donaretur, nec niſi aut armis, aut agris colẽdis habiles domeſtici laris paternorumq; penatium habitacula retinerent. Quorum mater Gambaruc, id ad ſe deferentibus filijs, cum à ſceleſti decreti autoribus ſalutem in crimine repoſitam animaduerteret, damnata concionis ſententia, neceſſitatem parricidio redimi oportere negabat: propius honeſtati conſilium fore aſſerens, animorumq; ac corporum virtuti expetibilius, vt ſeruata erga parentes ac liberos pietate, patria exceſſuri ſorte deligerentur. Quæ ſi ſenes inualidos obtuliſſet, robuſtiores ſe eorum loco exilio offerrent, eiusq; pondus pro debilibus perferendum ſua ſponte ſuſciperent. Cæterum indignos eſſe vita, qui illam ſcelere & ſacrilegio comparare, parentesq; ac prolem tam iniquo ſententiæ genere perſequi ſuſtinuiſſent, charitatis loco crudelitatis officia peracturi. Poſtremo cunctos malè patriam demereri, apud quos parentum aut liberorum amori proprij ſpiritus charitas præponderaret. Huic voci ad concionem relatæ, plerique ſuffragijs aſſentiebantur. Igitur omnium fortunis in ſortem coniectis, qui deſignabantur, extorres adiudicati ſunt. Quo euenit, vt qui ſponte neceſſitati parêre noluerant, fortunæ iudicio obſequi cogerentur. Primum itaque Blekingiam aduecti, ac deinde Moringiam pręternauigantes, ad Gutlandiam ſe appulerunt, vbi & Paulo teſte, autore Frig dea, Longobardorum vocabulum, quorum poſtea gentem condiderunt, traduntur adepti. Tandem ad Rugiam ſe applicantes, deſertisq; nauigijs ſolidum iter ingreſſi, cum multam terrarum partem emenſi, armisque depopulati eſſent, poſt editas late ſtrages, poſtremo petitis in Italia ſedibus, priſcum gentis vocabulũ ſuo nomine permutarunt. Interea Danorum tellus rareſcente cultorum opera, ſulcorumq; veſtigijs ſitu obductis, ſylueſtrem induit vultum, & quaſi natiui ceſpitis amœnitate depoſita, informi ſuccreſcentium nemorum denſitate perhorruit. Quod præſens quoque camporum eius facies prodit. Quæ enim olim feracia frugum iugera fuerant, eadem nunc arboreo ſtipite conſerta viſuntur. Atq; vbi olim cultores terram altius verſantes vaſtas diſſipauere glebas, illic nunc enatum nemus ſeruantia adhuc veteris culturæ veſtigium rura complectitur. Quæ niſi cultore vacua ac diuturno ſitu vaſta manſiſſent, nequaquam vnius ruris glebam inter factos aratro ſulcos, tenacesq; arborum radices partiri potuiſſent. Colles quoque quos in plano humandorum cadauerum cura veterum labor extruxerat, præſens ſyluæ congeries occupat. Cernere etiam eſt crebros petrarum aceruos ſyluarum ſaltibus interſitos, quas toto quondam rure diſperſas, ne proſcindendis vbiq; ſulcis officerent, coniectis in ſtruem molibus ruſtica cura ſublegit, malẽs exiguum agri perdere quàm totum difficile reperire. Vnde ex eo quod tunc exercendorum liberius aruorum gratia agreſtium labor egerat, prioris æui populus poſtero nume roſior extitiſſe perpenditur, qui breuibus agellis contentus agreſte moperam citra veteris culturæ veſtigia cohibet. Itaque præſens ſeculi vultus capax quondã dam ariſtæ ſolum, nunc gignendis glandibus idoneus agreſtem ſtiuam ac cerealeſ culmos conſita arboribus facie ſe permutaſſe miratur. Et hæc quidem de Snione quàm veriſſimè potui digeſta ſufficiant.

HVIC ſuccedit Biorn, itemq; poſt ipſum Haraldus rerum aſſequitur ſummam. Cuius filio Gormoni inter priſcos Danorum duces non infimæ laudis locum rerum ſtrenuè geſtarum titulus tribuit. Hic enim nouum audaciæ genus complexus, hereditarium fortitudinis ſpiritum ſcrutandæ rerum naturæ veſtigijs quàm armis excolere maluit, vtq; alios regum ardor bellicus, ita ipſum cognoſcendorũ mirabilium quæcunq; vel experimento deprehenſa, vel rumore vulgata fuerant, præcordialis ſtimulabat auiditas, Cumq; eſſet, externa atq; inuſitata viſendi cupidus, experiendam prę cæteris duxit Geruthi cuiuſdam ſedium acceptam a Tilenſibus famam. Incredibilia enim ab eis ſuper opum inibi cõgeſtarum magnitudine iactabantur, ſed iter omnium refertum periculo ac penè mortalibus inuium ferebatur. Ambitorem nanq; terrarum oceanum nauigandum, ſolem poſtponẽdum ac ſydera, ſub chao peregrinandum, ac demum in loca lucis expertia, iugibusque tenebris obnoxia tranſeundum, expertorum aſſertione conſtabat. Sed in iuuenili

ani-

lian imo circunſtantis periculi metum, non tam prædę quàm gloriæ cupido calcabat, multum ſibi claritatis acceſſurũ ſperante, ſi rem admodum intentatã auderet. Trecentis idem cum rege votum nuncupantibus, autorem famæ Thorkillum itineris ducem aſſumi placuit, vtpote locorũ gnarum, peritumq; adeundæ regionis eius. Is officio non recuſato, aduerſum inuſitatam nauigandi maris ſæuitiã firmiore ſtructuræ genere nodisq; crebrioribus, ac conſertioribus clauis preparanda iubet nauigia ſolidari, eademq; magnis repleri commeatibus ac bouinis ſupernè tergoribus claudi, quę intrinſeca nauiũ ſpacia ab incurſantium vndarum aſpergine tuerentur. Inde tribus duntaxat liburnis nauigatio tenditur, vnaquaque centenos capiente delectos. At vbi in Halogiam ventum, ſecundis flatibus deſtituti, varia pelagi iactatione dubijs nauigationis caſibus agebantur. Tandem perſummam alimẽtorum inopiam etiam pane defecti, exiguæ pultis vſu traxere famem. Interiectis diebus eminus perſtrepentem procellæ fragorem, perinde ac ſcopulos inundantis exaudiunt. Igitur intellecta telluris vicinia, agilitatis eximiæ iuuenis ſpeculandę rei gratia cacumen mali conſcendere iuſſus, prærupti ſitus inſulam in conſpectu eſſe denunciat: læti omnes regionem quæ ab eo ſignificabatur, auidis inſequuntur luminibus, attente promiſſi littoris præſidium expectantes. Cuius tandem aditum nacti, in editiorem ſoli partem per obſtantes cliuos prærupti callibus enituntur. Tunc Thorkillus ex armentis quæ in maritimis frequentia diſcurrebant, ſuprà quod ſemel leniendæ fami ſufficeret, negat eſſe tollendum, futurum enim ſi ſecus agerent, vt à dijs loci præſidibus diſcedendi potentia priuarentur. At nautæ magis prorogandæ ſatietatis quàm ſeruandi imperij cupidiores, incitamento gulæ ſalutis conſilium ſubiecerunt, exhauſta nauium gremia cæſorum gregum corporibus onerantes. Qui ideo captu perfaciles extitere, quòd ad inuſitatos virorum aſpectus firmato pauore mirabundi conuenerant. Nocte inſequenti mõſtra littori inuolantia, ac totę concrepantia nemore, cõcluſas obſedere puppes. Quorum vnum cæteris grandius ingenti fuſte armatum profundum paſſibus emetiebatur. Idem propius admotum vociferari cœpit, non antè enauigaturos, quàm ſi gregis iniuriam expiando, viris pro nauium numero traditis, diuini pecoris damna penſaſſent. Cuius minis obſecutus Thorkillus, vt vniuerſorum incolumitatem paucorũ diſcrimine tueretur, tres ſorte denotatos exhibuit. Quo facto, optato vento excepti in vlteriorem Byarmiam nauigant. Regio eſt perpetui frigoris capax, pręaltisq; offuſa niuibus, ne vim quidem feruoris perſentiſcit æſtiui, inuiorum abundans nemorum, frugum haud ferax, inuſitatisq; alibi beſtijs frequẽs. Crebri in ea fluuij ob inſitas alueis cautes ſtridulo, ſpumantiq; volumine perferũtur. Illic Thorkillus ſubductis nauibus tendi in littore iubet, eo loci peruentum aſtruens, vnde breuis ad Geruthum tranſitus foret. Prohibuit etiam vllum cum ſuperuenientibus miſcere ſermonem, affirmans monſtra nullo magis nocendi vim, quàm aduenarum verbis parum comiter editis ſumere. Ideoq; ſocios ſilentio tutiores exiſtere, ſe verò ſolum tuto profari poſſe, qui prius gentis eius mores habitumque peruiderit. Crepuſculo appetente, inuſitatæ magnitudinis vir nominatim ſalutatis nauticis interuenit. Stupentibus cunctis, Thorkillus aduentum eius alacriter excipiendum admonuit, Guthmundum hunc eſſe docens Geruthi fratrem, cunctorum illic applicantiũ pijſſimum inter pericula protectorẽ. Percontantiq; quid ita cæteri ſilentium colerent, refert rudes admodum linguæ eius ignoti pudere ſermonis. Tum Guthmundus hoſpitio inuitatos curriculis excipit. Procedentibus amnis aureo ponte permeabilis cernitur. Cuius tranſeundi cupidos à propoſito reuocauit, docens eo alueo humana à monſtroſis rerum ſecreuiſſe naturam, nec mortalibus vltrà fas eſſe veſtigijs. Subinde ad ipſa ductoris penetralia peruenitur. Illic Thorkillus ſeductis ſocijs hortari cepit, vt inter tentamentorum genera quæ varius obtuliſſet euentus, induſtrios viros agerent, atque à peregrinis ſibi dapibus temperantes, proprijs corpora ſuſtentanda curarent, diſcretasq; ab indigenis ſedes peterent, eorum neminem diſcubitu contingendo. Fore enim illius eſcæ participi bus inter horridos monſtrorum greges amiſſa cunctorum memoria ſordida ſemper cõmunione degendum. Nec minus miniſtris eorum ac poculis abſtinendum

Rebus creatis temperanter vtendum.

Biarmiæ regionis deſcriptio.

edocuit. Duodecim filij Guthmundi egregia indole, totidēq; filiæ præclui forma circunſtiterant menſas. Qui cum regē a ſuis duntaxat illata delibare conſpiceret, beneficij repulſam obijciēs iniurioſum hoſpiti querebatur, nec Thorkillo competens facti excuſatio defuit. Quippe inſolito cibo vtentes, plerunq; grauiter affici ſolere commemorat, regemq; non tam alieni obſequij ingratū, quàm proprię ſoſpitatis ſtudioſum, conſueto more corpus curantē domeſticis cœnā obſonijs inſtruxiſſe, Igitur haudquaquā contemptui imputari debere, quod fugiendę peſtis ſalutari gereretur affectu. Videns autē Guthmundus apparatus ſui fraudem hoſpitum frugalitate deluſam, cū abſtinentiam hebetare non poſſet, pudicitiam labefactare cōſtituit, omnibus ingenij neruis ad debilitandam eorum temperantiam inhians. Regi enim filiæ matrimoniū offerens, cæteris quaſcunq; è famulitio peterent potiendas eſſe promittit. Pleriſq; rem approbantibus, Thorkillus hūc quoq; illecebrarum lapſum ſicut & cæteros ſalubri monitu præcurrit, induſtriam ſuam inter cautum hoſpitem ac lætū conuiuam egregia moderatione partitus. Quatuor è Danis oblatum amplexi, ſaluti libidinem prætulerunt. Quod contagium lymphatos ino pesq; mentis effectos priſtina rerū memoria ſpoliauit. Quippe poſt id factū parum animo conſtitiſſe traduntur. Qui ſi mores ſuos intra debitos temperantiæ fines cōtinuiſſent, herculeos æquaſſent titulos, giganteā animo fortitudinem ſuperaſſent, perenniterq; patriæ mirificarū rerū inſignes extitiſſent autores. Adhuc Guthmūdus propoſiti pertinacia dolū intendere perſeuerans, collaudatis horti ſui delicijs, eò regem percipiendorum fructuum gratia perducere laborabat, blandimentis niſus, illecebriſq; gulę cautelę conſtantiam elidere cupiens. Aduerſum quas inſidias rex Thorkillo, vt prius, autore firmatus, ſimulatæ humanitatis obſequium ſpreuit, vtendi excuſationem à maturandi itineris negocio mutuatus. Cuius prudentiæ Guthmundus ſuam in omnibus ceſſiſſe conſiderans, ſpe peragendæ fraudis abiecta cunctos in vlteriorem fluminis ripam tranſuectos iter exequi paſſus eſt. Progreſſi atrū incultumq; oppidum vaporāti maxime nubi ſimile, haud procul abeſſe proſpectant. Pali propugnaculis interſiti deſecta virorum capita præferebant. Eximiæ ferocitatis canes tuentes aditū præ foribus excubare cōſpecti. Quibus Thorkillus cornu abdomine illitum collambendum obijciens, incitatiſſimam rabiem paruula mitigauit impenſa. Superne portarū introitus patuit. Quem ſcalis æquantes, arduo potiuntur ingreſſu. Atrę deintus informesq; laruę conferſerant vrbem. Quarum perſtrepentes imagines aſpicere horridius an audire fuerit, neſcias: fœda omnia, putidumq; cœnum adeuntium nares intolerabili halitu fatigabat. Deinde conclaue ſaxeum cui Geruthum fama erat pro regia aſſueuiſſe, reperiunt. Cuius arctam horrendamq; crepidinem inuiſere ſtatuētes, repreſſis gradibus in ipſo pauentes aditu conſtiterunt. Tunc Thorkillus hærentes animo circūſpiciens, cūctationem introitus virili adhortatione diſcuſſit, monens temperaturos ſibi, ne vllam ineundę ædis ſuppellectilem tametſi poſſeſſu iocunda aut oculis grata videretur, attingerent, animosq; tam ab omni auaritia auerſos, quàm à metu remotos haberent, neque vel captu ſuauia concupiſcerent, vel ſpectatu horrida formidarent, quanquam in ſumma vtriuſq; rei forent copia verſaturi. Fore enim vt auidæ capiendi manus ſubita nexus pertinacia à re tacta diuelli nequirent, & quaſi inextricabili cum illa vinculo nodarentur. Cæterum compoſite quaternos ingredi iubet. Quorum Broderus & Buchi primi aditum tentant. Hos cum rege Thorkillus, inſequitur. Cæteri deinde compoſitis gradiuntur ordinibus. Ædes deintus obſoleta per totum, ac vi teterrimi vaporis offuſa, cūctorum quibus oculus aut mens offendi poterat, vberrima cernebatur. Poſtes lōgęua fuligine illiti, obductus illuuie paries, compactum è ſpiculis tectum, inſtratum colubris pauimentum, atq; omni ſordium genere reſperſum inuſitato aduenas ſpectaculo terruerunt. Super omnia perpetui fœtoris aſperitas triſtes laceſſebat olfactus. Exanguia quoq; monſtrorum ſimulacra ferreas onerauerant ſedes, deniq; conſeſſuum loca plumbeæ crates ſecreuerant, liminibus horrendę ianitorum excubiæ præerant. Quorum alij conſertis fuſtibus obſtrepentes, alij mutua caprigeni tergoris agitatione deformem edidere luſum. Hic ſecundo Thorkillus auaras temere manus ad illicita tendi prohibens,

bens,iterare monitũ cœpit. Procedẽtes per fractã ſcopuli partẽ,nec procul in editiore quodam ſuggeſtu ſenem pertuſo corpore diſciſſæ rupis plagæ aduerſum reſidere conſpiciunt. Prætereà fœminas tres corporeis oneratas ſtrumis ac veluti dorſi firmitate defectas iunctos occupaſſe diſcubitus. Cupiẽtes cognoſcere ſocios,Thorkillus qui probè rerum cauſas nouerat,docet Tor diuum gigantea quondam inſolentia laceſſitum per obluctantis Geruthi præcordia torridam egiſſe chalybem, eademq; vlterius lapſa, conuulſi montis latera pertudiſſe, fœminas vero vi fulminum tactas infracti corporis damno eiuſdem numinis attẽtati pœnas pependiſſe firmabat. Inde digreſſis dolia ſeptem zonis aureis circunligata pandun-
10 tur,quibus penſiles ex argento circuli crebros inſeruerant nexus. Iuxta quæ inuſitatæ belluæ dens extremitates auro præditus reperitur. Huic adiacebat ingens bubali cornu,exquiſito gemmarum fulgore operoſius cultum,nec cælaturæ artificio vacuum. Iuxta quod eximij ponderis armilla patebat. Cuius immodica quidam cupiditate ſuccenſus, auaras auro manus applicuit, ignarus excellentis metalli ſplendore extremam occultari perniciem, intentiq́ prædæ fatalem ſubeſſe peſtem. Alter quoque parum cohibendæ auaritiæ potens, inſtabiles ad cornu manus porrexit. Tertius priorum fiduciam æmulatus, nec ſatis digitis temperans,oſſe humeros onerare ſuſtinuit. Quæ quidem præda vti viſu iocunda,ita vſu probabilis extitit. Illices enim formas ſubiecta oculis ſpecies exhibebat. Armilla
20 ſiquidem anguem induens venenato dentium acumine eum à quo gerebatur appetijt. Cornu in draconem extractum,ſui ſpiritum latoris eripuit. Os enſem fabricans,aciem præcordijs geſtãtis immerſit. Cæteri ſociæ cladis fortunam veriti,inſontes nocentium exemplo perituros putabant, ne innocentiæ quidem incolumitatem tribuendam ſperantes. Alterius deinde tabernaculi poſtica anguſtiorem indicante receſſum quoddam vberioris theſauri ſecretarium aperitur,in quo arma humanorum corporum habitu grandiora panduntur. Inter quæ regium paludamentum cultiori coniunctum pileo, ac mirifici operis cingulum viſebantur. Quorum Thorkillus admiratione captus, cupiditati frenos excuſſit,propoſitam animo temperantiam exuens, totieſq; alios informare ſolitus, ne proprios
30 quidem appetitus cohibere ſuſtinuit. Amiculo enim manum inſerens,cæteris cõſentaneum rapinæ auſum temerario porrexit exemplo. Quo facto,penetralia ab imis concuſſa ſedibus,inopinatæ fluctuationis modo trepidare cœperunt. Subinde à fœminis conclamatum, æquo diutius infandos tolerari prædones. Igitur qui prius ſemineces, expertiaq; vitæ ſimulacra putabantur, perinde ac fœminarum vocibus obſecuti, e ſuis repente ſedibus diſſultantes, vehementi incurſu aduenas appetebant. Cætera raucos extulere mugitus. Tum Broderus & Buchi ad olim nota ſibi ſtudia recurrentes, incurſantes ſe lamias adactis vndique ſpiculis inceſſebant, arcuumq; ac fundarum tormentis agmen obtriuere monſtrorum. Nec alia vis repellendis efficacior fuit. Viginti ſolos ex omni comitatu regio ſagit
40 tariæ artis interuentus ſeruauit. Cæteri laniatui fuere monſtris. Regreſſos ad amnẽ ſuperſtites Guthmundus nauigio traijcit, exceptosq; domi cum diu ac multum exoratos retentare non poſſet,ad vltimum donatos abire permiſit. Hic Buchi parum diligens ſui cuſtos,laxatis cõtinentiæ neruis,virtute qua hactenus fruebatur abiecta,vnam è filiabus eius irreuocabili amore complexus, exitij ſui connubium impetrauit,moxq; repentino verticis circuitu actus,priſtinum memorię habitum perdidit. Ita egregius ille tot monſtrorum domitor,tot periculorũ ſubactor,vnius virginis facibus ſuperatus, peregrinatum à continentia animũ miſerabili iugo voluptatis inſeruit. Qui cum abiturum regem honeſtatis cauſa proſequeretur,vadũ curriculo tranſiturus,altius deſidentibus rotis,vi vorticum implicatus abſumitur.
50 Rex amici caſum gemitu proſecutus,maturata nauigatiõe diſceſſit. Qua primum proſpera vſus, deinde aduerſa quaſſatus, periclitatis inedia ſocijs, paucisq; adhuc ſuperſtitibus religionem animo intulit, atq; ad vota ſuperis nuncupanda confugit,extremæ neceſſitatis præſidium in deorum ope cõſiſtere iudicans. Deniq; alijs varias deorum potentias exorantibus, ac diuerſæ numinum maieſtati rem diuinam fieri oportere cenſentibus, ipſe Vgarthilocum votis pariter ac propitiamen-

Inſatiabilis auaritiæ pœna perquã miraculoſa.

tis aggressus, prosperam exoptati syderis temperiem assecutus est. Domum veniens cum tot maria se, totq; labores emensum animaduerteret, fessum ærumnis spiritum à negocijs procul habendum ratus, petito ex Suetia matrimonio superioris studij habitum ocij meditatiõe mutauit. Vita quoq; per summum securitatis vsum exacta ad vltimum penè ætatis suæ finem prouectus, quum probabilibus quorundam argumentis animos immortales esse compertũ haberet, quasnam sedes esset exuto membris spiritu petiturus, aut quid præmij propensa numinum veneratio mereretur, cogitatione secum varia disquirebat. Hæc voluentem subeunt quidam parum benigni in Thorkillum animi, docentes diuino opus esse consultu, tantæq; rei certitudinem humano altiorem ingenio, nec mortaliũ cognitu facilẽ, cœlestibus expetendam oraculis: quamobrẽ propitiandum esse Vgarthilocũ, neminẽq; id Thorkillo aptius executurum. Fuere quoq; qui eũdem insidiarũ reum, ac regij capitis hostem deferrent. Qui cum vltimo se periculo destinari videret, criminationis autores profectionis comites expetiuit. Tum qui insontem notauerant, periculum alieno capiti præparatum in seipsos recidisse cernentes, consultum reuocare tentabant. Sed frustra regias aures implentes, etiam pauoris increpiti Thorkillo duce nauigare coguntur. Ita excogitatis in alterum malis, in autorem plerunq; adigi necesse est. Qui cum se ineuitabili discriminis necessitate districtos animaduerterent, nauigium taurinis obstructum corijs prouisis abunde commeatibus impleuerũt. Quo euecti eò peruenere loci, vbi regio Solis inops, ignara syderum, nec diurni luminis capax, perpetuæ noctis specie caligabat. Cumq; diu sub inusitata cœli facie nauigassent, tandem incidente lignorum inopia, foculi nutrimentis defecti, nec suppetente decoctionis officina, crudis famem obsonijs propulerunt. Verum complures vescentium vltimam pestem ab indigestæ dapis facietate traxerũt. Primum enim paulatim stomachis inusitato partus edulio languor irrepsit, deinde latius manante contagio, vitalia morbus appetijt. Sicq; anceps vtriusq; intemperantiæ malum vt inedia grauem, ita gulam quoq; suspectam effecerat, cum nec absti nere commodum nosceretur. Igitur omnem salutis spem abijcientibus, vt neruũ tunc facilius rumpi solitum est cum arctius tenditur, patrocinium inopinatæ commoditatis affulsit. Subito enim ignis haud procul emicare conspectus, exhaustis trahendę vitæ fiduciam ingenerauit. Quem Thorkillus tanquam diuinitus datum remedium colligere statuens, quo sibi certiorem ad socios reditum strueret, cacumen mali infixæ gẽmæ fulgore signauit, littore deinde potitus subijcit oculis angusti aditus, arctarumq; faucium specum. Quem comitibus foris præstolari iussis ingressus, duos eximiæ granditatis aquilos conspicatur corneis naribus contracta, quæ fors obtulerat igni nutrimenta præstantes. Cęterum deformis introitus, obsoleti postes, ater situ paries, sordidum tectum, frequẽs anguibus pauimentum, nõ oculum magis quàm animum offendebant. Tum gigantum alter salutatum eum rem conatu pręarduã orsum esse dicebat, inusitati numinis adeundi cupiditatẽ flagrantem, atq; extra mundani climatis cognitionem inuestigabili scrutatione complexum. A se autem propositi itineris semitas cogniturum, si tres veridicas sentẽtias, totidem prouerbijs comprehensas expromeret. Tum Thorkillus: Non mehercule incomptiorẽ naribus familiã peruidisse commemini. Sed neq; locum quo minus libenter degerem attigi. Item: Illum mihi pedem potiorem statuo, qui prior exitum capessere quiuerit. Gigas Thorkilli prudentia delectatus, prouerbiorũ veritate laudata, docet ad inops graminis solum, altisq; obfusum tenebris inprimis esse migrandũ. Antè autẽ quàm destinatus possit locus accipi, nauigationẽ quatriduo pertinaci remigio pertrahendã. Illic visendum fore Vgarthilocum tetros horrendosq; specus sordida mansione cõplexũ. Thorkillus magnopere stupẽs, quod & longa & periculosa nauigatio imperabatur, spe tamen dubia præsentẽ metũ vincente foculũ expetiuit Et gigas, si ignem, inquit, desideras, necesse est alias tres sententias similibus prouerbijs edas. Tum Thorkillus: Consilio, tametsi exilis id autor ediderit obsequẽdum est. Item, eò temeritatis processi, vt si regredi quiuero, salutem meã nulli magis quàm pedibus debeã. Rursum, si impręsentiarũ recessu libere fruerer, vlterius à reditu temperandũ curarem. Inde perlato ad socios igne, auræ

Malum consilium consulto pessimum.

indul-

indulgentiam nactus quarto die ad propoſitum portum appulit, aggreſſuſq; cum ſocijs terram apud quam continuæ noctis facies alterni luminis viciſſitudinem fruſtrabatur, ægrè proſpectum capientibus oculis inuſitatæ molis ſcopulum conſpicit. Cuius perluſtrandi cupidus, à comitibus foris ſtationem peragẽtibus extuſum ſilicibus ignem, opportunum contra dæmones tutamentum, in aditu iuſſit accendi. Poſt hæc prælato per alios lumine, arctis cauernæ faucibus corpus ſubijciens, inter crebros ſerpentum allapſus ferreorum vndiq; ſedilium frequentiam contẽplatur. Inde placidior aquæ moles ſubiectoq; ſabulo molliter influens conſpectui obuerſata eſt. Qua tranſita paulò defectiorem ſitu ſpeluncam aggreditur. Ex qua item atrum obſcœnumq; conclaue viſentibus aperitur. Intra quod Vgarthilocus manus pedesq; immenſis catenarum molibus oneratus aſpicitur: cuius olentes pili tam magnitudine quàm rigore corneas æquauerant haſtas. Quorum vnum Thorkillus adnitentibus ſocijs mento patientis excuſſum, quo promptior fides ſuis haberetur operibus aſſeruauit, ſtatimq; tanta fœtoris vis ad circunſtantes manauit, vt niſi repreſſis amiculo naribus, reſpirare nequirent: vixq; egreſſu potiti, ab inuolantibus vndiq; colubris conſpuuntur. Quinq; duntaxat Thorkilli comitum cęteris veneno conſumptis nauigium cum ductore conſcendunt. Imminent efferi dæmones, & in ſubiectos venenata paſſim ſputa conijciunt. At nautæ prætentis coriorum vmbraculis illapſum reſpuere virus. Hic cuiuſdam fortè proſpicere cupientis tactum veneno caput, perinde ac ferro reciſum ceruici exemptum eſt. Alius ocellos vmbraculis exercens, ſub eadem vacuos luminum orbes retulit. Alius exerta manu tegimen explicans, eiuſdem tabis vi truncum ad ſe brachium reuocauit. Igitur cæteris propenſiora ſibi numina nequicquam deprecantibus, Thorkillus vniuerſitatis deum votis aggreſſus, eiq; cum precibus libamenta defundẽs, mox prioris cœli vſum ac perſpicua rerũ elementa proſpera nauigatione collegit. Iamq; alium ſibi orbem atq; ipſum rerum humanarum aditum perſpicere videbãtur. Tandem ad Germaniam Chriſtianis tunc ſacris initiatam appulſus, apud eius populum diuini cultus rudimenta percepit, vbi ſociorum manu ob inuſitatum aëris hauſtum propemodum conſumpta, duobus tantum quos ſors vltima præterierat comitatus, reditum ad patriam habuit, verum illitus ori marcor ita habitũ corporis, ac priſtina formę lineamẽta confudit, vt ne ab amicis quidẽ potuiſſet agnoſci. At vbi deterſa illuuie, notitiam ſui viſentibus reddidit, eximiã regi cognoſcẽdę legationis auiditatem ingeſſit. Sed necdum æmulorũ obtrectatione ſopita, fuere qui regem cognitis quæ Thorkillus afferret, ſubitò deceſſurum aſtruerent. Auxit affirmationis fidem, eiuſdem rei falſa ſomnij prædictiõe ſuggeſta crudelitas. Igitur qui noctu Thorkillum opprimerent, regis imperio ſubornantur. Cuius ille rei vtcunq; indicium nactus, clam cunctis relicto cubili magni ponderis lignũ ſubiecit. eoq; facto ſubornatis truncum cædentibus regiæ fraudis commentum eluſit. Die poſtero regem corpus curantem aggreſſus, ignoſco, inquit, ſæuitiæ tuæ, erroriq; veniam tribuo, qui proſperũ legationis nuncium afferenti pœnã pro gratia decreuiſti. Itaq; te ſolũ, pro quo caput tot ærumnis deuoui, tot periculis cõtudi, quemq; operũ meorum gratiſſimũ penſatorẽ ſperaui, acerrimũ virtutis punitorẽ inueni. Verum vltionis partibus p̃termiſſis, interno animi tui rubore (ſi tamen ullus ingratos pudor afficit) læſionis meæ vindice ſum contentus. Nec immerito te omnem dæmonũ rabiem, aut belluarum ſæuitiam ſuperare coniecto, quod tot monſtrorũ inſidijs erutus à tuis immunis eſſe non potui. Rex cuncta ex ipſo cognoſcere cupiens, fatisq; arduũ obſtare iudicãs, euentuũ ordinẽ exponere iubet. Cumq; per cætera auidis referentẽ auribus excepiſſet, poſtremo recenſitã numinis ſui mentionẽ ſiniſtra opinione colligi paſſus non eſt. Exprobratã enim Vgarthiloci fœditatẽ exaudire non ſuſtinens, adeo indignitatis eius vicẽ doluit, vt impatientẽ dictorũ ſpiritum inter ipſa narrantis recitamẽta deponeret. Itaque dum vani numinis cultum cupide fouit, vbinam verſus eſſet miſeriarum carcer agnouit. Crinis quoq; oliditas, quem Thorkillus perinde atq; operum ſuorum magnitudinem teſtaturũ, capillitio gigantis excerpſerat, in circunſtantes effuſa, compluribus exitio fuit.

Ingratitudo quotidianum virtutu eſt præmium.

Defuncto Gormone, Gotricus ex eo genitus regnat. Hic non armis modò, ſed

etiã liberalitate conſpicuus, incertũ fortior an clementior fuerit, adeoq; ſeueritatẽ manſuetudine caſtigabat, vt alterã altera rependere videretur. Eodẽ tempore rex Noruagiæ Goto à Berone & Refone Tylenſibus petitus, Refonẽ cultius ac familiarius habitũ, magni ponderis armilla donauit. Quo quidã aulicorũ conſpecto, magnitudinẽ doni impenſiori laude complexus, neminem Gotoni parem humanitate firmabat. At Refo quanquam gratiam beneficio deberet, tamen immodici laudatoris tumidã vocem approbare non paſſus, Gotricũ ei prętulit. Vt enim vana aſſentatoris affirmationẽ obtereret, abſenti liberalitatis teſtimonium reddere, quàm præſentem beneficij datorem falſo palpare maluit. Partim quoq; ingratitudinis argui, quàm inanis iactantiæ laudẽ aſſentiendo proſequi, regemq; veritatis ſerio mouere, quã adulationis mendacio fallere, aliquanto precioſius duxit. At Vluo dictas in regẽ laudes, non ſolũ pertinaciter affirmare, ſed etiã experimento proſequi perſeuerans, pignus cum negante proponit. Cuius conſenſu Refo in Daniã pergens, Gotricũ ſella poſita, ſtipendia inter milites partientem inuenit. A quo quiſnam eſſet rogatus, vulpeculæ ſibi nomẽ eſſe reſpondit. Cumq; riſu quoſdã, alios admiratione compleſſet, & vulpem, inquit Gotricus, ore prædã excipere conuenit. Ac mox detractũ lacerto torquem accerſiti labris inſeruit. Quem Refo confeſtim brachio applicans, id cunctis auro præditũ oſtentabat: reliquum vero perinde atq; ornamenti inops occultius habuit, eoq; acumine ab inuictæ munificentiæ dextera conſentaneũ priori munus accepit. Quod ei non tam precij magnitudo iocundũ, quam litis initæ victoria faciebat. A quo cũ rex de pignoris poſitione cognoſceret, fortuitò magis quam deinduſtria munificus erga ipſum extitiſſe gaudebat, plus ſe voluptatis ex datione, quam accipentem ex munere ſentire teſtatus. Igitur reuerſus Noruagiam Refo concertatorem pignus exoluere recuſantem occîdit, filiamq; Gotonis captiuam Gotrico potiendam adducit. Cumq; Gotricus, qui & Godefridus eſt appellatus, transfuſis in exteros prælijs, famam ac vires felicibus propagaſſet auſpicijs, inter cætera factorũ monimenta, hanc quoq;

Tributi lex Saxonibus à Danis impoſita.

Saxonibus tributi legem indixit, vt eorum duces quoties apud Danos regni mutatio obueniſſet, centum equos niueos ſuffecti regis initijs dedicarent. Quod ſi nouum Saxonibus ducem variata rerum ſucceſſio peperiſſet, is quoq; prædictæ penſionis obſequio poteſtatis principium Danicæ maieſtatis titulis inclinaret, quo & gentis noſtræ fateretur imperium, & ſubiectionis ſuæ ſolenne præberet indicium. Nec Germaniæ quidem oppreſſione contentus, per Refonem legationi addictum Sueoniam tentat. Quem Sueones aperta vi necare veriti, latrocinium auſi iucuſſo lapide dormientem conſumpſerunt. Quippe molarem ſuperne penſum, reſciſſis vinculis, ſubiecti ceruicibus illabi fecere. In cuius noxæ expiationem actum eſt, vt ſinguli facinoris autores biſſena auri talenta, è plebe vero quilibet vnam eiuſdem generis vnciam Gotrico perſolueret. Vulpeculæ penſionem vocabant. Accidit interea vt rex Francorum Carolus contuſam bello Germaniam, non ſolum chriſtianiſmi ſacra ſuſcipere, ſed etiã ditioni ſuæ parêre conpelleret. Quo comperto Gotricus finitimas Albiæ gentes adortus, Saxoniam ſuſceptum Caroli iugum cupidius amplexantem, ac Romana arma Danicis præferentem, ad priſtinum regni ſui titulum reuocare tentabat. Quo tempore Carolus victricia trans Rhenum caſtra receperat, ideoq; ab aduenæ hoſtis congreſſu, perinde ac fluuij interſtitio vetitus, temperabat. Quem quum ob res Gotrici comprimendas iterato tranſmeare proponeret, à Leone Romanorum pontifice in vrbis tuendæ præſidium accerſitus mandato paruit, filio vero Pipino gerendi aduerſum Gotricũ belli partes commiſit, vt dum ipſe in longinquum hoſtem ageret, hic contra vicinum ſuſceptum pugnæ negocium procuraret. Oportebat enim vt gemina curarum anxietate diſtractus, ſparſa manu aptum vtrique remedium prouideret. Interea Gotricus ſpecioſam ex Saxonibus victoriam referens, contractis denuò viribus, ac frequentiori copiarum robore comparato, non in Saxones modò, verum in omnem Germaniæ populum amiſſæ dominationis iniuriam vlciſci conſtituit. Ac primo quidem claſſe Freſiam dornat. Quæ prouincia admodũ ſitu humilis, quoties ſæuiente oceano obiecta fluctibus æſtuaria perrumpun-

Teompea 1088.

rumpuntur, totam inundationis molem patentibus campis excipere consueuit. Huic Gotricus non tam arctam quàm inusitatam pensionem imposuit. De cuius conditione & modo summatim referam. Primum itaque ducentorum quadraginta pedum longitudinem habentis ædificij structura disponitur, bissenis distincta spatijs, quorum quodlibet vicenorum pedum intercapedine tenderetur, prædictæ quantitatis summam totalis spatij dispendio reddente. In huius itaque ædis capite regio considente quæstore, sub extremam eius partem rotundus è regione clypeus exhibetur. Fresonibus igitur tributum daturis mos erat singulos nummos in huius scuti cauum conijcere, è quibus eos duntaxat in censum regium ratio cõputantis eligeret, qui eminus exactoris aures clarioris soni crepitaculo perstrinxissent. Quo euenit vt id solum æs quæstor in fiscum supputando colligeret, cuius casum remotiore auris iudicio persensisset. Cuius vero obscurior sonus citra computantis defecisset auditum, recipiebatur quidem in fiscum, sed nullum summæ præstabat augmentum. Compluribus igitur nummorum iactibus quæstorias aures nulla sensibili sonoritate pulsantibus, accidit, vt statam pro se stipem erogaturi, multam interdum æris partem inani pensione consumerent. Cuius tributi onere per Karolum posteà liberati produntur. Cumq; Gotricus transcursa Fresia, ac reuerso iam Roma Karolo in vlteriores se Germaniæ prouincias effundere statuisset, proprij satellitis insidijs circumuẽtus, ferro domesticæ fraudis interijt. Quo audito Karolus effuso gaudio exultauit, nihil eo casu vnquam fortunæ suæ iucundius obuenisse confessus.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI OCTAVI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER NONVS.

CLAVVS Gotrici filius patre mortuo regnat. Hic paternæ vindictæ studio ciuilibus patriam bellis implicare sustinuit, publicam pietatem priuato affectui subijciendo. Cuius extincti corpus collis Olaui titulo celeber prope Lethram congestus excepit. Huic succedit Hemmingus, cuius dignum memoratu opus non reperi, nisi quod pacem cum Cæsare Ludouico iurisiurandi firmitate composuit. Et fortè complura temporum eius insignia, quan q̃ præclara extiterint, vetustatis liuore teguntur. Post hos Syuardus cognomento Ring, quem eiusdem nominis pater Noruagiæ dux olim ex Gotrici filia susceperat, Scanis, Sialandisq; fautoribus regnat. Nam consobrinus eius Ringo, idemq; Gotrici nepos Iutiam occupabat. Igitur vnius regni diuidua potestas, tanq̃ vtraq; parte ob paruitatem ignobili, non sperni modo sed etiam lacessi ab exteris cœpit. Quos Syuardus maiore odio quàm regni æmulum insecutus, peregrina bella ciuilibus præferendo, quinquennio periculis patriæ defensionem suam opponere perseuerauit. Elegit enim vulnus tolerare domesticum, quo promptius sanaret externum. Quamobrẽ Ringo dominationis eius occasione suscepta, vniuersum imperij ius in seipsum transferre conatus, foris excubias peragentẽ, intus lacerare sustinuit. Prouincias siquidem quæ ab ipso possidebantur inuadens, communis patriæ defensionem ingrata mente pensabat. Igitur ex Sialandicis quidã Syuardi studiosiores, quo synceriorem absenti fidem gererent, filium eius Regnerum vixdum cunis erutum, regis nomine censuerunt, non quod ipsum regimini intempestiuum nescirent, sed vt tanti pignoris ductu aduersum Ringonem torpentium sociorum animos excitarent. Audiens autem Ringo Syuardum interim ab expeditione regressum, Sialandenses magna manu petitos ni se dederent, fer-

ro perituros edixit. At Sialādici quibus aut rubor, aut periculū imperabatur, viribus ob paucitatem diffisi, deliberandæ rei inducias popoſcerunt. Quibus impetratis, quum nec Syuardi gratiam colere liberum, nec Ringonis amplecti videretur honeſtum, diu inter metum pudoremq; ſoliciti iactabantur. Qua in re ne ſenibus quidem conſilio ſuppetente, Regnerus tunc fortè cōcioni præſens, breuis, inquit, arcus ſubitò ſpiculum iacit: ego verò tametſi puerili auſu maiorum ora præcurrere videar, ignoſcendum erratis veniamq; immature editis precor. Verum prudentiæ monitor tametſi deſpicabilis videatur, reſpuendus non eſt. Docili quippe animo ſorbenda eſt vtilium diſciplina. At quoniam vt deſertores ac tranſfugas notari turpe, ita ſupra vires audere temerarium eſt, & vtrobiq; par culpa ſubeſſe conuincitur: ſimulata tranſitione petendus eſt hoſtis, idemq; quum primum facultas obuenerit, opportuna deſertione linquendus. Satius ergo erit aduerſarij iram obſequij figmento præcurrere, quàm negatione eundem in noſmetipſos acrius inceſſendos armare. Quid enim fortioris imperium detrectantes agimus, niſi quod ipſi in iugulum noſtrum arma ſponte præſtamus? Sæpe inuolutioribus ſtudijs efficaciſſima fraus alitur. Aſtu illaqueanda eſt vulpes. Cuius conſilij ſalubritate, & fluctuantium ciuium cunctationem diſcuſſit, & hoſtilibus caſtris noxium robur adiecit. Concio quoque infantiæ eius non facundiam minus quàm ingeniū mirans, egregiæ indolis decretum habitu annorum excellētius cupide amplexata eſt. Nec rubori fuit defectis conſilio ſenibus puerilibus obſequi monitis, quæ quanquam à tenero manaſſent, integerrimo diſciplinæ pondere redundabant. Autorem vero conſilij inſtanti periculo obijcere veriti, educationis gratia Noruagiam tranſtulerunt. Breui poſt conſerta pugna Ringonē Syuardus aggreditur, quo occiſo ipſe immedicabili plaga perſtrictus, paucis interiectis diebus ex vulnere deceſſit.

CVI Regnerus in regnum ſuccedit, quo tempore rex Suetiæ Fro, interfecto Noruagienſium rege Syuardo, coniuges neceſſariorum eius proſtibulo religatas, publicè conſtuprādas exhibuit. Quo Regnerus audito, auitæ vltionis ſtudio Noruagiam petiuit. Eò veniente matronæ complures, quæ corporum ſuorum ludibria, aut nuper paſſa fuerant, aut in proximo pudicitiæ periculum verebantur, viriliter cultæ cupide caſtris eius adproperare cœperunt, profitentes ſe fatum contumeliæ prælaturas. Nec erubuit futurus muliebris improperij vindex, aduerſum autorem turpitudinis, quarum ignominiam vlciſci venerat, auxilia mutuari. Inter quas affuit & Lathgertha perita bellandi fœmina, quę virilem in virgine animum gerens, immiſſo humeris capillitio, prima inter promptiſſimos dimicabat. Cuius incomparabilem operam admirantibus cunctis, quippe cæſaries tergo inuolare conſpecta fœminam eſſe prodebat. Regnerus aui interfectore proſtrato, de puella quam in acie præuiam prænotauerat, commilitones plurimum percontatus eſt, vnius fœminæ viribus victoriam ſibi conſtitiſſe profeſſus. Quam quum illuſtri inter barbaros loco natam cognouiſſet, per internuncios procari perſtitit. Illa legatione tacite ſpreta, conſenſum ſimulat. Cumq; datis fallaciter reſponſis anhelanti proco potiendi voti fiduciam attuliſſet, adiectum vrſo canem in ædis ſuæ veſtibulo religari præcepit, contra omne amatoris ſtudium per obiectas belluas proprium tutatura conclaue. Regnerus verò fauorabili nuncio recreatus, nauigium ſcandit, emenſusq; fretum, comitibus apud Golerdal (id valli nomen eſt) ſubſiſtere iuſſis, ſolitarius puellæ penates accedit. Vbi exceptus à belluis, alteram telo traijcit, alteram faucibus apprehenſam obtorto gutture ſtrangulauit, virginemq; victi periculi præmium habuit. Ex cuius matrimonio geminis filiabus, quarum nomina memorię prodita non ſunt, filioq; Fridleuo ſuſceptis, triennium feriatus eſt. Cuius ob recentes nuptias reditu deſperato, Iuti gens inſolens Scanis in ſocietatem contractis, Sialandos, qui Regneri fidem propenſiori charitate colebant, bello laceſſere tentant. Quo comperto Regnerus tricenas inſtruit puppes, ventisque nauigationi parentibus, Scanos apud Whiteby vicum bellum auſos obtriuit, exactaq; hyeme, cum Iutis prope Lym Fyorthinum eius regionis fretum habitantibus ſecundis euentibus dimicauit. Tertio itē ac quarto Scanis, Hallandisq; fœlici auſpicio domitis, in Thoram Herothi regis filiam nuptiarum amore cōuerſo, ſibi

Lathgertha perita belli fœmina.

ac

ac Lathgerthæ repudium interiecit. Damnabat enim coniugis fidem, quam olim in perniciem ſuæ ſummæ ferocitatis belluas admouiſſe meminerat. Interea rex Sueonum Herothus ſyluas fortè venatione complexus, repertas à comitibus angues filiæ detulit nutriendas. Illa paterno ocyus obſecuta præcepto, vipereum genus virgineis manibus educare ſuſtinuit. Quinetiam curæ habuit, vt integrum bouis cadauer earum quotidie ſatietati ſuppeteret, ignorans ſe priuato pabulo publicam ſuſtentare perniciem. Quæ quum adultæ peſtilentiſſimo halitu viciniam vterent, rex inertis operæ pœnitens, potiturum filia qui peſtem amouiſſet, edixit. Quo non minori fortitudinis quàm libidinis incitamento frequens iuuentus adducta, periculoſam gnauiter operam erogabat. Cuius rei ſummam Regnerus ab intermeantibus expertus, laneum à nutrice ſagulum, villoſaq; admodum fœmoralia quibus inflictos anguium morſus elideret, expetiuit. Nam vt munimenti gratia referto pilis cultu vtendum credidit, ita agilitatis cauſa tractabilem ſumpſit. Cúmque nauigio Suetiam appuliſſet, incidente gelu aquis deinduſtria corpus iniecit, humefactamque veſtem quo minus penetrabilis redderetur, brumæ durandam præbuit. Qua amictus ſalutatos comites ad fidem Fridleuo ſeruandam hortatus, ſolus procedit ad regiam. Qua viſa enſem lateri nectens, dextræ telum inſerit amẽtatum. Procedenti inuſitatæ magnitudinis obuius allabitur ſerpens. Huic alter granditate par priorisque prolapſum inſecutus arrepſit. Qui iuuenem modo caudæ voluminibus quatere, modo pertinaci vomitu ac veneno conſpuere decertabant. Interea aulici tutiora complexi latibula, perinde ac pauentes puellulæ rem eminus inſpectabant. Ipſe rex pari metu perterritus, in anguſtum cum paucis conclaue refugerat. At Regnerus gelati cultus duritie fretus, non armis modo, ſed etiã amictu virulentos fruſtrabatur aſſultus, ſolúsque duarum rictum pertinaci ſpiritu virus in ſe profundentium infatigabili congreſſione ſuſtinuit: quippe morſus clypeo, venenum veſte reſpuit. Ad vltimum excuſſum manu telum ſtrenuè inceſſentium ſe belluarum corporibus adigit, eoq; vtriuſque præcordia lacerans, fœlicem pugnæ euentum habuit. Cuius cultum rex curioſius contemplatus, quum hirtum atque hiſpidum animaduertiſſet, præcipuè tamen occiduæ veſtis horrorem, maximeq; incomptam braccarum ſpeciem eludens, Lothbrog eum per ludibriũ agnominauit. Quem etiam vt ex laboribus recrearet, cum amicis epulaturum accerſit. Ille prius reuiſendos ſibi quos reliquerat arbitros aiebat, profectusq; eoſdem futuræ epulationis gratia nitidius cultos adducit. Ac demum peracto conuiuio præfixum victoriæ pignus accepit. Ex qua Rathbarthũ Dun, Warthnumq; egregiæ indolis pignora procreauit. Hiſdem Syuardus, Biornus, Agnerus, Iaruſq; natura fratres adiecti ſunt. Interea Iuti ac Scani inſopibili ſeditionis face ſuccenſi, abrogato Regneri titulo, Haraldo cuidam rerum cõtribuunt ſummam. Aduerſum quos Regnerus legatis Noruagiam miſſis, quum amica precaretur auxilia, Lathgertha priſtini amoris pertinaciore hauſtu exuberans, cum viro ac filio nauigationem arripuit. Centum ac viginti nauium claſſem ei à quo olim repudio acta fuerat, exhibere ſuſtinuit. Qui etiam vniuerſę opis egenum ſe iudicans, ab omni ætate præſidium mutuari curauit, robuſtisq; imbecilles agglomerans, fortium cuneis ſenũ, puerorumq; partes inſerere non erubuit. Igitur apud campum qui latialiter Laneus dicitur, in primis Scanorum res obterere orſus, graue cum factioſis bellum habuit. Vbi Iuarus ſeptimum agens annum inſigni pugna edita puerili corpore grandę uum robur exercuit. Syuardus verò dum hoſti vim aduerſo corpore ingerit, humi collapſus prono vulnus excepit. Quę res inſpectantibus ſocijs grauiſſimam circũſpiciendæ fugæ ſolicitudinem attulit, nec Syuardum modò, ſed & omnia ferè Regnericæ partis arma deiecit. Verum hũc attonitarum mentium lapſum Regnerus virili opera hortatuq; firmauit, paratosq; vinci victoriam conari perpulit. Lathgertha quoq; teneris membris incomparabilẽ ſortita ſpiritum, trepidantis militiæ ſtudium ſpecioſo fortitudinis exemplo contexit. Militari nanq; diſcurſu inopinatorum terga circunuolans, ſocialem metum in hoſtilia caſtra cõuertit. Ad vltimum laxata Haraldi acie, atq; ipſo per ſummam ſuorum ſtragem fugato quum domum ex acie reuertiſſet, ſpiculo quod toga occultauerat noctu mariti iugulũ attentauit,

Angues quotidie bouis integri cadauere in propriam paſcentis pernicię nutritæ.

totiusq; potentiæ eius ac nominis summam inuasit. Insolentissimus nanq; fœminæ spiritus absq; viro regnũ gerere, quàm fortunæ eius communicare iocundius duxit. Interea Syuardus oppido quod in vicinia erat allatus, curandũ medicis corpus præbebat. Quibus ad summã vsq; desperationẽ prouectis, dum vulneris immanitas adhibita fomentorũ genera frustraretur, quidam stupenda magnitudine ægri lectulum adire conspectus, si sibi illorum quos armis oppressurus foret animas dedicasset, protinus incolumitate gauisurũ promittit. Nec nomine quidem suppresso, Rostarum se dici subiunxit. Animaduertens autem Syuardus paruulæ promissionis impendio ingens comparari beneficiũ posse, penitus cupide paruit. Tunc senex attrectatæ tabis liuorem repentino manus auxilio dispulit, subitamq; vulneri cicatricem intendit. Postremo pupillas eius puluere perfundens abijt. Qui maculis repente coortis, eximiã vermiculorũ similitudinẽ obstupescentibus oculis ingenerauit. Crediderim huius miraculi autorẽ futuram iuuenis fæuitiam euidentiori luminũ testimonio prodere voluisse, ne perspicacior corporis pars sequentis vitæ præsagio vacua maneret. Quem anus quæ potionibus eius præerat, vermiculatas ore notas præferre conspiciens, inusitato iuuenis horrore permota subito lapsu decidens, linqui animo cepit. Quo euenit vt Syuardo serpentini oculi vulgatum late cognomen accederet. Interea nuptam Regneri Thorã violentus morbi casus absumpsit, eaq; res amantissimo coniugis viro infinitam ægritudinis molestiã peperit. Quam optime negocio discutiendã ratus, solatium ab exercitio mutuari, doloremq; labore temperare constituit. Militiã itaq; detrahendæ ægritudinis, pariendiq; solaminis gratia meditatus, statuit vt vnusquisque paterfamilias, quem inter liberos contemptissimũ duceret, aut si quem pigrioris operæ, ac minus spectatæ fidei seruum haberet, stipendia sibi meriturũ offerret. Quod edictum tametsi parũ proposito competens videretur, inualidissimos Danicæ gentis aliarum nationum fortissimis præstare docuit, magnumq; iuuentuti profectum attulit, delectis certatim socordiæ notã abstergere cupientibus. Præterea vt omnis controuersiarum lis semotis actionũ instrumentis, nec accusantis impetitione, nec rei defensione admissa, duodecim patrum approbatorum iudicio mandaretur, instituit. Cuius legis beneficio temeraria litiũ contractione summota, improborum calumniæ sufficienter obuiatum existimans, arma in Britanniam erexit, regemq; eius Hamam, Hellæ nobilissimi iuuenis patrẽ, pugna perstrictũ occîdit. Inde Scotiæ ac Petiæ insularũq; quas australes vel meridianas vocant, ducibus interfectis, Syuardo ac Rathbartho filijs vacuas gubernatore prouincias in potestatẽ addixit. Noruagiam quoq; principe suo violenter exutã Fridleuo parẽre præcepit, eundẽq; Orchadibus proprio duce defectis præferre curauit. Interea Danorum quidam pertinacioris erga Regnerũ odij obstinatis ad rebellandũ animis Haraldi quondam profugi partibus aduoluti, prostratã tyranni fortunam attollere conati sunt. Qua temeritate insolentissimos belli ciuilis aduersum regẽ spiritus excitauerunt, externisq; liberum domesticis implicuere periculis. Ad quos constringendos Regnerus cum insularium Danorum classe profectus, rebellium agmẽ elisit, Haraldumq; superati exercitus ducem fuga in Germaniam actum, honorẽ improbe partum impudenter abijcere compulit. Captiuos quoq; simplici morte afficere non contentus, tortos necare maluit, vt qui ad deserendam impietatem adduci non poterant, ne spiritum quidem nisi per summam pœnarum violentiam deponere sinerentur. Cæterum latifundia eorum qui cum Haraldo profugerant, secum stipendia peragentibus partitus est, eo patres punitiores iudicans, quod ad liberos quos suo iudicio repulissent, charioribus patrimonio spoliatis, honorem hæreditatis suæ translatum viderent. Sed ne sic quidem vltionis satietate perfusus, insuper Saxoniam, quod eam asylum hostium, Haraldiq; profugium crederet, oppugnare constituens, implorato filiorum auxilio, Carolum tunc fortè illis imperij sui finibus immorantem offendit. Cuius quum interceptis vigilibus præiectas fefelliſſet excubias, atque ob hoc cætera facta leuia duceret, conatuq; promptiora speraret, subitò diuina futuri muliercula tanquam cœleste quoddam oraculũ, aut diuinæ voluntatis interpres, salutari regem

gem prædictione permonuit, aduentantisq; periculi malum fœlici vaticinio præcucurrit, Syuardi classem ad Sighnini fluminis fauces appulisse denuncians. Imperator attente accepto monitu hostilem interpretatus aduentum, significatos sibi barbaros pugnæ oppositu constringendos curauit. Qua in Regnerum habita, non similiter vt discriminis cautelam hausit belli actum impleuit. Itaque infatigabilis ille totius penè Europæ domitor sereniſſimis, ampliſſimisq; victorijs tantam terrarum partem emensus, tot ciuitatum, tot gentium victorem exercitum auersis bello pectoribus vnius prouinciæ paruula manu profligatum aspexit. Cúmque Regnerus oneratis tributo Saxonibus de morte Herothi certum è Suetia nuncium accepisset, liberósque suos Sorli suffecti regis calumnia auitis bonis exutos cognosceret, Biorni, Fridleui, atque Rathbarthi collegium apprecatus (nam Regnaldus, Witsercus, & Ericus, quos ex Suanlogha progenuerat, nondum habilem armis ætatem impleuerant) Suetiam petijt. Cui occurrens cum exercitu Sorlus, publice an priuatim dimicandi optione facta, singularem deligẽti conflictum Scarchdhum spectatæ audaciæ pugilem, cum septena filiorum manu ex prouocatione pugnaturum admouit. Cum quibus Regnerus tribus filijs in certaminis societatem assumptis, vtroque exercitu inspectante congressus, agone victor excessit. Biornus verò quod integer hosti cladem ingesserat, tanquam à ferrei lateris firmitate sempiternum vsurpauit agnomen. Qua victoria Regnerus omnis periculi superandi fiduciam nactus, Sorlum cum vniuersis quas ductauerat copijs impetitum occîdit. Cumq; Biorno ob conspicuæ fortitudinis meritum Suetica prælatione donato, aliquãto bellorum interstitio quieuisset, cuiusdam fortè mulierculæ amantior factus, quo promptiorem sibi potiendæ eius aditum strueret, patrem ipsius ampliſſimo beneficentiæ cultu officioſiſſime captandũ curauit. Sæpe enim numero accersitum ad epulas plurimæ comitatis officijs prosequebatur. Nam & venientem assurgendi reuerentia, discumbentemq; proximo sibi consessu veneratus est. Sæpe etiam donis, interdum benigniſſimo recreauit alloquio. Qui quum tantæ honorationis causam à nullo suo merito profectam animaduerteret, cogitatione variè deflexa, ex amore filiæ suæ tacitam principis liberalitatem descendisse cognouit, libidinosum propositũ humanitatis nomine colorantis. Quã vt exactiſſimum amantis ingenium frustraretur, tanto impensius obseruandã curauit, quãto eam latentioribus studijs ac peruicacioribus modis ambiri cõperit. Verum Regnerus certiſſimo consensus eius nuncio recreatus, villã in qua asseruabatur accessit, nihilq; amori inuium putans, in vicino quendam rusticę vitæ solitarius hospitio petijt. Mane commutata cum fœminis veste, amicæ laneum opus explicanti muliebriter cultus astitit, virgineoq; operi rudes artificij manus callide ne pderetur admouit: nocte vero votis virginem amplexatus indulsit. Cumq; matureſcente partu temeratæ pudicitiæ facinus tumidiore puellæ gremio proderetur, incertus pater cui se filia polluendam dediſſet, ignoratum stupri autorem ex ipsa maxime cognoscere perseuerauit. Qua se neminem præter pediſſequam lecti participem habuisse pertinacius affirmante, rem regi cognoscendam mandauit. Ille insontem famulam inusitata criminatione notari non sustinens, proprij sceleris professione alienæ innocentiæ fidem facere non erubuit. Qua humanitate, & muliebris calumniæ partes repulit, & ne ridiculus rumor apud improbas aures sereretur effecit. Prætereà gignendum ex ea filium sui sanguinis esse, quodque eum Vbbonem nuncupari vellet, adiecit. Qui quum aliquatenus excreuisset, teneræ ætatis ingenio maturæ discretionis habitum apprehendit. Matris enim dilectionem quod excellenti se toro miscuisset, amplexus, venerationem patris quod ad obscuriorẽ iusto copulam descendisset, abiecit. Post hæc Regnerus expeditionem in Hellesponticos parans, vocataq; Danorum concione saluberrimas se populo leges laturum promittens, vt vnusquisque paterfamilias sicut ante quem minimi inter liberos duxerat militaturum exhiberet, ita tunc valentioris operæ filium, aut probatioris fidei seruũ armaret, edixit. Quo facto, omnibus quos ex Thora procreauerat filijs præter Vbbonem assumptis, Hellespontũ eiusq; regem Dian varijs cõtusum bellis lacessendo perdomuit. Ad vltimum eundem creberrimis discrimini-

bus implicatum extinxit, cuius filij Dian & Daxon olim Rutheni regis filias maritali sorte complexi, impetratis à socero copijs, ardentissimo spiritu paternæ vindictæ negocium rapuerunt. Quorum Regnerus immensum animaduertens exercitum, diffidentia copiarum habita, equos æneos ductilibus rotulis superpositos, ac versatilibus curriculis circunductos, in confertissimos hostes maxima vi exagitari præcepit. Quæ res tantum ad laxandam aduersariorum aciem valuit, vt vincendi spes magis in machinamento, quàm milite reposita videretur. Cuius intolerabilis moles quicquid impulit, obruit. Altero ergo ducum interfecto, altero fuga sublapso, vniuersus Hellesponticorum cessit exercitus. Scithæ quoq; Daxon arctissimo materni sanguinis vinculo contingentes, eodem obtriti discrimine referuntur. Quorum prouincia Witserco attributa, Ruthenorum rex parum viribus fidens, formidolosa Regneri arma fuga præcurrere maturauit. At Regnerus cæteris prompta sibi deditione substratis, quum quinquennem propemodum piraticam expleuisset, Biarmos nuper deuictos inualida subiectionis fide palàm imperium detrectantes inuenit. Qui quum aduentum eius compertum haberent, carminibus aggressi cœlum, solicitatas nubes ad summam vsque nymborum violentiam impulerunt. Quæ res Danos aliquandiu nauigatione prohibitos alimentorum facultate defecit. Eosdem quoque subito remissa tempestate æstuosissimi feruoris flagrantia torruit. Nec ea quidem pestis concitati frigoris magnitudine tolerabilior extitit. Itaq; anceps geminę intemperantię malum, vicissim affecta corpora immoderata vtriusque status accessione corrupit. Cæterum laxi ventris profluuium complurimos exanimauit. Ita Danorum plerique dubia cœli qualitate cõclusi, passim oborta corporum pestilentia decesserunt. Cumq; se Regnerus adulterina magis quàm vera aëris vi præpeditum animaduerteret, vtcunq; nauigatione producta, in Curorum Semborumq; regionem accessit, qui maiestatem eius perinde atq; honoratissimi victoris amplitudinem impensius venerati sunt. Quo beneficio rex magis aduersus Biarmorum insolentiam efferatus, spretæ maiestatis suæ vindictam inopinato petiuit assultu. Quorum ignoti nominis rex subitanea hostium irruptione perculsus, simulq; conserendæ cum ipsis manus fiducia vacuus, Matullum Finmarchię ducem perfugio petijt. Cuius peritissima sagittariorum opera fretus, Regneri apud Biarmiã hyberna peragentem impune lacerauit exercitum. Quippe Finni lubricorum stipitum celeri allapsu cursum intendere soliti, arbitraria velocitatis potentia rapiuntur, promptissimamq; propinquitatis vel absentiæ facultatem obtinere creduntur. Mox enim vt hostem læserint, eadem celeritate qua subeunt auolant, nec procursu languidius reditum tentant. Itaq; & vehiculorum & corporum agilitate instandi, fugiendiq; expertissimam obtinent potestatem. Credendum est tunc Regnerum fortunæ suæ imbecillitatem admiranter tulisse, quum se olim Romani culminis triumphatorẽ, ab inermi incõditoq; agmine ad vltimũ vsq; discrimen abripi peruideret. Itaq; qui splendidissimum Romanę militię decus, maximiq; ac serenissimi ducis insignes copias excellẽter obtriuerat, agrestis & ignobilis vulgi sordidissimo atq; tenuissimo apparatui cessit: isq; cuius bellicam antea claritatẽ fortissimę gentis vis hebetare nequiuerat, despicabilis populi paruulã manum sustinere non valuit. Quo euenit, vt ea manu qua clarissimam orbis põpã ac grauissimũ militaris roboris instrumentũ fortissimè cõtudit, qua tot peditũ, tot castrorũ, tanti equitatus fragorem apertissime subruit, vilẽ obscuramq; plebeculam furtim & quasi per latrocinium incessere sustineret, illustremq; gloriam suam palàm atq; interdiu partam nocturna fallacia maculare nõ erubesceret, manifestæ fortitudinis loco clãdestinas amplexatus insidias. Quæ res vt opere deformis, ita exitu vtilis fuit. Nec Finnorũ quàm Caroli fuga parcius gratulatus est, plus se virium in nudissima plebe, quàm in instructissimo milite reperisse confessus. Siquidem grauissimam Romanorum armaturam, quàm leuia pannosæ gentis spicula tolerabilius ferre potuit: vbi Biarmorum rege interfecto, Finnorum vero fugato, Regnerus saxis rerum gestarum apices præ se ferentibus, hisdemq; superne locatis, æternum victoriæ suæ monimentum affixit. Interea Vbbo per auũ suum Hesbernum ad sacrilegam regni cupiditatem adductus, abiecta paterni re-

spe-

ſpectus verecundia, capiti ſuo regium arrogauit inſigne. Cuius quum Regnerus inſolentiam ex Suetiæ ducibus Kelthero, Thorkilloq; cognoſceret, Gothiam verſus perpropere nauigationem exercuit. Quos Hesbernus Regneri partibus singulari fide deuinctos expertus, præmio ſolicitatos regis deſertores efficere laborabat. Illi non flexo è ſententia propoſito, ex Biorni arbitrio ſuum conſiſtere retulerunt, cõfeſſi Sueonum neminem quod ab eius placito deſtitiſſet auſurum. Nec ſegniter ipſum Hesbernus benigniſſimis legatorum alloquijs captauit. Qui ſe perfidiæ quàm bonæ fidei propiorem fore denegans, pijſſimi patris amori improbiſſimi fratris gratiam anteferri perquàm nefariũ iudicabat. In ipſos verò legatos perinde ac grauiſſimi criminis hortatores laqueo animaduertit. Sueti quoq; de reliqua legatorum turba pari clade noxiæ exhortationis pœnas ſumpſerũt. Igitur Hesbernus occulto clandeſtinoq; paratui parum proſperum ratus conſtare progreſſum, adcitis palàm copijs manifeſtè procurrit ad bellum. At præfectus Iutię Iuarus neutram ſacrilegæ pugnæ partem pietati propinquam autumans, impium bellum voluntario præcucurrit exilio. Regnerus verò Hesbernum apud ſinum qui latialiter viridis appellatur aggreſſus, occidit, exanimisq; abſciſum caput prora excipi mandans, terribile factioſis ſpectaculum edidit. Vbbo verò profugio vſus, itemq; patrẽ reuocato apud Sialandiam bello adortus, dum laxata ſuorum acie vndique ſolus impetitur, tantum aduerſi agminis fudit, vt hoſtilium cadauerum excremẽto perinde ac munitiõe firmiſſima circumactus facile prouocantiũ inhiberet acceſſum. Ad vltimum frequentioribus hoſtium globis obfuſus, comprehenſusq;, publicis vinculis onerandus abſtrahitur. At ille immenſa vi extricatis reciſisq; catenis, inditos ſibi nexus diſijcere ac lacerare adorſus, nullis obitum modis effugere potuit. At vbi Iuarus tumultum patriæ factioſi ſupplicio diſcuſſum comperit, Daniam petijt, quem Regnerus quòd inter ſæuiſſimas parricidiorum procellas, integerrimum ſe pietatis cultorem geſſerat, ampliſſima veneratione ſuſcepit. Intereà Daxon Withſercum Suetiæ principantem, diu nequicquam ſuperare conatus, tandem factæ pacis commento circumuentũ aggreditur: conuiualiter ab eo exceptus, armatum ſubornauit exercitum, qui ſimulata mercatione in vrbẽ rhedis aduectus, hoſpitis domum nocturno laceraret aſſultu. Cuius latrocinij manum tãta Withſercus ſtrage perculit, vt hoſtilium corporum cumulo circunfuſus, niſi ſcalis ſupernè admotis comprehendi nequiret: duodecim quoq; comites eius pariter ab hoſte capti, facta ſibi repetẽdæ patriæ poteſtate, deuotis pro rege capitibus alienum participare periculum, quam ſuũ, abijcere maluerunt. At Daxon egregię Withſerci formæ miſeratione permotus orientem ſpecioſiſſimæ indolis florem conuellere paſſus nõ eſt. Cui non tantũ ſalutem, ſed & filiam dimidio regni ſui dotatam in matrimoniũ obtulit, ac decori incolumitatem, quàm fortitudini pœnã afferre maluit. Ille vero precariæ vitæ vſum animi magnitudine floccipendẽs, impunitatem perinde atq; paruulum aliquod beneficiũ reſpuit, mortis ſententiam ſua ſponte complexus, præfatus Regnerum vindictam filij remiſſius exacturum, ſi eum in eligendo mortis genere proprio vſum arbitrio cõperiſſet. Cuius temeritatem admiratus hoſtis, ea fati ſpecie qua ipſe in ſe animaduertiſſet, conſumendũ eſſe promittit. Quam libertatẽ iuuenis ingentis beneficij loco ſuſcipiens, vinctum ſe cum ſocijs cremari petiuit. Nec ſegniter Daxon auidis fati precibus obſecutus, pro beneficio optatæ mortis ſupplicium erogauit. Quo audito, Regnerus obſtinato ad moriendum luctu, non modo mœrorem induit, verũ & per ſummam animi ægritudinem lectulo corpus affixit, doloremq; conceptum gemitu patefecit. Quem coniunx virilem ſupergreſſa fiduciam, imbecillitatis increpitũ virili adhortatione firmauit, reuocatumq; à mœrore animũ, arma impenſius celebrare perdocuit, affirmans fortiſſimum patrẽ cruentos filij cineres, iuſtius armis quàm lachrymis expiaturũ. Monuit quoq; ne muliebriter lugens, tantum ſibi ignominiæ fletu pareret, quantum antea claritatis virtute contraxerat. At hanc vocem veritus Regnerus, ne priſtinos fortitudinis titulos effœminato mœrore contereret, diſcuſſo mœſtitiæ habitu, depoſitiſq; doloris inſignibus, promptiſſima vindictæ ſpe iacentem reuocauit audaciam. Adeò interdum ab inualidis fortia roborantur ingenia.

Pacis factæ violatio.

Iuaro ergo regni tutelam deferens, Vbbonemq; priſtinæ gratiæ redditū paterna charitate complectens, traiecta in Ruſciam claſſe, cōprehenſum Daxon, catenarumq; pœna coercitum, apud Vtgarthiam cuſtodiæ relegauit. Siquidem tunc Regnerū aduerſus chariſſimi filij interfectorem, clementiſſima animi moderatione vſum eſſe conſtabat, cum ad cōcupitæ vltionis ſatietatē exilium ſontis, quàm necē ſufficere maluit. Qua quidem humanitate magnus Ruthenis iniectus eſt rubor, vlterius aduerſus eum ſæuiendi regem, quem ne iniuriarum quidem acerbitate ad infligendam captiuis mortem impellere potuerūt. Eundem quoq; Regnerus breui in gratiam reductum patriæ reddidit, pollicentem ſe ei annuo nudatum pedes, cum duodecim patribus diſcalceatis ſuppliciter tributa penſurū. Enimuero in captiuum ac ſupplicem leniter animaduertere, quàm cruētam ſecurim diſtringere, ſuperbamq; ceruicem ſedulo mulctare ſeruitio, quàm ſemel elidere ſatius duxit. Inde prouectus filium ſuum Ericum ventoſi pilei cognomen habentem Suetiæ præfert. Vbi Fridleuo atq; Siuardo apud ſe ſtipendia merentibus, Normanos, Scotosq; duobus alijs falſo regis nomen arrogaſſe comperiēs, inprimis Noruagicæ rei vſurpatorem ſuſtulit, eamq; Biorno fruendam tradidit.

DEINDE eo atque Erico adcitis Orcades populatus, ad vltimum Scotorum finibus appulit, eorumq; regem Murial triduano exhauſtum prælio interfecit: verum filij eius Dunuat, atq; Rathbarthus pugna ſpectabiliter edita ab hoſte necati, ſanguine ſuo cruentam patri victoriam pepererunt. Cumq; in Daniam reuerſus coniugem Suanlogam interim morbo cognouiſſet abſumptam, protinus ſolicitudini remedium ſolitudine quæſiuit, ægræq; mentis luctum intra penatium ſuorū clauſtra cohibere paſſus non eſt. Verum hanc mœroris acerbitatem Iuari regno pulſi repentinus detraxit aduentus. Quippe Galli fugato eo in Hellam quendam Hamonis filium falſam regis contulerant poteſtatem. Quo duce Regnerus perinde atque locorum perito vſus, edita claſſe, portum qui Noruicus appellatur acceſſit, vbi expoſitis copijs, Hellam Gallicana virtute ſubnixum, poſt extractam in triduum pugnam fugę amantem effecit, eaq; res creberrimo Anglorum, rariſſimo Danorum ſanguine conſtitit. Cúmque ibidem Regnerus annum victor expleſſet, conſequenter excitis in opem filijs Hyberniam petit, occiſoque eius rege Melbrico, Diſſlinam barbaris opibus refertiſſimam obſedit, oppugnauit, accepit, ibique annuo ſtatiuis habitis, mediterraneum fretum pernauigans ad Helleſponticum penetrauit, interiecta regnorum ſpatia clariſſimis emenſus victorijs, continuæ fœlicitatis progreſſum nuſquam interpellante fortuna. Inter hæc Haraldus quorundam aſtipulatione Danorum Regneri militiam languidiore ſtudio comitantium, recidiuos patriæ tumultus incutiens, regij nominis vſurpator emerſit. Qui Regneri ab Helleſponto redeuntis armis exceptus, cum rebus infeliciter geſtis exhauſta domeſticæ opis præſidia animaduerteret, Lodouicum Maguntiæ conſtitutum auxilia petiturus acceſſit. At Ludouicus ſummo amplificandæ religionis ardore confertus, conditionem Barbaro intulit, opem ſpondendo, ſi Chriſti cultum exequi conſenſiſſet. Nullam enim poſſe aiebat animorum interuenire concordiam, diſſona ſacra complexis. Quamobrem petitorem opis primum religionis contubernio opus habere, neque magnorum operum conſortes exiſtere poſſe, quos ſupernæ venerationis formula diſparaſſet. Qua ſententia & ſalutem hoſpiti, & ſibi pietatis præconium peperit. Haraldum enim ſolenni lauacro vſum conſequenter Saxonicis roborauit auxilijs. Quibus is fretus, in territorio Sleſuicenſi dicandam deo ædem ſolicita moliebatur impenſa. Hic itaque ſanctiſſimi tenoris ſpecimen à Romanis ritibus mutuatus, profanato perfidorum errore delubra diruit, victimarios proſcripſit, flaminium abrogauit, atque inconditæ patriæ chriſtianiſmi ſacra primus intulit, reiectoque dæmonum cultu, diuinum æmulatus eſt, ſupremo quicquid ad cuſtodiam religionis attinuit, ſcrupuloſiſſima cura ſeruauit. Sed non tam efficaciter, quàm pie rem auſpicatus eſt. Superueniens enim Regnerus, inductaq; per eum ſacra temerans, vera religione proſcripta, priſtino adulterinam loco reſtituit, ac ſuo cerimonias honore donauit. Haraldus vero profugus fortunam ad ſacrilegium tranſtulit. Nam vt præcipuum inchoatæ religionis ſpecimen,

Vera animorum nō poteſt, eſſe concordia, vbi diſpar religio.

ita

ita primum neglectæ ſpectaculum fuit, atq; ex ſplẽdido ſanctitatis autore, infamis eiuſdem deſertor euaſit. Interea Hella ad Hybernos collatus, omnes qui ſe Regnero propiore fide deuinxerant, ferro ſupplicijſq; mulctauit. Quem Regnerus claſſe adortus, iuſta omnipotentis animaduerſione manifeſtas detractæ religionis pœnas pependit. Comprehenſus enim atque in carcerem coniectus, noxios artus colubris conſumendos aduertit, atque ex viſcerum ſuorum fibris triſtem viperis alimoniam præbuit. Cuius adeſo iocinore, cum cor ipſum funeſti carnificis loco coluber obſideret, omnem operum ſuorum curſum animoſa voce recenſuit, ſuperiori rerum contextui, hanc adijciẽs clauſulam, ſi ſuculæ verris ſupplicium ſciſſent, haud dubio irruptis haris afflictum abſoluere properent. Quo dicto Hella adhuc nonnullos filiorum eius viuere interpretatus, quieſcere carnifices, amoueriq; viperas iubet. Cúmque ſatellites peragendæ iuſſionis gratia accurriſſent, Regnerus imperium regis funere ſuo præceſſerat. Quem quid aliud quàm duas inter ſe fortunas partitas eſſe dicemus, alteram quæ ei incolumem claſſem, propenſum imperium, præcipuas piraticæ vires adijceret, alteram quæ claritatis ruinam, commilitonum necem, acerbiſſimum vitæ exitum irrogaret, cum ipſum carnifex venenatis belluis circunfuſum, eo corde, quod aduerſus omne diſcrimen immobile geſſerat, aſpides exatiantem videret. Itaque ex ſpecioſiſſimo victore ad miſerabilem captiui ſortem deductus, ne quis nimium fortunæ credat, edocuit. Quem caſum Luarus dum fortè ludos inſpectaret, accepit. Sed nihilominus vultum in eodem habitu continens, ſolitóque nulla ex parte infractior, non ſolum nunciatam parentis cladem doloris diſſimulatione ſuppreſſit, ſed ne ſtrepitum quidem exoriri paſſus, attonitum rumore populum theatro diſcedere vetuit. Itaque neque oris hilaritatem depoſuit, ne ceſſato ludo ſcænam interrumperet, neq; oculos à publico plauſu ad priuatam mœſtitiam flexit, ne ex ſummo tripudio repente in vltimum prolapſus mœrorem potius calamitoſi filij, quàm iocabundi ducis partes egiſſe videretur. Syuardus vero eodem nuncio accepto, propior paternæ charitati, quàm priuatæ paſſioni, haſtile quòd fortè in manu habebat altius pedi ſtupefactus immerſit, triſtitiæ ſalebra corpoream negligente moleſtiam: vt enim animi vulnus patientius ferre potuiſſet, corporis partem grauius afficere ſtuduit. Quo facto ſimul fortitudinem mœrorémque detexit, fortunam ſuam inter calamitoſum filium, conſtantemque partitus. At Biornus inter teſſerarum iactus delato ad ſe paternæ mortis nuncio, tanta vi correptum manu calculum preſſit, vt tabulæ quoque cruorem digitis extortum infunderet, vbi nimirum fortunæ iactum ipſa quam verſabat alea leuiorem eſſe didicit. Quod audiens Hella, hunc trium parentis obitum fortiori animi robore ſuſtinuiſſe iudicauit, qui nihil pietatis eius funeri præſtitiſſet, ideoq; ſibi Iuari ſuſpectiſſimam haberi virtutem. Iuarus verò petitis Angliæ partibus, quum claſſem ſuam conſerendi cum hoſte belli impotentem animaduerteret, aſtum audaciæ præferens, Hellam acumine tentat, ſpatium arui quantum equino tergore complecti potuiſſet, in ſequeſtræ pacis pignus expoſtulans. Et quidem quod petijt impetrauit. Rex enim paruo preces ſtare autumans, à tanto hoſte exiguum magnæ rei loco expeti gratulatus eſt, ratus perquam breue tergus, paululum ruris occupaturum. At Iuarus corio in exiles admodum corrigias ſciſſum extracto, habilem exædificandæ vrbi agrum implicuit. Igitur Hella prodigalitatis pœnitentia ſuccedente, magnitudinem corij ſera ęſtimatione collegit, diuiſam cuticulam rectius quàm incolumem menſus. Quam enim exiguum ſoli cincturam credidit, ampliſſima iugera latius occupantem aſpexit. Iuarus vero conditæ vrbi abunde ſuffecturos obſidioni commeatus inuexit, ab inedia perinde atq; hoſte defenſam haberi cupiens. Interea Syuardus ac Biornus cum quadringentarum nauiũ claſſe ſuperuenientes, bellum regi manifeſta prouocatione ſignificant. Idque ſtatuto tempore executi, comprehenſi ipſius dorſum plaga aquilã figurante affici iubent, ſæuiſſimum hoſtem atrociſſimi alitis ſigno profligare gaudentes. Nec vulnus impreſſiſſe contenti, laceratam ſaliuere carnem. Taliter perempto Hella, Biornus ac Siuardus regna ſua reduces expetiuere. Iuarus Angliam biennio tenuit. Interea Dani perſeuerantiſſima bellum factione complexi, Syuardo cuidam atque Erico

Calamitoſus vitæ finis.

Iuari aſtus in petendo aruo.

regia gente creatis publicam detulere tyrannidem. Quos Regneri filij communiter mille septingẽtarum nauium classe apud Slesuicũ adorti, semestri deleuere pugna. Colles indicio manẽt, nec minus is apud quẽ belligeratũ est sinus Syuardi fugnere inclaruit. Iamq; præter Regneri filios regius propemodũ interierat sanguis. Exinde Biorno atq; Erico domum reuersis, Iuarus atq; Syuardus quo tenaciores rebellibus frenos imponerent, in Dania resederunt, Agnerum Angliæ præferentes, qui repulsa prouocatus Anglorum, opitulãte Siuardo contemptricem sui prouinciam incolis vacuefaciendo tenacia situ iugera cultore carere, quàm insolentẽ alere maluit, pinguissimaq; insulę rura, teterrima vastitate perfundens, desertæ quàm superbæ regioni imperitare satius autumauit. Post hæc Ericum apud Suetiã Ostẽ ni cuiusdam malignitate sublatum vlcisci cupiens, dum alienę vindictę arctius incumbit, suum hosti sanguinem erogauit: dumq; cæsi fratris pœnas auidius expetit, proprium fraternæ charitati funus impendit.

Itaqve Syuardus summis totius Danicæ concionis suffragijs paternũ apprehendit imperiũ. Hic autem post editas late strages domestica claritate contentus, toga quàm armis illustris haberi maluit, omissoq; castrorum cultu, ex acerrimo tyranno exactissimũ pacis custodem agere cepit, tantũ decoris in ocio atq; vacatiõe constituens, quantũ antè in victoriarũ frequentia repositũ autumabat. Adeò autẽ studiorum eius mutationẽ fortuna fauorabiliter prosecuta est, vt sicut ipse nemi- 20
nem, ita nec ipsum quisquã hostiliter laceraret. Idem fato functus, Ericum admodum infantulũ naturæ magis quàm regni aut pacis hæredem habuit. Quippe Ericus Haraldi frater tenerrimã eius ætatulam spernẽs, irrupta cum seditiosis patria, regium occupauit insigne, nec erubuit lacessita legitimi ducis infantia, adulterinã arripere potestatẽ, hoc se regno indigniorẽ comprobans, quod imbellem eo spoliare sustinuit. Igitur illum sceptro, seipsum virtutibus exuit, & dum armis incunabula appetit, omni pectus virilitate nudauit. Neque enim vbi cupiditas ambitioq; flagrauit, consanguinea charitas sedem habuit. Sed hanc inhumanitatẽ supernę vl

Vbi cupiditas ambitioq; flagrat, consanguinea charitas locum non habet.

tionis ira pensauit. Inter ipsum nanq; ac Guthormum Haraldi filium subitò tanta clade confectum est bellum, vt eorum vtroque cum innumeris alijs interempto, regia Danorum stirps atrocissimis exhausta cædibus, ad vnicum superioris Syuar 30
di filium redigeretur.

Hic consanguineorũ iactura regnandi fortunã adeptus, vtpote propinquorum nece quàm incolumitate felicior, relictis aliorum exemplis per auiti negocij vestigia decurrit. Repente nanq; studiosissimus piratici muneris executor apparuit. Et vtinam in abolendo christianismi cultum, temerarium Regneriani spiritus non egisset hæredem. Siquidem religiosissimum quenque aut supplicijs insequi, aut rebus exuere, exilióque mulctare perseuerauit. Sed frustra principium causer, cuius exitum probem. Laudabilior enim est vita, cuius initium turpe, speciosus finis abripit, quàm cuius probabile exordium in culpas flagitiaque decurrit. Siqui- 40
dem Ericus ad salutares Ansgarij monitus sacrilegæ mentis errore depositio, quicquid per eiusdem insolentiam commiserat, expiauit, tantumq; in excolenda religione se gessit, quantum egerat in aspernanda. Itaque non solum sanioris disciplinæ haustum docili animo traxit, verumetiam primæuas maculas finali puritate pertersit. Hic filium Kanutum ex Guthormi filia eademq; Haraldi nepte progenitum superstitem moriens dereliquit.

Hvivs infantia manente regni pupilliq; tutor exposcitur, verum quoniam huiusce muneris aduocationem præstare pleriscq; vel inuidiosum, vel arduum videbatur, sortitione virũ legi placuit. Prudentissimi nanq; Danorum in tam excellẽti negocio arbitrario delectu vti pertimescentes, plus alienæ fortunæ quàm suis sententijs permiserunt, electionis euentum fortuitò magis quàm solido consilio dele- 50
gantes. Quo euenit vt Ennignupus quidam amplissimæ atque integerrimæ virtutis, tam onerosæ functioni humeros suos submittere cogeretur, decretamq; sorte administrationem ingressus, non minus vniuersorum res, quàm singularia regis incunabula tueretur. Vnde & ei quidam parum annalium periti medium in fastis locum tribuunt. Cúmque Kanutus decursis adolescentiæ spatijs ab annis virilita-

litatem traxisset, amotis qui sibi beneficium educationis impenderant, ex penè desperato adolescente autor insperatę probitatis euasit. hoc vno deflẽdus, quod absq; Christianæ religionis insignibus è vita ad mortem transitum habuit.

SED mox ad filium eius Frothonem rerum summa concessit, cuius fortuna armis belloq; alita, eò felicitatis excessit, vt prouincias quæ à Danis quondam defecerant, pristino adactas iugo, vetustis alligaret obsequijs. Qui etiã seipsum apud Angliam iampridẽ christianismi peritam solennibus aquis humectandũ exhibuit. Cæterum priuatam salutẽ suam in publicã exuberare cupiens, ab Agapito qui tunc ciuitatis Romanæ sacris præerat, Daniã diuinitus erudiri petiuit. Quod antequã votis exequeretur absumptus est. Nam fatis suis Romànæ legationis præcucurrit aduentum, animo certe quàm effectu superior, tãtumq; supernæ compensationis ob pietatis propositum assecutus, quantum cæteris præstatur ex opere.

HVIVS filius Gormo, cui quod ex Anglia oriundus extitit, Anglici cognomen incessit, patre extincto, promptiore fortuna quàm diuturniore apud insulam regiam adeptus est arcem. Dum enim Daniam disponendæ eius gratia petisset, ex Anglia, lõgam paruuli secessus iacturam expertus est. Quippe Angli libertatis suæ fortunam in eius absentia reponentes, publicam à Danis defectionem moliendo, præcipitem rebellandi fiduciam induerunt. Sed quo eum Anglia inuidentius spreuit, hoc Dania fidentius coluit. Itaque dum ad duarum prouinciarum vtramque auidas imperij manus porrexit, altera potitus, alterius irreuocabiliter dominationem amisit, nihil vnquam fortiter pro ipsius recuperatione conatus. Adeò difficile prægrandia continentur imperia.

POST quem filius eius Haraldus Daniæ regnator incessit, ob hoc quidẽ obscurioris apud posteros memoriæ, egregiorumq; operum monimentis vacuus, quod regiarum opum seruator magis quàm propagator extiterit.

POST hũc Gormo arcem obtinuit, semper infensi erga religionem animi, christicolarum perinde ac teterrimorum hominum respectum extinguere cupiens. Omnes huiusce normæ participes vario iniuriarũ genere fatigatos, quibus potuit calumnijs insequi nõ quieuit. Quinetiam vt priscum delubris cultum restitueret, templum in fundo Slesuicensi à religiosis conditum tanquam sacrilegum aliquod impietatis domicilium, ab imis fundamentorum partibus demolitus est, quos supplicijs non attigerat sacræ cellę strage puniens. Hic tametsi proceritatis habitu eximius putaretur, parum respondentem corpori animum gessit.

ITA enim mores suos intra regnandi satietatem continuit, vt seruata potius quàm aucta maiestate gauderet, satiusq; tueri proprium, quàm alienum incessere duceret, magis de acquisitorum custodia, quàm acquirendorum incremento solicitus. Hic à maioribus coniugalia sacra celebrare permonitus, Anglorum regis Hedelradi filiam Thiram nuptiali studio insecutus est. Illa vt erat grauitate atque industria ante alias præstans, conditionem pro eo attulit, non ante se ei nupturam præfata, quàm Daniam sub dotis nomine recepisset: eoque pacto intercedente, Gormoni desponsa nocte qua prima genialem torum conscendit, sponsum perseuerantissimis precibus aggressa in triduum se virilis concubitus expertem dimitti petiuit, non ante rebus venereis indulgere constituens, quàm matrimonium creandis liberis efficax futurum aliquo per quietem præsagio didicisset. Itaque simulatione continentiæ, matrimonij experientiam interpellabat cognoscẽdæ posteritatis propositum pudicitię specie tolerando, commerciúmque libidinis distulit, verecundiæ figmento fortunam propagandæ successionis explorans. Alij eam vt temperantia sua tori socium christianismi sacris adsciscceret, maritalis lecti blanditias detrectasse coniectant. Verum quanquam iuuenis amori eius flagrantissimo animo inhæreret, alienę tamen continentię, quàm proprię voluptati obsequi prætulit, speciosiusque nocturnis motibus imperare, quàm lachrymosa amicæ vota repellere arbitratus est, profectas ab industria preces pudicitiæ propinquas autumans: euenitque vt qui mariti partes agere debuerat, pudicitiæ custodem præstaret, ne in capite nuptiarum stuprosæ mentis nota afficeretur, quasi plus libidinis viribus, quàm propriæ indulsisset verecundiæ. Cæterum ne inconcessum virgi-

nis amorem libidinoso complexu præripere videretur, vicina latera non solum alterius complexibus exuit, sed etiam destricto mucrone secreuit, atque ex cubicu-lari lecto suum ac sponsæ diuiduum contubernium reddidit: sed voluptatem quā gratuita humanitate distulit, mox læta somnij specie delibauit. Quippe profuso in somnum animo, existimauit duos alites coniugis suæ genitali parte prolapsos, sed alterum altero grandiorem corpora superne librantes præpeti cœlum volatu pe-tere, exiguóque tempore interiecto reuersos, suis altrinsecus manibus insedisse. Secundo quoque ac tertio paruula quiete recreatos, propassis alis aëri se credidis-se: tandémque minorem ex his ad se pennis cruore oblitis comite vacuum reme-asse. Ea opinione attonitus, vt erat somno pressus indicem stuporis quæstum ædi-dit, ac totos penates tumultuoso clamore compleuit. Quàm speculationem eo percontantibus famulis explicante, Thira fœlicem se prole futuram autumans, omisso differendarum nuptiarum proposito, castimoniam quam cupide precata fuerat, auidius remisit, cœlibatumq; ad Venerem transferens, sponso gratam sui-met potiendæ copiam tribuit, continentis animi virtutem admissi concubitus sa-tietate pensando, præfata minime se ei nupturam fuisse, nisi ex his adumbratæ qui-etis imaginibus certiorem fœcunditatis suæ fortunam hausisset. Itaque vt vafro ita inusitato consilio pudicitiæ simulatio in futuræ prolis agnitionē transiuit: nec sors opinionem eius frustrata est, breui enim Haraldi atque Kanuti fœlix prole mater apparuit, qui cum virilem attigissent ætatem, exerta classe effrenatam Sclauorum insolentiam domuerūt, nec Angliam quidem immunem ab hoc vexationis gene re reliquerunt: quorum 1 Edebrandus ingenijs delectatus, illatam à nepotibus vim voluptatis loco habuit, amplissimi beneficij nomine teterrimam amplexatus iniu-riam. Multo enim amplius virtutis in eorum fortitudine, quam pietate reposuit. Ideoq; ab infestis lacessi, quàm ab ignauis coli spectosius duxit, tāquam ex ipso for-tissimo indolis habitu futurum virilitatis eorum specimen peruideret. Non enim ambigere potuit, quin extera quandoq; impetituri essent, qui materna tam auda-cter exigerent. Adeo autem iniurias officij s antepostuit, vt præterita filia Angliam ijsdem testamento legaret, auitū nomen paterno præferre non dubitans. Nec im-prudenter, quoniam aliquanto spectosius mares, quàm fœminas regni vsum dece re nouerat, imbellis filiæ ac fortissimorum nepotum conditionē separādam existi-mans. Quo euenit vt Thira filios suos paternorum bonorū hæredes non inuiden-ter exhæres ipsa conspiceret: prælationem enim eorum honorabilem sibi magis quàm contumeliosam fore arbitrata est. Iidem crebris piraticę quęstibus locuple tati, summa cum fiducia spes suas ad inijciendum manus Hybernię promouerunt. Cuius rex, Duslina quæ prouinciæ caput habebatur obsessa, cum paucis admodū sagittariæ artis peritis coniunctum vrbi nemus ingressus, Kanutū magna cum mi-litum frequētia nocturnis ludorum spectaculis interpositum insidioso fraudis cir-cuitu vulnifica procul sagitta petiuit, quæ in aduersum regis corpus incidens, mor tificum ei vulnus intorsit. Veritus autem Kanutus ne periculum suum hostes effu-so gaudio insequerentur, atq; ob hoc cladis suæ fortunam dissimulanter haberi cu piens, voce supremos anhelitus reddente, ludos absq; tumultuatiōe peragi iubet. Qua arte prius Danos Hyberniæ potitores, quàm suum Hybernis exitum notum reddidit. Quis autem extinctum non plangeret, cuius disciplina militum suorum victoriæ consilio quàm spiritu diuturniore suffecit? Salus nanq; Danorum in vlti-mas angustias deducta, ac pene desperationis periculis implicata, quia morientis ducis iussui paruit, breui quos timuit triumphauit. Quo tempore Gormo ad vlti-mum ætatis suę finem prouectus, ingentem annorum seriem luminibus captus ex egerat, senectam ad vltimos humanæ conditionis terminos prorogando, magis de filiorum vita & incrementis, quàm reliquo spiritu suo solicitus. Tanta autem maioris filij charitate tenebatur, vt à se occidendum iuraret, qui prior ipsius exi-tum nunciasset. Cumq; fortè Thira haud dubium de eiusdem exitio nuncium ac-cepisset, nemine id Gormoni palàm insinuare audente, præsidium calliditatis am-plexa, casum quē ore prodere timuit, opere explicauit. Maritum nanq; regio cultu exutū, tetriore circūdedit, aliaq; doloris insignia p quę causam luctus aperiret, ad-

mouit,

1 fortè Hedelradus, vt vsqui am suprà.

mouit, quod antiqui talibus inter exequiarum actiones vti consueuerant, acerbitatem mœroris habitus asperitate testantes. Tunc Gormo: En mihi, inquit, Kanuti fatum publicas? Et Thira, idipsum (ait) tuo potius quàm nostro declaratur augurio. Quo dicto marito mortem, sibi viduitatis causam præbuit, nec antè filiũ quàm coniugem planxit. Itaq; dum viro nati fortunam exprimit, alterum alterius funeri sociauit, amborumq; exequias paribus prosecuta lachrymis, huic coniugales, maternos illi planctus impendit, quanquam tunc temporis magis solatijs erigenda, q̃ cladibus obtergenda fuisset.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI NONI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANORVM LIBER DECIMVS.

DEFVNCTO Gormone Haraldus hæreditariæ dominationis fortunam conspicuæ fortitudinis operibus prosequi cupiens, traiecta in orientem piratica, circumpositum lacessiuit oceanum. Sed absumpto interim Hedelrado, quanquam sedulos quæstuosi negocij fructus decerperet, aliquanto plus tamen in auito fato amaritudinis, quàm ex tyrannidẽ voluptatis accepit. Dum enim eum fortuna cumulatius barbaris ditauit opibus, Anglicis exuit, externaq; donatum præda, domestica atque hæreditaria spoliauit. Siquidem Hedelradi filius Adelstenus patris testamento perterritus, indignationem suam literis quibus Haraldus hæres scribebatur opposuit, rescissoque parentis arbitrio, proprium æmulatus est. Igitur Noruagiæ rex obtusi cordis homini amplissimæ rei summam cessisse ingemens, potiendæ eius spe armata insulam classe petijt. Cuius cum se Adelstenus viribus minorem animaduerteret, conficiendæ pugnæ fiducia vacuus, bellum ad obsequium transtulit, beneuolentiam hostis quem armis propulsare nequiuerat, officijs capessere cupiens. Non solũ enim regem amicissimo vultu, benignissimoq; excepit alloquio, sed etiam quo salubrius patriam armis hostilibus liberaret, filio eius Haquino admodũ tenero educationis impensam pollicitus, regnum se pariter testamento legaturum promittit. Quam rem maxime vt Noruagicis armis aduersum Haraldum vteretur, oblatu dignam putauit. Eius nanq; ferociam pertimescens, orbitatem suam gratuito hærede solari, quàm violentum expectare satius existimauit. Rapuit hostis conditionem præceps, positamq; pactionem amplexus, tantum de offerentis humanitate præsumpsit, vt filium proprio spiritu chariorem inexploratæ eius fidei credere non dubitaret. Post hæc Haraldus reductis ab oriente copijs, quanquam ad impetendum auunculi factum præcipuis iuris viribus inuitari poterat, nihilominus impunitam eius ambitionem dissimulatæ indignationis patientia præterire sustinuit, iustisq; operibus pie carere, quàm crudeliter potiri maluit. Post paululum verò temporis Hasquinus audito paterni fati nuncio, cum proficiscendi gratia velis nauigationem instrueret, magno superuenientis Adelsteni impetu reuocatus, paulisper omisso ventorum vsu propius littori nauigium egit. A quo post cætera morum documenta, quibus quotidie informabatur, noui quid accepturum se ratus, ne inter epulas obscuro se vultu gereret, sed magis in circũspiciendis amicis hilari oculorum habitu vteretur audiuit. Quem enim Adelstenus compluribus alijs honestatis præceptis imbuerat, etiam aptos conuictui mores ignorare passus non est. At cui parentis mors Noruagiam cessit, paulo post præceptoris occasus Angliam patefecit. Veritus ergo Haraldus, ne iniuriarum tolerantia, quæ hactenus consanguineæ charitatis respectui dabatur, deinceps in ignauiæ verteretur opprobrium, & quod mo-

derationis esset, vitio applicaretur, Noruagicæ rei turbatione primam Haquino iacturam inferendam constituit, domesticis eius viribus debellatis, externas facilius obterendas existimans. Cum itaque res barbaras regia exeeutione tractasset, in Daniam reuersus occursu Haraldi Gunnildę filij aduersus eundem Haquinum auxilia petentis excipitur, pollicentisque se tributa daturum, si Danicę opis beneficio efficacia partium suarum adiumenta sumpsisset. Enimuero inter acerbissimos rerum casus clemẽtissimam regis humanitatem expertus est. Heuindo enim atque Karlholftho pugnæ adiutoribus receptis, sexaginta nauium classe donatus petiti præsidij compos abscessit, euenitq; vt plus spei in auxilio Danorũ quàm metus in sua aduersitate reponeret. Igitur nauigationem remensus, aduersus hostem naualis pugnæ copia non suppetẽte, terrestrem exercuit, in qua Heuindus Haquinum, vt in primos præliantiũ globos progrederetur hortatus, ipsum clarius sui indicium exhibentem, inusitatæ magnitudinis securi petijt, attigissetq; ni satellitũ quidam adactum regi ferrum proprij corporis periculo fefellisset. In quem Heuindus tanta vi destrictę bipennis aciem egit, vt ferrum medio corpori elapsum nullum in ter artus obstaculum reperiret. Quod cum terræ altius illapsum, genibus nixus abstrahere conaretur, ab Haquino interfecti militis corpus cõscendente perfoditur. Incertum ergo vter alteri plus pietatis impenderit, ille enim salutis suæ impendio regis fatum repulit, iste seruatoris sui cladem speciosissima vltione pensauit, cuius beneficio fatum effugerat, exitium vltus. Et quid huius militis opera clarius, qui alienæ incolumitati quàm suæ propior, voluntarium pro duce spiritum erogauit, priuatęq; mortis obiectu, ne publica sociorũ salus periclitaretur effecit? Interea Thoraluus quem Haquinus ad exturbanda hostiũ terga in insidijs collocauerat, superueniens, edito in aciem impetu Karlhoftho, mortem, Danis fugam inflixit. Enimuero cæterorum fortunam vnius inclinauit occasus. Haquinus autem palãtes pertinacius vrgere veritus, effusas sociorũ habenas salutari consilio reuocauit, ne qua improuidi militis incuria effici posset, vt in victricem victæ partis fortuna recideret. Igitur æquales ambarum partium strages parem vtrobiq; belli succesſum effecerat. Nam etsi altera victoriæ propior videbatur, cladibus victam æquabat. Repetente verò classem Haquino incredibile memoratu mõstrum incidit, iaculum nanq; vago ancipitiq; discursu supernè inter auras oberrare conspectum, non minore intuentes metu, quàm admiratione compleuit. Siquidem in diuersas partes dubijs reflexibus agitatum, figendi vulneris locum exploratius prospicere videbatur. Quod miraculum cunctis immani stupore prosequentibus, incertisq; quidnam res tam inusitata portenderet, subito casus in solius Haquini caput suspectũ omnibus periculum transtulit. Arbitrantur quidam matrem Haraldi Gunnildam procurato maleficijs spiculo victi filij pœnas à victore sumpsisse. Haraldus itaq; insperato hostis exitio regnandi fortunam adeptus, triẽnio promissum Danis bonæ fidei vectigal exhibuit. Ea tempestate Sturbiornus Suetici regis Biornonis filius à patrui Olaui filio Erico regno spoliatus, petendi auxilij gratia ad Haraldum, cui Thyra mater extitit, cum sorore Gyritha supplex migrauit, tantoq; apud eum paratiorem amicitiæ locum reperit, quanto illi eiusdem sororis suæ matrimonium liberalius permisit. Post hæc Haraldus armis Sclauia potitus, apud Iulinũ nobilissimũ illius prouinciæ oppidum Sturbiorno duce competentia militum præsidia collocauit. Quorũ piratica egregio animorum robore celebrata, ac finitimis paulatim trophæis alita, eò demum ferocitatis excessit, vt continuis nautarum cladibus septentrionalem repleret oceanum. Ea res plus Danico imperio quàm vllum terrenæ militiæ negocium attulit, inter quos fuere Bo, Vlff, Karlshefni, Siualdus, alijq; complures, quorũ prolixam enunciationem tædio quàm voluptati propinquiorẽ stylo prosequi supersedeo. Inter hæc Sturbiornus vltionis aculeo lacessente, acceptam iniuriã pensare cupiens, Haraldo in opem accito, memorẽ damnorum iram aduersus inuisam Erici dominationẽ destrinxit. Cuius rei gratia Haraldus Hallandiam proficiscens, Theutonicæ irruptionis nuncium, quę à Cæsare Othone gerebatur, accepit. Igitur alienæ rei impetitionem quàm propriæ defensionem langui diore studio prosecutus, externæ pugnæ proposito domesticæ curam antepoſuit, refle-

Mirum iaculi in aere oberrãtis spectaculũ.

reflexoq; in Iutiam cursu, ad opem oppressis ferendam præcipiti celeritate conten
dit. Sed eo superueniente, Cæsar Iutiam vtpote regio ductu vacuam nullo resistẽ
te permensus cum Lymici sinus obiectu tunc temporis Wendalam aquis claudẽ-
tis, vlterius excurrere vetaretur, coniecta in vndas lancea, non solum iter ad Eydo
ram reflexit, verum & similimum fugæ reditum habuit. Siquidem hastam cuius
vsum habebat, maritimos in fluctus relinquendi monumenti gratia iaculatus, suũ
freto vocabulum indidit. Verum vt impetu grauis, ita exitu vanus apparuit. Ha-
raldus quippe ardentissimo cursu abscedentes hostium reliquias insequutus, Ep-
ponem extremi agminis ducem cum ijs quos reperit, trucidauit. Interea Sturbi-
ornus contumelioſa militum adhortatione cõpulsus, fortunam suam temere soci-
orum fortitudini credidit, inq; proprium exitium ruens, regiarum partium redi-
tum stolida præcessit audacia. Bellum enim pręponere ausus, rebus Sueonum per
incuriam lacessitis occiditur. Et sanè hostilibus gladijs vltro iugulum subijcit, quis-
quis in vrgenti aliquo discrimine magis alienæ temeritati, quàm propriæ obsequi-
tur prouidentię. Post hæc Thyra quo patriam à clandestinis exterorum irruptioni
bus tutiorem præstaret, quantum a Slesuico ad occidentalem oceanum patet, val-
lo fossaq; proscindere aggressa est, superq; iacto aggere tenacissimi operis terrenũ
molita est munimentum. Cui postmodum Waldemari regis Absalonisq; Danicæ
gentis antistitis, consimilis erga patriam pietas murum coctilateris superiecit, vti
potius veteris valli occiduos lapsus solidior nouæ molis structura reficeret, quàm
debilem eius situm crebrior in posterum ruina submitteret. Siquidem priori mu-
nitione fundamenti loco vsi, imperfectũ fœmineæ virtutis propositum virili prudẽ
tia compleuerunt, tanto excellentius opus edentes, quanto se muliebri nouerant
industria clariores. Eadem quoq; cum sub specie fœminæ virilem animum gere-
ret, Scaniã Suetica dominatione cõpressam præstandi tributi onere liberauit. Itaq;
hinc muro, inde armis hostem repellens, diuersis patriæ finibus par tutelæ benefi-
cium peperit. Interea defuncto apud Noruagiã Haraldo, filius eius Haquinus pa-
triam hæreditariæ pensionis ignominia exuere cupiens, cum Haraldũ auditis quæ
Cæsar apud Iutiam gesserat, Germanicis diutile bellis implicãdum speraret, palàm
detrectãdæ stipis audaciam præbuit, plus spei ac fiduciæ ex Saxonicis armis, q̃ suis
viribus capiens. Verum Haraldus rebus cum imperatore compositis, consortium
catholicæ religionis amplexus, diuinam humanamq; pacem regno suo cõciliauit.
Sicq; Haquinum conceptæ inaniter spei irritum reddens, seipsum errore, patriam
prælijs liberauit. Comperta vero Haquini defectione, tanto in Noruagicæ iuuen-
tutis contumaciã asperius animaduertendũ putauit, quanto eam aduersum se cer-
uicem insolentius extulisse cognouit. Missa igitur aduersus hanc Iulinę piraticę ma
nu, Bo, atq; Siualdo ducibus contemptus sui vltionẽ mandauit. Quorũ Haquinus
perspectis copijs, cum intolerabile rebus suis onus imminere cognosceret, excipi
endi eius materia non suppetente, tanquam humanæ opis diffidentia, diuinam am
plexus, superos inusitato piaculo propitiandos curauit. Duos siquidem præstan-
tissimæ indolis filios hostiarum more aris admotos, potiendæ victoriæ causa nefa-
ria litatione mactauit, nec sanguinis sui interitu regnum emere dubitauit, patrisq;
nomine quàm patria carere maluit. Sed quid hoc rege stultius, qui geminam cha-
rissimorum pignorum stragem, incertis vnius pugnæ euentibus impendendo, for
tunam belli parricidio petere, & orbitatem suam muneris loco dijs bellorum fau-
toribus erogare sustinuit? Quo euenit vt Dani manũ cum eo nauali certamine cõ
serentes, quocunq; militaris discursus impetũ contulissent, infestã nymbi vim qua
tanquam ab hoste lęderentur exciperent. Cęterũ coorti imbris maleficium, ita no
strorum vertices inusitatis grandinis ictibus conuerberauit, vt eorum oculi veluti
quibusdam nymborũ spiculis lacessiti, prospiciẽdiq; penitus facultate defecti, gra-
uiorem ab elementis pugnam quàm ab hoste sentirent. Accidit ergo vt Noruagiẽ-
ses cœli, quàm suis viribus fœliciores, Danos distrĩctam aduersum se numinũ iram
haud dubie sentientes, antè fuga quàm cædibus implicarent. Inter quos Karlshef-
ni ac Siualdus à victoribus capti, q̃quã dimicando speciosissimã rei militaris operã
edidissent, aliquanto tamen plus laudis in vinculis quàm prælio meruerũt. Haqui

Duo filii, victoriæ per deos consequendæ causa, tanquã bestiæ mactati

nus enim celeberrimam Danicę iuuētutis fortitudinem exploratius noſſe cupiēs. duos qui captiuorum patientiā plenius experientur admouit. Tantum enim viriū animis eorum à natura inſitum eſſe fama fuerat, vt etiam receptis in vultū ictibus, ne leues quidem ſuperciliorum nutus ederent, atq; aduerſus omne percuſſoris iritamentū in eodem animū habitu continerent. Cuius experientię gratia prior Sualdus ingenti ſatellitis fuſte percuſſus, oculos motu vacuos præbuit. Quinetiam eo minus fortunæ ceſſit, quo miſerius virtutis ſuæ experimentum habuit. Nec minus in reliquo mentis robur apparuit. Karlshefni enim alium diſtricta ſecuri capiti ſuo imminentem pulſu pedis humi proſtrauit, applicatūq; ceruici ſuæ ferrū manibus ferire conantis excutiēs, vt erat vinculatus arripuit, quemq; lapſu affecerat, capite ſpoliauit. Enimuero vt ſtrenuo ita impigro niſu periculū audacia pręcucurrit. Neq; enim captiui virtus inter vinculorū ſtridorē vigore ſuo exui potuit, quin & inter grauiſſimas contumelias, eo clariorē fortitudinis ſuæ experientiā præbuit, quo incitatiorem fortunæ aduerſum ſe fremitū ſenſit. Sed nec illi aut mortis propinquitas, aut catenarum cōtumelia, quo minus liberum fortitudinis opus ederet, obſtare valuit. Quorum conſtantiam admirans tyrannus, vt vtroque potius bono milite vteretur, quàm in vtrunque animaduerteret, remiſſionem pœnæ, dummodo partes ſuas fide atque amicitia colerent, pollicetur. Illi vero violentum obſequiū vitę reſpectui erogare indecorum putantes, vtpote alienæ fidei quàm proprię ſaluti propiores, conditione inſolentius ſpreta, turpi pacto prorogandi ſpiritus beneficium expetere noluerunt. Quo viſo Haquinus, ne patientiæ punitor magis quàm probator exiſteret, virtuti eorum incolumitatem tribuendam putauit. Haraldum verò duos ex Gerytha filios ſuſtuliſſe memoriæ proditū eſt. Quorum maior Haquinus excellentiſſimæ indolis habitu, ac fœliciſſimis naturæ incrementis, fratris Suenonis fulgorem ſuppreſſerat. Idem Sembos aggreſſus cum militum animos periculoſi belli reſpectu aliquanto infractiores animaduerteret, quo melius fluctuantibus fugę ſpem demeret, ignē ſubductę claſſi ſubiecit, eoq; neceſſitatis dramento imbecillitatis ignauiam repulit: effecit enim vt nauigiorū facultate defecti, reditū victoria ſtruendū animaduerterent. Itaq; quo æquiore animo ſeipſum claſſe ſpoliauit, eo tutiore hoſti ſpolia detraxit. Miſerta eſt tunc profecto fortuna Danici ducis, a nauigiorū iactura nautarū præſidia mutuantis, cum ſummā claſſis inopiam opē victoriæ cerneret. Igitur vt prudenti, ita periculoſo conſilio ſalutarē miniſtrauit euentum. Potiti enim Sembia Dani, necatis maribus fœminas ſibi nubere coegerunt, reſciſſaq; domeſticorū matrimoniorū fide, externis auidius inhærentes, ſuā cum hoſte fortunā communi nuptiarū vinculo partiti ſunt. Nec immeritò Sembi ſanguinis ſui contextū à Danicæ gētis familia numerant. Adeò enim captiuarum amor victorum animos cepit, vt omiſſa redeundi cupiditate, barbariem pro patria colerent, alienis quàm ſuis coniugijs propiores. Poſt hęc Thyra Danicę maieſtatis caput abſumpta eſt: cuius corpus Haraldus ampliſſimo funere elatum magno cum omnium plangore, non longe à patris tumulo ſepulturæ mandauit. Neq; enim tam acri iactura cuiuſquam penates mœroris expertes eſſe poterant, priuato funere publicam patriæ fortunam expiraſſe credentes. Vbi nunc quoq; ſacrarium perſpicere eſt, duorum coniugum ſocialibus buſtis interſitum. Nec ſilentio implicandum quod ſequitur. Toko quidam aliquandiu regis ſtipendia meritus, officijs quibus commilitonum ſtudia ſuperabat, complures virtutum ſuarum hoſtes effecerat. Hic fortè ſermone inter conuiuas temulentius habito, tam copioſo ſe ſagittandi vſu callere iactabat, vt pomum quantumcunq; exiguum baculo è diſtantia ſuperpoſitum, prima ſpiculi directione feriret. Quæ vox primum obtrectantium auribus excepta, regis etiam auditum attigit. Sed mox principis improbitas, patris fiduciam ad filij periculū tranſtulit, dulciſſimum vitæ eius pignus baculi loco ſtatui imperans. Cui niſi promiſſionis autor primo ſagittæ conatu pomum impoſitum excuſſiſſet, proprio capite inanis iactantiæ pœnas lueret. Vrgebat imperium regis militem maiora promiſſis edere, alienæ obtrectationis inſidijs parum ſobriæ vocis iactum carpentibus. Itaque ex dictis etiam non dictorum effectui obligatur, euenitq; vt conatus ſuos ad id quod minus præſumebat erigeret.

Danorum in rebus aduerſis inuictus animus.

& quod parum professione coluerat, plenius experientia celebraret. Neq; enim solida virtus tametsi detractionum laqueis implicata, iustam animi fiduciam abijcere potuit. Quinetiam eo certius quo difficilius experimentum accepit. Exhibitum itaque Toko adolescentem attentius monuit, vt æquis auribus, capiteq; indeflexo quàm patientissimè strepitum iaculi venientis exciperet, ne leui corporis motu efficacissimæ artis experientiam frustraretur. Præterea demendæ formidinis consilium circunspiciens, vultum eius ne viso telo terreretur auertit. Tribus deinde sagittis pharetra expositis, prima quam neruo inseruit proposito obstaculo incidit. Cui si fortuna caput adolescentis obiecisset, haud dubie in patris periculum nati pœna recideret, spiculiq; error percussorem percussi exitio sociasset. Virtutẽ ergo patris an ingenium filij impensiori admiratione prosequar ambigo, quorum alter artis suæ prudentia parricidium cauit, alter corporis animiq; patientia sibi sospitatem peperit, patri pietatẽ seruauit. Enimuero iuuenile corpus senilem animũ roborauit, tantum fortitudinis in expectando iaculo exhibens, quantum peritię pater in emittendo præbuerat. Itaq; constantiæ suæ beneficio, ne sibi spiritus, patri salus eriperetur effecit. Interrogatus autem à rege Toko, cur plura pharetræ spicula detraxisset, cum fortunam arcus semel duntaxat experimento prosequi debuisset: Vt in te, inquit, primi errorem, reliquorum acumine vindicarem, ne mea fortè innocentia pœnam, tua impunitatem experiretur violentia. Quo tam libero dicto & sibi fortitudinis titulum deberi docuit, & regis imperium pœna dignum ostendit. Sed ijs necessitatum procellis erutum, paulò post par mali tempestas implicuit. Haraldo enim eius se artis qua Finij niuales saltus peragrant, peritiorem iactanti, Toko in consimili genere laudis suam ausus conferre virtutem, apud Collam rupem editæ professionis experimentum præbere compellitur. Sed quod minus exercitio celebrauerat, plenius à virtute mutuatus est. Eminentis enim scopuli cacumine conscenso, exiguo se fusti credidit, lubricasq; plantis tabulas adaptãdo, rapidum in præceps vehiculum egit. Cuius prȩcipiti raptu in præruptos silices actus, nihilominus debitum eius regimen intrepida manu continere suffecit. Neque illi aut periculi magnitudo, aut vllus animi stupor quo minus firmo se corpore contineret, officere potuit. Exterruisset alium conspecta prȩcipitij immensitas, atq; ante ipsum periculi ingressum plena metus hebetudine confecisset. Tandem illiso cautibus vehiculo cui insistebat excussus, fortuito fustium fragmento solidum incolumitatis præsidium reperit, fatoque alioqui propinquius felici naufragio insperatam salutis anchoram apprehendit. Enimuero acrius cliuo impactus, perfracti vehiculi damno tutum cursitandi euentum habuit. Nisi enim impetum eius inuia pertarum robora, vastæque voragines interpellassent, haud dubie procursum subiectum rupi pelagus excepisset. Vbi a nautis exceptus, inuiso regi tristiorem fortuna sua famam reliquit. Vehiculo quoq; fragmenta à nauigantibus inter vndas reperta, falso periculi eius fidem auxerant. Ipse vero suspectam Haraldi præsentiam reputans, quod virtuti suæ præmiorum loco pericula proponi cognosceret, studiorum suorum exercitia ad filij eius Suenois militiam contulit. Post hæc Haraldus totam regni classem exerens, ne paruo apparatu magnę molis pondus aggrederetur, iunctis hominum boúmque copijs inusitatæ magnitudinis saxum Iutico littore repertum quo matris tumulum insigniret, abstrahi iussit. Interea qui cum Suenone classi præerant, Haraldi imperium, tum quia diuino cultui fauorem tribuerat, tum quia inusitatis plebem oneribus adigebat perosi, quendam compositum & subornatum, qui Suenonem an arma aduersus patrem sumere, regnoq; potiri vellet, callide percunctaretur, inducunt. Quo mandato Sueno ad regnum parricidio petendum adductus, percunctanti grates habuit, libenterq; se patriæ dignatione vsurum respondit. Quo accepto, maiores exploratam eius cupiditatem securius amplectentes, occultis animorum commentis audacter euidentiam præbuerunt. Enimuero quod clandestinis motibus texerant apertius executi, continuo regem cum publica acclamatione decernunt. Inter hæc Haraldus circa tractum lapidis occupatus, quendam suorum è classe superuenientem arctius percunctari cœpit, an tantam alias molem mortali manu tentatam conspexerit. Ille se

maioris ponderis ductum humanis viribus effectum recenter oculis subiecisse commemorat. Quod rege crebris percũctationibus prosequente, nuper, inquit, cum Dania tibi subduceretur intereram, ipse vter onerosior tractus extiterit pensses. Ita Haraldus cum alieno iudicio cœpti gloriam quærit, erepti regni nuncium accepit. Pœnituit tunc regem pecudalibus iugis, humanas alligasse ceruices. Nam cum omisso vehendæ molis proposito, tractũ saxi in belli apparatũ conuertere voluisset, grauissimũ militis supercilium expertus est. Exercitus nanq; tam probrosi officij cõtumelia lacessitus, ꝑ quo iugũ tulerat, arma capere recusauit. Neq; enim maiestatis imperio aut prece adduci potuit, vt eius capiti incolumitatẽ quæreret, q̃ omniũ ceruices erubescenda iussione damnasset. Nõnulli tamen popularis sentẽtiæ expertes, inter publicæ consternationis ꝓcellas consueta se erga regẽ charitate gesserũt. Quibus adiutoribus vsus, dũ filij conatus armis elidere nititur, acrius sanguinis sui viribus oppugnatur. Siquidẽ bello à Suenone victus, fugã suã Sialandiæ credidit, contractisq; ex ea viribus, rursum consimilẽ fortunę habitũ nauali excertamine retulit. Iamq; domesticis exuto copijs, externa manus implorãda restabat. Igitur relicta patria Iulinũ Danicis armis refertũ, vtpote fidissimũ militię suę gremium exilio petiuit. Interea Sueno nondũ paterno odio pietatẽ violasse contentus, conciliandę sibi plebis gratia, effusis impietatis habenis delendorũ sacrorũ curam animo pertinacius sumpsit, omniq; diuinitatis cultu patria eiecto victimarios templis, aris libamẽta restituit. Quẽ rursum pater mixtis Danorũ Sclauorũq; copijs apud Helgenes littus aggressus, diẽ prælio tã fugę q̃ victoriæ alienus extraxit, in quo defatigati exercitus, nectẽdæ pacis gratia, posteram lucẽ colloquio tribuunt: cum fortè Haraldus creandæ cõpositionis fiducia licentius euagatus, in angustiores nemoris partes concessit. Vbi cũ exinaniẽdi ventris gratia arbustis insideret, à Tokone iniuriarũ suarum vltionẽ sitiente, sagitta vulnus excepit, idemq; saucius à suis Iulinum relatus, celerẽ vitæ exitum habuit. Corpus eius Roskildiã missum apud sacrarium nuper ab ipso conditum, solennẽ sepulturæ locum recepit. Ingrata enim olim bonorum suorum patria, pijssimi ducis opera sera animaduersione complectens, quod minus vitę eius præstiterat, funeri plenius deferendum putauit: omnibusq; humanitatis neruis exequiarum cultui insistens, cuius spiritum superbe oderat, clementer cineres amplexata est.

Princeps in vita odio habitus, post mortẽ honoratur.

Defvncto Haraldo, Sueno ꝓsperam sibi in diuina sæuiẽdi occasionẽ veniss̃e gauisus, totã religionis stirpẽ ab radice conuulsit, eoq; autore Dani susceptũ diuinitatis cultũ repetita superstitiõe mutarũt, hoc liberius erroris sui recursum cõplexi, quo certius amarissimũ eius reprehensorẽ accidisse cognouerant. Quã temeritatẽ vindex contemptus sui diuinitas, non parua rerũ acerbitate pensauit, autorem eius tristissimis fortunæ viribus insecuta. Ipsum nanq; deserendæ religionis ducẽ perq̃ grauiter affectũ, violentissimis casibus implicare non destitit, lætisq; successibus spoliatũ, amarũ vitæ vsum experiri coëgit. Quippe à Iulini oppidi accolis piratica Daniã incessentibus, captus facta sibi redimẽdi potestate, corpus suũ auro semel, argento bis rependẽdum promisit. Ea summa à Danis ob deserta sacra nimio eum fauore prosequentibus attributa patriæ restitutus, nihilominus oculos densissimis ignorãtiæ tenebris obfusos, cõspicuę lucis radijs admouere cõtempsit. Enimuero plenũ nequitiæ portentũ, paternoq; animo parũ respõdens, ab eximio eius splendore in profundũ caliginis secedere non erubuit. Sed cui propria damno labes extitit, aliena vsui benignitas fuit. Idem secundo cõsimili fortuna affectus, nobiliũ liberis vadibus pro se datis, priorisq; summæ pactione interposita, redẽptionis præsidium impetrauit. Sed cum promissum æs ex proprio fisco soluere nequiret, omnibus qui pro salute eius filios proprio spiritu chariores prædes dederant, nunc publice, nunc priuatim saltus ac nemora venditabat, eorumq; precium protinus captiuitatis suæ autoribus numerauit. Enimuero Scani ac Sialandenses communes syluas publico ære comparauerunt. Apud Iutiã vero nõ nisi familijs propinquitatis serie cohærentibus, emptionis communio fuit. Eo tempore piraticæ vsus nostris creber, Sclauis perrarus extitit, qui ob hoc latius ad eos manare cœpit, quod Iulini oppidi piraticæ studijs aduersum patriã vsi, eo maxime Danis, quod ab ipsorũ ingenijs

genijs traxerãt, nocuerunt. Quem incurſationis morem noſtris annis Waldemari regis, maximiq; pontificis Abſalonis, propenſæ pro ciuibus excubiæ domuerunt: quorum ſtrenuo interuentu tranquillus terris cultus geritur, tuta aquis nauigatio celebratur. At Sueno oppreſſionum ſuarum vindictam ſitiens, maximeq; Iulinum, perinde ac ſceleſtiſſimi contubernij domicilium armis euertere cupiens, ſinum quo Moën inſula à Falſtria ſecernitur, regia claſſe compleuit. Qui cum ſe mox in Sclauorum effuſurus prouinciam videretur, qui Iulini conſtiterant, audacter calidi impetum hoſtis arte præcurrendum duxerunt. Nam cum muniendæ claſſis gratia nocturnas à Danis circuiri vigilias noſſent, delectos remiges ſubornauerunt, qui mane anticipato vigilum more ſimulatoq; ab excubijs reditu, frequentem liburnis portum breui lintre permenſi, cum ad regis vſq; nauigium proceſſiſſent, eſſe gubernator dixit, quod ſecretius eum noſſe admodum oporteret. A quo rex noctu exploratæ rei nuncium afferri ratus, detracto nauigij tegmine, capiteq; exerto, veluti familiaris colloquij gratia accliue vocanti corpus præbuit. Quem vt ille inſidijs opportunum animaduertit, ſubitò ceruicem eius perquam violento amplexu corripuit, liburnæq; detractum apparitorum ope myoparoni ſuo injiciendum curauit. Nec ſegniter fugam nautæ concitatis remorum ictibus expetebant. Ita præſidium ſtrenuæ calliditatis amplexi, quod armis nequibant, inſidijs promouerunt. Igitur qui paulò ante in maieſtatis faſtigio fulſerat, tunc barbarorum miſerabile mancipium contumelioſo ludibrio fortunæ effectus. Neſcio patris maior, an religionis iniuria, prouinciam quam parentis exilio violauerat, miniſtram carceris vltricemq; parricidij ſenſit, patriam quam ſacris ſpoliauerat, etiam opibus exuere neceſſe habuit. Neq; enim ocyus à ſuis iuuari poterat, vtpote quibus primum detrahenda nauigijs tegmina, aptandi foris remi, extollendæq; vndis anchoræ fuerant. Ceſſit igitur expeditio fraudi, nec barbariem abſq; regio ductu petere auſa, ſoluta claſſe domeſticis militem littoribus reddidit. In qua fortunæ violentia Sueno virili defectus auxilio, fœmineum expertus eſt. Nam cum exhauſtis regni opibus ne aurum quidem redemptioni eius ſuppetere videretur, tanta ei matronarum humanitas affuit, vt detractis aurium inſignibus, cæteroq; cultu, certatim digeſtam pondere ſummam explerent, plus commodi in ſalute principis, quam amœnitatis in ornamentorum ſuorum ſpecie reponentes. Adeò in liberando eo vterq; ſexus vnius humani voti curam habuit. Ita matronalis ſtolę publicum culmen priuatis facultatibus emere voluptati magis quam oneri fuit. Neq; enim eius capiti incolumitatem publicæ ſtipis impendio petere dubitatum eſt, qui primus deſerendæ religionis conſtantem ſe geſſiſſet autorem. Enimuero ignara perditionis ſuæ patria, ſummum ſcelus, ampliſſimis beneficijs rependere pietatis loco duxit, parentis ac numinis violatorem indebito gratulationis officio proſecuta, quodq; pœnis expiandum fuerat, obſequijs penſans. Quanto enim Haraldi odio tenebatur, tanta Suenonis charitate flagrabat, autorem religionis faſtidio aſpernatorem beneuolentia inſequendo. Ita populus ſacrilegi animi probatorem, religioſi punitor, quantum in patris ſanctitatem contemptus, tantum in filij labem honoris congeſſerat: cultumq; eius quia ſacrorum morem abrogauerat, copioſa fauoris indulgentia proſequutus, ter regem à piratis captiuum interpoſita munerum pactione receperat. Nec illi quidem ad præmia matronarum obſequio exoluenda ingrata mens fuit: Nam fœminis deinceps participandarum hæreditatum ius, à quibus antè lege repellebantur, indulſit. Vt autem argentum priori ſummæ debitum contraheret, agros ac latifundia vænire iuſſit, vtq; ab exteris ipſe vænijt, ita vænalem ſuis patriam fecit. Ita neſcio in acie miſerior an felicior fuerit, quæ quantum eius corpori detraxit, tantum ſenſui pepercit, opesq; artuum conſumptione ſeruauit. Cæterum barbari nondum rebus eum exuiſſe contenti, truculentius affectum iurare etiam iram remiſſurum compellunt, gemina miſerum pactione torquentes. Sed alteram exhibere difficile, alterã admittere turpe. Opes enim hoſti fundere neceſſitati conuenit, iniuriæ vero reſpectum abijcere, pœnasq; impunitate penſare, vicinum rubori beneficium eſt. Siquidem vt violentiæ cedere infirmum, ita vindictam eius abdicare probroſum. Quippe ſupra vires co-

Quod nullis armis, id ſæpe ſolus efficitur inſidijs.

Supra vires cogi, quàm eis remisse vti, speciosius.

gi, quàm viribus remisse vti speciosius. Nec segniter exuendæ captiuitatis cupidus, sacramento omittendæ vltionis exhibito, propositæ conditionis partes admisit, hostemq; non minus fruendæ securitatis beneficio, quàm auri impendio locupletauit, hoc magis seruilem se exhibens, quo turpius libertatem impetrare sustinuit. Tantum autẽ transfugarũ erga patriam charitas valuit, vt cum regiã Danorum stirpem ad vnicum Haraldi filium redactam esse cognoscerent, quo minus alienis summa cederet, saluti ipsius parcendum existimarent. Quamobrem opes eius non exitum sitientes, egestatem suam censu solari quàm sanguine maluerunt. Nec tamen erga desertorem sacrorum principem diuinæ correptionis aculei quieuerunt. Nam Suetiam quoq; Danorum rebus infestam fecere. Cuius rex Ericus agnomen à victorijs mutuatus, per Haraldum iampridem latam Stybiorno aduersus Sueones opem memoriæ subijciens, perquam grauiter in Suenonis caput exarsit, vtq; sui vindictam perageret, exercitum in Daniam traiecit, expugnatione filij parentis noxam pensare cupiens. Quanquam enim eum arctiore materni sanguinis nexu contingeret, iram tamen affinitati prætulit, eo quidem fidentius, quod Suenonis fortunam sæpius ægram atq; fractam, ac crebris detrimentorum incursibus lacessitam, suam iugiter in summo felicitatis cardine versatam nouerat. A quo Sueno bello Scanico victus, relicta excellentis pulchritudinis filia Thira aúiæ nomen referente (quæ qua matre orta fuerit ignoro) Olauum Thirgonis filium Noruagiæ regimen gerentem exilio petiuit, eo quidem ampliori spe, quod patrem eius iampridem regno exactum, Haraldi succursu restitutionem impetrasse meminerat. Is quanquam regio nondum titulo censeretur, regijs tamen partibus pleno procurationis officio fungebatur. Quo beneficio quanquam obligatus esset Olauus, nihilominus debitam patris eius meritis gratiam referre negligens, profugum ac supplicem spreuit, omniaq; momenta petitæ opis abnegans, nullum penè misero suffragium præbuit. Neq; enim exuli succurrit, nec aspernatur illum à se repelli, à cuius parente suus patriæ redditus fuerat. Cuius repulsæ Sueno contumelia suggillatus, ad Anglorũ præsidia conuolauit. Quorũ rex Eduardus ætate admodũ tenera auxilij petitorem ambitionis nota perculit, existimans nõ tam opem à profugo peti, quam exilij simulatione regnum à callido repeti, fortunæq; inopiam argumentum astutiæ reputans, obseratis exulem auribus auersatus est. Adeò paterna felicitas suspectam nati miseriam fecerat. Ita maligni animi ducibus spes suas precesq; frustrantibus in Scotiam profectus, clementiam quam in aliquanto mitiore gente non reperit, apud efferata barbarorum ingenia sensit. Adeò enim volubilis fortunæ varij atq; ancipites motus existere consueuerunt, vt interdum humana mens vbi speratis fallitur, insperata facilius assequatur. Hac fortunæ sæuitia Sueno ad amplectendam religionis charitatem adactus, abstractos caligine oculos salutari lucis contemplatione suffudit. Nam cum duos maxime reatus suos parricidium atq; sacrilegium, totidem grauissimis supplicijs captiuitate atq; exilio abunde mulctatos animaduerteret, piam neglectæ salutaris disciplinæ verecundiam egit, conuersoq; in curam sacrorum animo, vtriusq; delicti contagium plenis pœnitentiæ lachrymis expiauit. Quinetiam cunctis circa se rite peractis, lauacri vsum promptissimo religionis tenore percepit. Cuius quanta prius labes extiterat, tantum postea robur ac columen euasit. Nec segniter pœnitentiæ beneficio permulsa deitas, propitij numinis fauore pristinum ei fortunæ splendorem conciliauit, amorq; ipsius septimo decedente Erico, promptum regni introitum struxit, pro exilio patriam, pro paupertate amplissimum decus, ac summam largita potentiam. Nam Erici filius Olauus cum matre Syritha Suetiam repetiuit, ibiq; degens regnum materno arbitrio subiectum habuit. Ita Sueno eodem penè tempore & religioni paruit, & patria potitus est. Ne autem quorum fauorem impietate contraxerat, sanctitatis irritamento odia in se repente traijceret, publice dissimulata religione priuatim exhibita, pium mentis habitum texit. Itaq; diuersi motus hisdem præcordijs inclusi, summa formido ac sanctissima deuotio animum eius perplexa cunctatione distractum ad vltimam penè hæsitationem redegerant. Hinc enim perdendi regni, inde lædendi numinis metus pectoris eius munimentum

Mẽs vbi spera ta nõ cõsequitur, insperatis sæpe fruitur.

tum ancipiti periculo vulnerabat. Faſtiditæ ſiquidem religionis vltorem deum, plebem cultæ vindicem metuebat. Quæ tam diſſona ſtudia attentiore animi comparatione expendens, plus diuini quàm humani timoris viribus indulgendum prouidit. Priuatim itaq; maiores aggreſſus, clandeſtina admonitione ſacris ritibus ſubijcere perſeuerabat, differendi officium quod à literis doctrinaq; non traxerat, rudi atque impolito ingenio proſecutus: adeò præceptoris partes, quas ſollertia ac conſuetudine parum complexus fuerat, à fundandæ religionis cupidine mutuabatur. Verum medelæ ſalubritatem ab incolumi capite quæſitam, ab aridis atque indignantibus membris euomi crederes. Neque enim amator veterum populus, docilem inuſitatis animum præbere ſuſtinuit. Quinetiam externi cultus tædio patrium æmulatus eſt. Igitur cupido ſed inefficaci ſerendæ religionis autori, numinis ſui illuſtrator deus Popponem ingenio ac ſanctitate conſpicuum, præcipuaq; literarum ſcientia excellentem præclari operis conſortem adiecit. Hic Danorum concione publice apud portum, cui glaciei frequentia agnomen peperit, habita, cum eos ne fana excolere vellent ſermone flectere nequiret, euidenti indicio certiſſimum aſſertioni ſuæ argumentum præbuit, doctrinæq; fidem conſpicuo ſanctitatis miraculo publicauit. Percontatus enim an monitis ſuis obſecuturi eſſent, ſi ad flagrantis ferri tactum manum eius læſione vacuam conſpexiſſent, vniuerſis haud dubie parendum reſpondentibus, candentem ferri laminam chirothecæ formam habentem expediri iuſſit, eiq; brachium cubito tenus inſeruit, ac protinus per omnes interrite circumlatam ante principis pedes excuſſit, dextramq; nulla ex parte corruptam in eodem incolumitatis coloriſq; habitu religioſæ omnium admirationi conſpiciendam monſtrauit. Quo tam mirifico ſpectaculo alioqui inexorabiles ſtudio ſuo conſentaneos reddidit, effecitq; vt periculum non impedimentum monitorum eius eſſet, ſed experimentum. Enimuero ipſam rerum naturam audacis voti conſtantia ſuperauit. Quinetiam ea miraculi celebritate externum genti noſtræ religionis ſpiritum ingenerauit. Quo euenit, vt Dani abrogata duellorum conſuetudine, pleraque cauſarum iudicia eo experimenti genere conſtatura decernerent, controuerſiarum examen rectius ad arbitrium diuinum, quàm ad humanam rixam relegandum putantes. Quamobrem Poppo à maximo pontifice Bremenſi Adaldago apud Aruſium honorem gerendi pontificij vitæ atque operibus ſuis perquam debitum impetrauit. Eodem officij nomine Harico Seuiſcus, cum Lefdago Ripæ ceſſerunt. Gerbrandus Roſkildiæ claruit. Adeò religioſiſſimi principis exactiſſima ſanctitas chriſtianiſmi cultum nouis ſacerdotijs auxit, cellis atq; ſacrarijs decorauit. Prius enim quatuor hic religionis domicilia externis ſacrorum contenta præſulibus, domeſticæq; prælationis expertia, fortuito magis quàm ſolido pontificum ordine nitebantur. Nec minus Noruagia Bernardi ex Anglia profecti ſaluberrima admonitione profecit. Cuius regi Olauo tanta ſumendorum auſpiciorum adnotandorumq; omnium cura acta eſt, vt etiam aquarum ſacrarum liquore perfuſus, cum partem religioſæ diſciplinæ rudimenta ſorpſiſſet, nullo tamen ſanctitatis exemplo, nullius autoritate doctrinæ, quo minus augurum monitus conſectaretur, futuraq; per pullarios diſceret, vetari poſſet. Itaq; ſanctitate vacuus, necnon inanem eius vmbram complexus, ſuſceptam religionis ſpeciem fucoſa ſuperſtitione damnabat. Conſimilis eiuſdem pontificis induſtria, Suetiæ regem Olauum ad chriſtiana ſacra perductum, Iacobi nomine venuſtauit, morum profectui, decus vocabuli tribuens. Vtrum autem idem rex ab eo, an à Bremenſium pontifice Vnnone, ſacrorum vſum diſciplinamq; perceperit, parum comperi. Eo tempore Lundenſes ſacrarium moliti, ſub Gerbrando Roſkildiæ prę ſule rem diuinam domeſtici templi religione geſſerunt. Cæterum Vnnonis corpus Byrce oppidum veteri fama inclytum, Bernardi Lundenſe hypogæum tenet. Interea rex Noruagiæ Olauus adhuc cœlebs, fruendæ claritatis potiendæq; Daniæ cupidine inſtinctus, quo facilius voti ſe compotem redderet, petitis Syrithæ nuptijs, Sueticas partibus ſuis vires applicare curauit. Ne ergo Sueno duorum regum iunctis copijs geminum patriæ latus incurſandum præberet, perquam callido conſilij genere vſus, duos per-

Portum à glaciei frequentia nomen adeptum.

uicacioris animi satellites subornauit, qui simulata damnatione Olauum supplices petiuerunt. A quo exulum more indulgentius habiti, cum post aliquantæ familiaritatis vsum proposito licentius vtendum animaduerterent, Suenonis vituperio, Thyræ commendationem impensioribus verbis sociare cœperunt, quantum patris mores conuicio, tantum filiæ speciem laudibus insecuti, adeò falsum proscriptorum nomen complexi, mendacij noxam beneuolentiæ simulatione texerunt. A quibus Olauus probabilis formæ irritamento virginem petere persuasus, legationem preces suas Suenoni porrecturã instruxit. Qua aditus Sueno, petitas proco nuptias pollicetur. Quo nuncio Olauus ad summã vsq; gratulationem euectus, matronali stolæ illibatas pudicitiæ faces præferendas existimabat, virgineumq; adulatus amplexum, adolescentiam suam intra viduitatis gremium obterere passus non est. Igitur quantum alteri contemptus, alteriq; venerationis deferret, aperuit. Syritham nanq; colloquij simulatione celebriter accersitam, nauigium conserendi secum sermonis gratia subintrare petiuit. Cuius precibus regina quo verecundiæ munimento tutior fieret, aliquandiu reluctata, ad extremum imperio cessit. Igitur vix atq; ægre obtemperanti lignum pensilibus vncis subnixum, pontis loco scandendæ puppis gratia sternitur. Quod cum regem aditura conscenderet, eodem per insidiosos subducto, præceps fluctibus obuoluta est. Nec contenti nautæ amplissimam maiestatem vltimo dedecore confudisse, quo clarius libidinosum ei animum exprobrarent, inflicti casus turpitudiuem clamore sub hinnitus specie edito persecuti sunt. Hæc est Noruagica humanitas, dolis ac derisione instructa, quæ splendidissimæ fœminæ fidem probrosis insidijs circumuenire, matronale decus contumelijs proculcare, amoremq; ignominia rependere non erubuit. Et sanè quisquis ei populo humanitatem atq; obsequium erogat, ingratis beneficiũ præstat. At regina penè periculo præfocata, magno cum Sueonum rubore ægre littori restituta est. Tandem recepto spiritu impudicitiam sibi à rege exprobratam iudicans, ruborem periculi tacita ferre nequiuit, opprobrij deformitatem minis quibus potuit insecuta. Neq; enim duabus grauissimis calumnijs periculo ac rubore affecta, lacessiti pudoris irritamentum æquo animo tolerare sustinuit, vtpote quæ ex integerrimæ maiestatis regina ad insolentis proci plenum ignominiæ ludibrium redacta fuerat. Ita versuti ducis acumen admirabilis vaframenti inuolucro tectum, vires quibus Olauum exuit sibi sagacissime conciliauit. Continuò nanque petitæ in matrimonium Syrithæ, eo benigniorem animum, quo Olauo infestiorem expertus est. Nec inerter ruborem coniugis negata mox proco filia vindicauit. Interiecto tempore Kanutũ ex Syritha susceptit. Ita Olauus duob. splendidissimis coniugijs destitutus, dum alterũ temere respuit, ab altero turpiter repelli meruit, vtq; hoc repulsa, ita illud insolentia perdidit. Verum quia Suenonem parum prospere bella gerere solitum nouerat, facta non virium eius, sed fortunæ æstimatione, instructoq; nobilis famæ nauigio, armis vltionem exequi parat. Contrà Sueno adcita priuigni manu, maritimo hostem certamine excipit, In quo Olaui sagittarius Enarus, magno corporis artisq; robore præditus, tanto rigore mirifici arcus tormentum intenderat, vt excussum ab eo iaculum, nulla rerum duritia sisteret, quo minus citato motu, vniuersum penetraret obstaculum. In malum nauigij incidens, lignum violentia sua peruium habuit. Eodem interiecto regis clypeo tabulæ ratis illapsum, vix inter vndas impetus sui finem reperit. Itaque grauius hostem solus quam tota sociorum manus afficere valuit. Cæterum adeò certo ictu destinata feriebat, vt quicquid impetebat offenderet. Quo euenit, vt Sueno tormenti monstro territus, plus metus in vnico stipite, quam tota hostium classe reponeret. Cumq; solum in eius corruptione remedium animaduerteret, non tam sagittarium quàm artis sagittariæ instrumentum ab eius rei peritis impeti iubet, violata arcus fortuna tutius bellum gerere cupiens. In quo delectis certatim tela congerentibus, vnum fortè arcui impactum, artificem ingenio, hostem victoria spoliauit. Cumq; late ruptionis eius fragor obstreperet, stupens Olauus quidnam esset comminutum interrogat. Cui Enarus, conuulsam, inquit, abs te Noruagiam puta. Plus nanq; opis in arcu quam exercitu repositum iudicabat,

Noruagicæ gẽtis fugillatio.

Enari sagittarii monstrosa virtus.

dicabat, futurum pugnæ exitum abscissa responsi sagacitate complexus: nec secus quàm prædixerat accidit. Fractio nanq; arcus insecutam Noruagiensium cladem ominata est. Vt autem Olauus hostium manus arbitrario fato præcurreret, mortemq; sibi ipse cõsciscceret, armis onustus præcipiti saltu profundũ petiit, tanquam vita feliciter excessurus si non auiditate lucis victorem intueri cogeretur. Cumq; Sueno hostium vires in suam redactas potestatem vidisset, quos armis ad fugam inclinauerat oratione ad obsequium flectere cupiens, insignem rei bellicæ successum ad blanditias transtulit, victorq; cum victis paciscì deforme non duxit. Nec Noruagiam sibi subiecisse contentus, petita Anglia pactũ cum Adalstano habuit, vt eo decedente regis bonis ac nomine frueretur. Iisdẽ temporibus Popponi Rimbrandus, Henrico Marcus, pontificij religione successit. Pro Lefdago Fulbertus sacerdotio fulsit: post quem Othuncarus Albus splendidissimo loco natus infulas sumpsit. Cuius liberalis in deum animus, ne paruula quidem sibi summa retenta, amplissimum patrimonium necessarijs templorum vsibus erogauit, cellasq; ante id rei familiaris inopes vberrimis agris ac latifundijs locupletes effecit, adeò vt excellentissimæ totius Iutiæ ciuitates quicquid penè prædiorum possident, à religiosa eius donatione perceperint. Itaq; propior publicæ deuotioni quam priuatæ facultati, solidæq; magis quam fluxæ laudis appetens, momentaneo rerum impendio mansuras animi delicias comparauit, seq; patrimonij quam religionem rei familiaris inopem esse maluit, ad eum hæreditatis suæ honorem transferens, à quo pia dona perpetuis bonis rependenda cognouerat. Nec possessionem sacris impendisse contentus, vt omnes virtutis partes ac numeros exequeretur, etiã rerum beneficijs virtutum adiumenta subtexuit. Siquidem Sialandiam & Scaniam officio piæ eruditionis aggressus, mirificum sacri dogmatis autorem agere cæpit. Ac ne parcius animi quam corporis officium administraret, tantum se in amplificanda religione gessit, quantum egerat in locupletanda pro quo patrimonium erogauerat, etiam morte paratus occumbere. Cæterum Sueno senilis animæ laboribus fessus, diuinis rebus infatigabilem vltimi temporis curam tribuit, nec spiritu quam religione diuturnior fuit. Siquidem omni humana concussione vacuus, in ipso perfectissimæ vitæ fulgore decessit. Hunc igitur duæ inter se diuisere fortunæ, quem varia sors in ludibria ac decora alterna vice traiecit, regno illius captiuitatem, captiuitati exilium substituendo. Quis enim crederet illum à maximo solio ad Sclauorum peruenturum catenas? Quis rursus existimaret à Sclauicis vinculis ad regni rediturum insignia? Attamen ex rege captiuus, atq; ex captiuo rex est factus. Ita nunc miserrimis nunc felicissimis par, diuerso conditionis habitu geminam vtriusq; fortunæ mensuram æquauit.

Rex glorioſiſſimus, exul ex insperato factus, regiæ dignitati tandẽ restituitur.

Mortuo Suenone Angli ac Noruagienses, ne rerum summam alieno imperio subiectam haberent, reges ex suis legere, quàm à finitimis mutuari satius rati, abrogato Danici nominis respectu, Eduardum atq; Olauum in maiestatis fastigio locauerunt. Quorum prævalidum robur Kanutus Danorum solio functus inter rerum initia aggredi veritus, ne tamen regnandi vsum intra patriæ metas clausum haberet, dissimulata magis quàm omissa paterni imperij recuperatione, primum Sclauiæ ac Sembiæ, perinde ac debilioribus regnis ferrũ inijcere statuit. Quarum alteram Sueno tametsi graues iniurias passus, obstante religionis vinculo concutere formidabat, altera ab Haquino oppressa, absumpto eo rebelles Danis manus exercuit. Solerter igitur à Danici regiminis successore prouisum est, vt in hac paterni grauaminis, in illa defectionis noxam puniret. Neq; enim ignorabat bonæ indolis habitum ad maiorem virtutem capessendam leuiori rerum conamine roborari, ideoq; in ipso militiæ tyrocinio, adolescentiam suam aliquo præclaro opere auspicari cupiuit. Nec eo quidem segniores desertoribus manus intulit, sed nescio an ideo promptiores, quia strenua ingenia quo plus experimenti sumunt, hoc ad insignem operam edendam maiore ausu proficiunt. Cuius propositi compos spes suas duabus splendidissimis victoriis alitas, tertiã ab Anglis expetere docuit. Quod vt promptius expediretur, Olauum Noruagiæ potitorem cum fratre Haraldo, tectis dissimulatione odijs, aduersum defectionis suæ consortem armauit. Enimuero

vt prudenter, ita periculoſe hoſte in hoſtẽ vſus, ambitione coniunctos armis diuiduos fecit. Igitur Danorũ Anglorũq; exercitibus acerrima pugna conſertis, Tymmo genere Sialandicus, cũ hoſtili impetu ſociæ partis aquilas admodũ inclinatas videret, leuemq; & quem ſors obtulerat ramulum haſta ſuſtulit, eoq; vexilli loco vſus, atq; in eum vociferatus modũ quo Kanuti milites mutuæ adhortationis gratia acclamare conſueuerant, aduerſas in fugam turmas felix anteſignanus auertit. Itaq; non tam ſigni quàm animi virtute ſalutarẽ ſuis aquiliferum geſſit, nutantẽq; Danorum fortunã ad victoriam vſq; ne laberetur erexit. Nec ſolum fortitudinem ipſe pleniſſimã præbuit, ſed etiam ex ſociorum animis penè profugam reuocauit. Cuius facti decus poſtmodũ cognomine vſurpauit, inſuperq; virtutis titulo honore primipili à rege donari meruit. Nec puduit Danorũ partes ſplendidiſſimo aquilifero defectas, plebei hominis ductum vt obſcurum ſpecie, ita præclarum euentu recreatis animis ſalutis præmium conſectari. Igitur Eduardus contuſis ſuorũ animis, intolerabilem Danici exercitus ſpiritum animaduertens, quia manum non poterat, pactum cum hoſte conſeruit, vt quoad ipſe viueret, Kanutum dimidij regni conſortẽ haberet, extinctus omnium bonorum hæredem relinqueret. Ita victor à victo extudit, vt is ſibi conſortionem imperij viuens cederet, totũ moriens teſtamento legaret. Eodem tempore Alwinam ab Olauo adamatã, Kanutus eximia matronæ ſpecie delectatus, ſtupro petijt. Igitur Olauus ſiue quia concubinæ facibus ſpoliatus, ſiue quia promiſſa Angliæ parte per Kanutum fraudatus fuerat, priuatam offenſam publicæ militiæ prætulit, peractisq; ſtipendijs, ira pariter ac dolore inſtinctus Noruagiam redijt, non incongruum eius deſertorem agere ratus, à quo plena turpitudinis iniuria vexatus fuerat. Septenis poſtmodum interiectis annis quidam triclinium in quo Kanutus epulabatur ingreſſi, totius Angliæ regem ſalutare cæperunt. A quibus rex ſibi ictum cum Eduardo fœdus per inuolucrum exprobrari ratus, nihil eius ſe pudere reſpondit. Sed neq; ab ira animum neq; vultum à rubore continuit, profectas à ſcelere voces ludibrio propinquas exiſtimans. Tunc illi funeſtum miniſteriũ incauto confeſſionis officio proſecuti, Eduardũ ſua interemptũ opera iactitabant, eo ſe regi placituros rati, quo ſummam ipſius offenſam accenderant. In quos rex perinde ac maieſtatis inſidiatores, præparati præmij loco, ſuſpendio protinus animaduertendũ curauit, deterrimũ opus deformi vindictæ ſpecie puniens. Quanquã enim ſe acri æmulo liberatum cognoſceret, ſceleri tamen pœnam, quàm vtilitati gratiam referre maluit. Memorant alij Eduardum clandeſtino Kanuti imperio occiſum, eiuſdemq; iuſſu pœnam à maleficis, gratia deinde ſuſpicionis exactam. Vt enim innocentiæ ſuæ fidem aſtrueret, ſeq; ei culpæ affinem fuiſſe negaret, grauius in ſceleratos conſulendum putauit. Ea tamen res primum regis apud domeſticos fauorem quaſſauit. Qui cum Anglorũ rebus obtentis nectendam cum finitimis amicitiam decreuiſſet, Normaniæ præfecti Roberti filiam Immam matrimonio duxit, eiusq; fratri Rikardo ſororem Eſtritham coniugio potiendã permiſit. Igitur ex Imma Kanuto, Gunnildaq; ſuſcepta, duorũ populorũ concordiam communi ſanguinis vinculo ſtabiliuit. Cæterũ quo promptius habilem expeditamq; clientelam contraheret, ſplendidis militiam tyrocinijs auxit, ampliſſima fortibus ſtipendia proponendo, non tam numero quàm robore militum venerabilius imperij ſui decus futurũ exiſtimans. Itaq; militaris alacritas, cuius maxime præmijs honos alitur, certatim in eius contubernium defluebat. Cuius munificentiæ gratia Vluonem quendam è Suetia accerſitum, dolis magis quàm viribus inſignem, in militarem ordinem allici contigit. Cuius quoniam incidenter mentionem egi, ortum ſummatim diſſeram. Cuiuſdam patrisfamilias in agro Suetico filiã liberalis formæ cum ancillulis luſum egreſſam, eximiæ granditatis vrſus deturbatis comitibus complexus rapuit, exceptamq; vnguibus præſe leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportauit. Cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggreſſus, amplectendi magis quàm abſumendi ſtudiũ egit, petitamq; laniatui prædam in vſum nefariæ libidinis vertit. Continuò enim ex raptore amator effectus, famem concubitu ſoluit, ardoremq; gulæ Veneris ſatietate penſauit. Quoq; eam indulgentius aleret, crebris incurſationibus vicinum

Mirum dictũ vrſus fera bel lua puellam deperit.

acrius

acrius incessabat armentum, nec nisi lautioribus antè vesci solitam, sparsis sanguine dapibus assuefecit. Adeò enim captiuæ species efferatam raptoris sæuitiam fregit, vt quem sanguinis sui cupidum extimescebat, amoris auidum experiretur, pastumq; ab eo perciperet, [a] cui fore protinus alimonia metuebat. Quô non penetrat, aut quid non excauat amor? cuius ductu etiam apud efferatam belluarum rabiem gulæ irritamentum libidinis imperio cedit. Tandem gregis possessor exhausti pecoris inopia prouocatus, obseruatione adhibita circumuentam canibus belluam cursu ac clamore vehementius vrgere perstitit, fugacemq; sectatus, eo fortè loci quo puella seruabatur accessit. Siquidem domicilium eius inuijs paludibus clausum, perplexa ramorum series continenti frondium vmbraculo texerat. Vbi mox fera à retiarijs circumuenta ac venabulis occupata confoditur. Vt ergo duplicis materiæ benigna artifex natura nuptiarum deformitatẽ seminis aptitudine coloraret, generationis monstrum vsitato partu edidit, sylvestremq; sanguinem humani corporis lineamentis excepit. Nato itaq; filio, paternum à necessarijs nomen imponitur. Qui tandem agnita suæ veritate propaginis, à patris interfectoribus funesta supplicia exegit. Cuius filius Thrugillus cognomine Sprageleg, nullo probitatis vestigio à paternæ virtutis imitatione defecit. A quo Vluo genitus, originem ingenio declarauit, auitum animo sanguinem repræsentans. Cæterum vt ad diuerticulum quo excessi redeam, Olauum cum Haraldo fratre Danis atrociter imminentem Kanutus classe ex Anglia petitum, ad socerum Gerithaslauum Orientalium ducem exilio migrare compulit, recuperataq; Noruagia rediens, Rikardum acerrimum vxoris osorem effectum patria exegit, sed & sororem Sialandiæ redditam regiarũ partium functione donauit. Interea absumpto Sueonum rege Olauo, succedit Omundus, à vitæ diuturnitate cognomen sortitus. Cuius fato Olauus Noruagiensis repetendæ patriæ fiduciam nactus, contracta Sueonum ope Noruagiæ summam audaci vsurpatione corripuit, quod Kanutum fraternæ opis cassum, ac celeberrima virium parte defunctum aduerteret. Idem ignarum iuris populum, passimq; & agresti more viuentem, legibus salubriter editis, ad melioris vitæ habitum perduxit, quarum vetusta monimenta plebs Norica præsenti veneratione complectitur, nec minus in deum venerabilis, memorabili exemplo seruatæ religionis inclaruit. Nam cum prima feria cultello fustem per incuriam secuisset, atq; ab his qui proxime constiterant, solutæ à se religionis fuisset admonitus, continuò dexteram suam, quod eius ministerio lapsæ mentis errorem compleuisset exosus, sparsas repente scindulas legit, factoq; ex eis foculo, subiectam palmam cremandam præbuit, fortuitum culpæ modum, solido cruciatus genere pungens. Adeò scrupuloso cultu leuia quoq; religionis momenta seruauit, cuius detractæ tristem à seipso pœnam exigere cunctatus non est. Nam cum reos pœnas apud inferos manere persuasum haberet, leui admodum cruciatu grauiorẽ præcurrere statuit, manumq; ad præsentes pœnas perferendas patientiæ duramento firmare, quàm animã futurarũ metu suspendere tutius duxit. Ita ne cæteri à diuinitatis cultu auocarentur, ne sibi quidem ignoscendũ putauit, & quod pie dissimulare licuit, suppliciter expiauit. Cumq; præsidio negligentię errorem tueri posset, ne qua religioni fraus fieret, pœnitentiam magis repręsentare curauit, pœnamq; correctionis suæ fidem, quàm impunitatẽ delicti testem esse maluit. Ita prudentia ac deuotione instructissimus, propior publicę religioni quàm priuato reatui fuit. Cuius facti circunspectissima sanctitate, ęternam cognomine memoriam vsurpauit. Ab eodem quoq; pauperibus protectio, pupillis tutela, sacerdotali ordini veneratio, detrimentorum violentia lacessitis subsidia prębebantur. Pręterea ex gremio eius veluti quodam munificentię fonte, complura alia virtutum spectacula manauerunt. Hęc hactenus, quia publico cultu consecrata pietas, priuatę laudis egena non est. At Vluo ob virtutis ęmulationẽ grauibus in Kanutum odijs efferatus, quia tutò inimicitias gerere nequibat, quo efficaciores insidias necteret, instrumentum doli simulatione officij texit. Suetis enim assidue Scaniã irrumpentibus, primus ad constringendam rem proficisci popposcit, impetratisq; petiti ministerij partibus, Estritham quęcunque imperasset exequi, literis signatorio anulo impressis iuberi peti-

Amoris vbi.

a Rectius, Cui se fore protinus alimoniã, &c.

Vrsi sylvestrẽ progenies.

uit. Quibus acceptis, continuò matrimonium eius postulare aggressus, rei bellicæ mandatum ad nuptiarum preces transtulit, libidinosumq; quam strenuum legationis ministrum agere satius duxit. Quam rem Estritha arcano fratris imperio consentaneam rata, perseueranti repugnare passa non est. Ita versuti ducis animus impulsu capti odij instinctus, corrupto legationis officio, linguæ volubilitate qua plurimum valuit, fratris ac sororis credulitatem nefarijs perfidiæ laqueis circumuentam oppressit, bellumq; aduersus Daniam professus, structis callide dolis auacter euidentiam præbuit. Et ne Kanutum in Dania vltorem operiretur, declinandæ vindictæ gratia, in Suetiam sibi cum coniuge transeundum prouidit. Vbi inuadendæ Daniæ propositum pertinacius animo voluens, Omundo, Olauoq; consilij participibus factis, alteri maritimis Sialandiam copijs, alteri Scaniam terrestribus impetendam proponit, ipse se classem è Suetia ducturum promittit. Cuius rei molitione detecta, Haquinus quidam è villa Stangby, amantissimus regis, arrepta quamcelerrime nauigatione, Kanuto cuncta ex se cognoscendi copiam tulit, eaq; humanitate quanta principis ac patriæ charitate teneretur, aperuit. Rex tantæ conspirationis nuncium exercitu subsecutus, ne rumoris autorem præmio vacuum præteriret, fidem nuncij quod & longam & periculosam nauigationem egerat, præmij loco duûm iugerum agri Scanici donatione pensauit. Interea Olauus classe sua apud insularum vnam acquiescere iussa, habili expeditoq; nauigio Sialandiam petiit. Vbi accersitum concionis nomine populum ad deditionem quam potuit disertissimo prouocabat eloquio, modo vniuersorum, modo singulorum compositis blanditiarum figmentis animos demulcendo, eam demum tutiorem potentiam credens, quæ pace magis quàm prælio constitisset. Igitur à maiorum quodam astu benignissimæ responsionis exceptus, simulatum plebis fauorem spe eximia complectebatur. Tandem inter varium plebis tyranniq; sermonẽ speculatorum vnus ex maritimis superueniens, grandia terris vela propinquare narrabat. Igitur fluctuantem Olauum, senior regis aduentum operiens, interrito se animo gerere cohortatus, consuetam littoribus mercem aduehi prædicabat, non aliam premendi inimici occasionem aptiorem fortunam ratus, quam si odium beneuolentiæ specie suppressisset, spemq; eius vano sermone protrahere potuisset. Secundo quoq; pari nuncio accepto, concionantis metum consimili affirmatione discussit. Tum demum Olauus assertionem eius suspicione insecutus, emissum in littus speculatorem explorare iubet, Kanutus ne esset, an negociatorum aliqui venientis exercitus speciem præbuissent. Quo reuerso seq; frequens classe pelagus prospexisse perhibente, continuò senem mendacij damnans colloquium soluit. Ille nihilominus vera se omnia retulisse contendens, eos aduentare dicebat, à quibus Daniam ferro comparare quis posset. Olauus vix fuga vsus, pertinaci remigio sociam repetit classem. Subinde Kanutus portum classe complexus, victum labore remigem nocturna quiete firmauit: vbi ab incolis Omundum terrestri agmine Scaniam, Vluonem nauali fluuium Helgam occupasse cognoscit. Ipse igitur Omundũ excipit, classem ad opprimendos qui ad amnẽ appulerant mittit. A quo cum nauium duces Omundũ apud Stangam montem insigni pugna obrutũ comperissent, ipsi quoq; consentaneam fortitudinis operam edere cupientes, ne rege audacter agente ignauum gessisse militẽ viderentur, quo promptius in eã quam hostes occupauerant insulã traijcerent, aliam eidem vicinã ingressi, mediũ amnis spatium contabulatis molibus sternunt. Illic siquidẽ fluuius latius manantibus aquis, amnis modũ excedens, ingentis stagni speciẽ præbet. Tum Vluo suos ne hostẽ cœpto deturbarent admonitos, traijcientẽ telis eminus ac sagittis incessere iubet, futurũ taliter inquiens, vt ipse sua sibi manu vltimã fati semitã strueret. Progresso vero longius opere veluti nostros trãsitu prohibiturus, in aduersa ripa phalangẽ explicat. Quo viso Dani traijciendi cupidiores effecti, frequentes onerauere pontem. Vbi dum conferti, sed in quam periculosum iter progrederentur ignari, bellum instanter appetunt, subitò desidente congerie inter vndas auidũ pugnæ spiritũ deposuerunt. Si quem vero (vt in eo discrimine accidere solet) semel ad summũ fluctus retulit, protinus alterius amplexibus implicatus, in profundum periturus abstrahebatur.

hebatur. Ita dum mixti atq; alius alij cohærentes inuicem opem exigunt, mutuò sibi exitium pepererunt, & quem salutis quis autorem petijt, infelicẽ fati comitem habuit. Neq; enim armorum pondere pressi, tutum natandi euentum assequi potuerunt. Ita Vluo Danorum deceptor magis quam victor, aliena temeritate quod proprijs viribus nequibat obtinuit, certissimam hostium virtutem salubrius cunctatione pugnæ quam impetu proculcando. Cuius facinoris insecuturã metuens vltionem, quod sibi hinc classem obstare, inde regem imminere conspiceret, salutis obtinendæ consilium vt viribus difficile, ita arte promptissimum reperit: fugam nanq; diligentius animo circunspiciens, cum vnicum eius diuerticulum in classis desertione restare animaduerteret, noctu maioribus nauigijs relictis, in proximam ripam vniuersum scaphis traiecit exercitum, sicq; clandestino secessu vsus potitũ latebris agmen abducit. Diluculo Dani sociæ cladis vltionem auidius sitientes, dũ in hostium nauigia ruunt, eadem propugnatore vacua reperiunt. Rex lacu lustrari iusso, mersorũ corpora vncis aut euerriculis capta, apud Asum contiguũ amni oppidũ supremis procurauit officijs: Olauum vero per Noruagienſium quosdã pecunia à se corruptos domestico bello opprimendũ curauit. Ita egregij animi dux suorum auaritia lacessitus, quos foris propugnatores habuit, domi percussores inuenit. Cuius frater Haraldus consimilem gentis perfidiam veritus, adito Byzantio suspectam patriæ fidem longinquo declinauit exilio. Igitur Kanutus sex præpollentiũ regnorũ possessor effectus, eximio sui fulgore etiam Romanũ illustrauit imperiũ. Enimuero eius principi Henrico, filiam Gunnildam nuptũ tradidit, eundẽq; paulò post Italica consternatione perculsum auxilio prosecutus, pristinæ fortunæ pressa rebellium conspiratione restituit. Inde reuersus Haraldũ natu maiorem Angliæ, Daniæ Kanutum, Noruagiæ Suenonem, quem ex Aluina sustulerat, absq; vlla maiestatis suæ diminutione præfecit. Nam etsi tres prouincias totidem filiorum regimini tradidit, nihilominus commune sibi trium imperium reseruauit, neq; summam penes alium consistere voluit. Pręterea teneris adhuc ducibus, in officiorum tutelam fortissimorum præsidia sociauit. Post hæc Hestritha filiũ Suenonem enixa, sobolis intercessu viro fratris gratiam conciliauit. Beneuolentiam enim quam Kanutus perfidis Vluonis meritis denegauit, consanguineæ sibi prolis respectui tribuendam putauit. Quinetiam sororem Anglorum satrapæ Godewino nuptijs iunxit, gentem genti animis atq; affinitate conserere cupiens. Ex qua Haraldum, Biornonem, Tostonemq; ortos memoria proditũ habemus. At Cæsar ex Gunnilda filium æque fortuna ac vocabulo Magnum suscepit, à quo illustrium Teutonicorum imagines, splendidaq; Germaniæ lumina successionis serie pullulasse produntur. Eo temporis Guthscalcus Sclauicus eximiæ indolis adolescens, commilitium regis stipendia meriturus accessit. Is Apribigneuo patre christiani cultus amantissimo, deficientemq; à religione Sclauiam nequicquam reuocare conante, præter nationis suæ morẽ percipiendæ literarũ disciplinæ gratia, doctoribus traditus, vt eum à Saxonibus potiendæ Sclauiæ cupidis interemptum cognouit, efferatum ingenium leni studio mitescere passus non est. Repente enim armis scholam mutauit, & ne alienigeni ingenij exercitatione patrios ritus pigrius prosequeretur, literarũ cultũ in tyrocinium vertit, omissoq; doctrinæ studio, strenui vindicis quã ignaui discipuli partes agere maluit, audacter quã industrie animo vti satius autumans. Itaq; naturę magis quã pręceptoris monitis obsecutus, parta tandẽ vltiõe, Kanuti cõmilitiũ expetiuit. Ita adolescẽtis mens in ipso doctrinæ limine sæuitię stimulis intercepta, studiosæ ratiõis elemẽtis ingenitũ sanguini suo rigorẽ expugnare non potuit. Eodẽ tempore apud Daniã sacrorũ antistites alijs alij successisse traduntur. Nam Gerbrando substituitur Auaco, Otkynkarus iunior Ripen. pontifex creatur. Cæterũ Kanutus tria pręmemorata regna circuiẽs, clientelã suã sex milliũ numerũ explentẽ, sexaginta nauigijs cultius apparatis, eorũq; quolibet centenos armatos capiente distinxit. Eandẽ æstate pro tuendo imperio excubantẽ, hyeme cõtubernijs discretã alere consueuit: mensibus stipendia nouabantur. A quo Vluo tẽpore quo rerũ autor nobiscũ immortalitatẽ suã partiri voluit, annuo feriarũ circuitu repetito, apud Roskildiã cõuiuialiter accersitus, postquã industriã temulẽtia

In aquis ii qui salutis conseruatores expetuntur, interitus solent esse comites.

vicerat, mersæ nuper militiæ cladem nocturnis laudum suarum cantibus celebrabat. A quo rex suorum sibi pericula palàm exprobrari iudicans, vehementis iræ procursum aduersum contumeliosum eius carmen destrinxit, indignum ratus eo conuiuanti, cuius ductu se fortissimis propugnatoribus spoliatum cognouerat. Igitur Vluo inter ipsa mensæ sacra ab astantibus interfici iussus, præcipitis linguæ iusta supplicia pependit. Ita dum aliena fata parum sobrie meminit, sua cecinit, siccatosq; cupide calices proprij sanguinis liquore compleuit. Meritò enim ex tam petulanti ingenio amaritudinem potius quàm voluptatem percipere debuit, quod gloriæ sibi loco arrogasset, ductu suo præcipuis regis viribus vltimam incessisse iacturam. Quo peracto Kanutus violatæ necessitudinis iniuriam, ac sororis viduitatem, duarum prouinciarum attributione pensauit, quas eadem postmodum sacrosanctæ Trinitatis ædi, præcipua apud Roskildiam veneratione cultæ, decimarum nomine partiendas curauit. Iamq; frequens ad Kanutum miles defluxerat, animis quàm impensis onerosior. Plerisq; enim amplior virium quàm morum grauitas inerat, quiq; se splendidius bello gesserant, obscurius pacis decora intuebantur, adeò vt qui foris insignes extarent, domi ignobiles viderentur, vixq; eadem & honesta & acria ingenia reperiebantur. Igitur complures ad vim & rixam vsq; in aula pernicioſi esse consueuerant. Quos cum rex natione, linguis, ingenijs quam maxime dissidentes animaduerteret, quippe varijs ac perplexis inuicem affectibus vrgebantur, nam petulantia alios, alios inuidia, quosdã etiam ira vexabat, quo minus seditiose se gererent, saluberrimum castrensis disciplinæ tenorem, qua tantæ varietatis discordiam rumperet, debitamq; militi maturitatem monstraret, exactissimis edidit institutis. Itaq; circunspectissima eiusdem deliberatio Oponis Sialandici, cæteros prudentia atq; autoritate præstantis, monitis persuasa, ne externa fortè domestico crimine turbarentur, socialis odij tempestatem repressit, legesq; seueriſſime cauendo seditiosum militię spiritum veluti fraterna quadam charitate coërcuit. Atq; vt audacię comitatē adijceret, fortissimo militi speciosissimũ moris habitum ingenerauit, clientelã suam effreniũ ac litigiosorũ conuictu tanquã eruescenda aliqua sentina vacuefacere cupiens. Vt ergo improborũ frequentiam à curiæ valuis repelleret, statuit vt in capessendo discubitu ordine quo quisq; militaris muneris aduocationẽ sortitus fuerat, vteretur, locoq; antecelleret, qui prior obsequio foret. Adeò militiæ vetustatem honore mensæ rependi par duxerat, ne promiscuis sedendi locis cõfusa meritorũ series videretur. Eũ vero qui cœna inita, aliqua mora interpellante tardior superuenisset, inter considentes excipi oportebat. Qui si tam arcto se consessu iunxissent, vt ob nimiam eorum frequentiã qui superuenerat sessum recipi nequiret, qui eius loco insederat exurgens proximũ occupabat, eousq; inuicem se assurgendi officio venerantibus, donec laxato totius consessionis ordine, legitimũ recipiendo spaciũ patuisset, mensaq; qui postremus residebat abscederet. Si quis vero alieno discubitu vti per insolentiã perseuerasset, qui eo spoliatus fuerat proxime circunsedentibus iniuriæ querelam detulit, hisdemq; testibus in concionem productis aduersus reũ actione contendit, effecitq; vt qui cedere iussus contumaciter supersedisset, contumelioſe stipendijs amoueretur. Ter tamẽ regi tali culpa affectis necessitatem pœnæ remittendi fas erat. nec aliter quàm vt tot gradibus quis discubitu indignior fieret, quot vicibus sodalem dignæ sedis negatione spreuisset. Ita enim legis temperamentũ inter seueritatem ac mansuetudinem medium, rigori clementiam sociauit, vt nec pœnitentiã repelleret, nec impunitatẽ excessui daret. Quod si quarto se quis eodem reatus genere maculasset, discreto à milite loco, mensæ alienus fiebat, cõmilitonũ nemini catino aut calice communicabat. Neq; enim ter veniam experto vlterius ignoscendũ putabat, quia sua iam noxa pœnam meruit, qui se ea toties affecit, adeò contumaciam contemptu mulctari placuit. Valuit enim apud regem spretæ militaris dignitatis indignatio, eumq; qui parem venerari nesciret, parum superiori delaturũ esse existimatũ est. Eodem pœnæ genere in minutos quoq; animaduertebatur excessus: vt, si quis alium conuicio insecutus fuisset, aut potione per contumeliã respersisset. Cæterum rex maritimã sæpius quàm terrestrem militiam agere consueuerat. Igitur

Linguæ præcipitis supplicium.

Regis Kanuti in milites proteruos animaduersio.

tur quoties equitatu opus erat, milites equis omnibus vacui pro asseruandis equis alternis vicibus excubabant. Qui vero adaquandi tempore ita sodalis equo vsus fuisset, vt ipsum continue, nec modo suum, modo illius vicissim insidendo premeret, prædictum pœnæ modum expleuit. Tanto enim studio rex verecundiã à suis seruari voluit, vt etiam paruulo impudentiæ excessu deuios, castigationis remedio coërcendos putaret. Qui vero tribus fasciculis in stabulũ coniectis, equo suo communis pabuli spicam, alieno stipulam admouisset, iuxta priorem formulã militia, aut turpiter vti, aut deformiter excedere cogebatur. Ac ne quis socio flumen transequitanti, ita equo concurreret, vt ad ipsum turbulentior vnda deflueret, pari industria cautum. Adeò scrupulosa cura paruula quoq; societatis officia pensabantur. Ei vero qui stationi addictus, ita se somno onerasset, vt vestes aut arma dormienti detrahi possent, consimile vindictæ genus mulctæ nomine irrogabatur. Neq; enim regio profuturus imperio putabatur, quem priuatus torpor publico excubiarum officio submouisset. Verum aduersus grauiora præfractior actio constituta fuerat. Si quis enim commilitonum suorũ quempiam manu, ferro, vel fuste læsisset, aut si quicquam violenter eius manibus extorsisset, comámue alieni capitis violasset, postremo si maiestati insidias struxisset, abundeq; de facto testiũ adstructione constaret, tanquam capitalis criminis reus, clientela amotus, militari munere defungebatur. Is nanq; qui grauiter ab eo affectus fuerat, in primis regem sella posita ius militi dicere postulabat, deinde reum vt in concionem veniret, tertio citatorum ordine prouocabat. Vnumquenq; bini duntaxat commilitones explebant. A quibus si reus in quæstionem publicã deducendus rem familiarem possedisset, domi semel, bis in curia apud discubitus sui locum præsens absénsue postulari solebat. At si fundo careret, eo loci vbi in aula accubare consueuerat, ter sponsione prouocandus fuerat. Concione inita qui prouocauerant syncere se reum postulasse, nihilq; in ea causæ dictione fauoris, aut offensæ respectui indulsisse iurabant, simulq; & citatorum, & testium partibus inseruiebant. Consequenter in reum principalis facti testimonium, à duobus denunciandum restabat, iuramento præfari iussis, nec actoris amore, nec rei odio quicquam se præter oculis aut auribus explorata dicturos. Nam in quæstione læsæ maiestatis propensior auditui fides haberi consueuerat. Cæterum testimonium in oculis reponebatur. Præterea obiecta defensionis præsidio repellere non licebat. Siquidem testium criminatio, neq; alieno patrocinio, neq; propria cuiusquam repulsione subrui poterat. Tantum quippe autoritati ipsorum pondus inerat, vt assertionis eorum fidem eleuare proxima sacrilego dementia putaretur. Ita reus aduersum testimonij fulmen, nec culpam nec innocentiam vllo argumento tueri potuit. Sed neq; ei si sponsione prouocatus fuisset restipulatione vti licuit. Rationem testium districta iudicum insequebatur autoritas, reum veluti euidenter noxium, nihilq; iam pro se recusantem, honore, opibus, patria, atq; omni demum militari functione damnantium. Hostibus eius honos atq; impunitas adiudicabantur. Iuxtà in præsentẽ absentemq; sententię ferebantur. Suà nulli longinquitas præsidio esse poterat, quo minus & accusatio testibus, & damnatio sententijs instrueretur. Quarum vtraq; plenè partes suas exhibente, reo defensionis amplecti præsidium non licebat. Tum demũ rex cognitione suscepta, an ea cæteris pronunciatio placuisset, interrogat. Ipse enim auditoris tantum partem exequens, militiæ iudicationis mandauit arbitrium, deforme ratus damnare viros, quos ipse fouisset. Quapropter in eos quorum egregia opera vsus fuerat, aspere pronunciare veritus, quæstionem ad se delatã, ad curiæ cognitionem relegauit, silentiũq; moderationis suæ fidem, quàm sententiã seueritatis testem esse maluit. Cumq; demum exaudita militũ responsione, totius concionis suffragia iudicationi consentanea noscerentur, qui damnatus fuerat interrogari solebat, terreno an maritimo secessu fugam petere decreuisset. Ita rex proscriptione suos quàm nece puniri maluit, delectumq; fugæ, ne violentiam repręsentaret, indulsit. Quod si reus mari se credere delegisset, eò commilitonum frequentia prosequendus, dataq; naue, remigijs, commeatu, vasculo egerendis aquis idoneo tandiu in littore operiendus fuerat, donec rem, si eis nauigatio gereretur, vel si velis, antennæ extra

Sententia tã in absentes quã præsentes lata.

conſpectum abijſſent. Tum deniq; qui profugerat ſuperiori ab omnibus ſententia repetita, amariſſimorum maledictorum verberibus laceratus, triſtiſſimis totius militiæ ſuffragijs damnabatur. Qui ſi tempeſtate in littus relatus fuiſſet, continuò vt hoſtis habitus violatæ ſocietatis pœnas pendebat, diſcrimenq; capitis eius funeſto damnationis incurſu cupide à commilitonibus expetebatur. Ita non periculoſa minus, quàm ignominioſa ſontium euitatio fuit. At ſi militiæ munere defunctus terra perfugere maluiſſet, ad nemus vſq; pari militum cura comitandus erat, cunctis tandiu in eius abitu expectantibus, quouſq; procul ipſum abeſſe cognoſcerent. Ac tunc demum magno cum totius militiæ fragore ter valide edendus clamor, cunctaq; ſtrepitu miſcenda fuerant, ne fugiturus vllo ad eos errore referri poſſet. Tunc demum diſtricta etiam inexorabilis omnium ſeueritas cunctis ſolenni iure completis, ne de indemnato ſupplicium ſumere videretur, ſupremam reo damnationem intendit, effecitq;, vt qui ſe à ſpecioſo militiæ conuictu abruperat, turpiter vagam vitam proſcriptus exigeret. Ita militaris diſciplinæ rei, iudicialis ignominiæ grauitate in abiectiſſimorum conditionem relegabantur. Adeò enim rex contumeliam ſontium non ſanguinem ſitiebat, vt eos probroſo caſtigationis genere, quàm cruento punitiores putaret. Si quis autem ei poſtmodũ commilitonum vno telo aut comite ſuperior obuio peperciſſet, ipſius ſe contumeliæ participem præbuit, cuius culpam vindicta proſequi formidauit. Tale noxijs quoties à curiæ moribus degeneratum fuerat, militiæ munere defungendi ius erat. Adeò quondam caſtrenſis notæ dedecora iudiciali repellebantur vmbone. Quod ſi reus ab actore teſtimonio ſuperari nequiret, ſex ſecum commilitonibus in iuſiurandum accitis, culpæ quæ obijciebatur alienum ſe fuiſſe monſtrabat. At ſi commilitonum quis eum quem militiæ conſortem neſciſſet iniuria per ignorantiam affeciſſet, ad conciliandam errori ſuo fidem, prædictum ſodalium numerum in ſacramenti ſocietatem contrahere debuit. Cæterum ſolenni iure conuictos, ac ſuperiori modo damnatos felicitas deficiebat, occupabat aduerſitas: eo quidem certius, quod trium regnorũ pontifices aduerſum talium tranſgreſſionũ reos ſolenni execratione vſos eſſe conſtabat. Ita diſciplinæ ius geminũ amplexa columen, partim regio, partim religionis præſidio nitebatur, vt humanam ſententiã diuino crederes iudicio comprobari. Cuius rigor diſcordias rupit, ſimultates finiuit, ſeditiones extinxit, pacatioremq; regi militem reddidit. Poſtmodũ vero ſeueritati eius ſiue ob inertiam, ſiue ob clementiam principum, pecuniariæ mulctæ temperamentum acceſſit. Quo tamen ſola ligni percuſſio caruit, quod eo canes quis abigere ſoleat. Adeò maiorum verecundia ſummam in ictu probroſo contumeliam reponebat. Contigit autem vt ipſe rex ſua primus lege caderet, iurisq; firmamentum quod eatenus ſyncerum, atq; incolume ſteterat, parum ſobrius proprij militis occiſione laxaret. Cumq; ſe legibus quas ipſe tulerat euidenter noxium animaduerteret, pœnitentiæ acerbitate correptus, vocata militum concione, regia ſella deſcendit, inq; omni conſpectu ſupplex humi demiſſus, milites commiſſi ſceleris pœnas ſuo arbitrio exigere iuſſit, libenter ſe decretam ab eis pœnam ſuſcepturum promittens. Cumq; factum maieſtatis nomine tueri poſſet, militari ſe animaduerſioni ſubſtrauit, humilitatemq; manſuetudinis ſuæ documentum, quàm vires elationis indicium eſſe maluit. Illi concione lachrymantes egreſſi, deliberatione inita triſtem de rege ſententiam ferre vt minus honeſtum, ita parum vtile peruiderunt, non ignari ſine eo eſſe ſe vacuum ſpiritu corpus, prædam quibus ante imperaſſent futuros. poſtremo, vniuerſum rei militaris ſtatum eo pœnam ſubeunte conuelli, inq; vnius omnes proſcriptione damnari, lapſum eius ruinam ſuam, damnationem, commune omnium periculum fatebantur. Igitur in tam ardua re ſententiæ dubij, creditoq; ſibi iudicio æquo leuius auſteriúſue vti veriti, proprio regem arbitrio decreuere mulctandum, exiſtimantes plus nutui maieſtatis, quàm priuatorum ſententijs deferendum. Emendabile enim credidere delictum, quod impetu magis quàm induſtria noſceretur admiſſum. Igitur ex eo iudicem ſtatuunt, pœnamq; præſtolanti impunitatis potentiam largiuntur. Et pulchre quidem factam ſibi iudicandi poteſtatem ipſius arbitrio reddiderunt, ne difficillimum negocium temere iacta

re iacta pronunciatione finirent, vel commilitonis vltionũ placide, vel regis supplicium crudeliter expetentes. Ita salus regis penè suo scelere euersa, temporis difficultati donata est. Ad hæc satis graues eum delicti pœnas dedisse arbitrabantur, qui se in tanto fortunæ fastigio, tam suppliciter abijcere sustinuisset. Tum demum venerabiliter exceptum, atq; ex ancipiti reo securi iudicis partibus inseruire iussum, sellæ restituerunt. Rex culpam ære redimi debere constituit. Cumq; aliâs homicidiorum crimen quadragenis nummi talentis expiari soleret, ipse sibi trecenta ac sexaginta mulctæ nomine numeranda descripsit. Huic summæ nouem talenta auri doni nomine adijcit, eandemq; mulctæ speciem consimilis culpæ reis, lege perenniter irrogauit. Totius vero pecuniæ partem regi primam, alteram militibus, tertiam interfecto sanguine coniunctis adiudicauit. Cumq; ipse in præsentiarum tam regis quàm rei partes exequi debuisset, ascriptam sibi portionem sacrorum præsidibus egenisq; diuisit, deum perinde ac communem omnium principem pio munere propitiandum existimans. Egit humanum iudicem, reum liberalem, veniæ genus absolutionis spem, debito emendationis ordine complectendo. Cæterum eo viuente militaris mos æquè violatore atq; expiatore caruit. Igitur dum sic seditiosis occurritur, mens militum à litigijs aberat. In exequenda enim vltione non sanguinis, non necessitudinis vinculo parcebatur, quo minus damnationis partes legitimo rigore procederent. Nunc vero solutis hebetatisq; pristinis militiæ neruis, grauiora inter commilitones quam exteros dedecora pariuntur, cum & omnis aduersum improbos actio sileat, & qui culpæ punitor esse debuerat, patronus existat, nec sit qui dissolutos militiæ mores præfractius rigidiusq; constringat. Hanc itaq; militaris disciplinæ consuetudinẽ diuturna vsurpatione firmatã, nostri temporis principes abrogare minime erubescendum duxerunt. Vbi enim domestica quies seditionum fluctibus agitatur, priscæ consuetudinis forma conuellitur. Quippe aduersum effrenes, concitatiq; ingenij tyrones, seueritate potius quam nimio fauore, ac profusa indulgentia vtendum est. In quem modum Kanuti industria pro administrandis militaris disciplinæ negocijs, syncere ac valenter excubuisse cognoscitur. Præterea militi regem, vel regi militem, non nisi pridie Calend. Ianuarias abdicandi fas erat. Eiusdem quoq; postmodum obseruantiæ grauitas ab aula regum, in aliquanto obscurioris familiæ conuictum prorepsit, diuq; superioris disciplinæ etiam apud supparis conditionis viros imitatio valuit. Interea Suenonẽ tutelæ tunc Noruagiæ vacantem casus absumpsit, moxq; ad patrem prouincialis ministerij summa concessit. Vt autem Kanutus à Richardo, quod sororis suæ repudium egisset, atq; aduersus vxorem seuerius æquo maritali supercilio vsus fuisset, tanquam à coniugalia sacra contumelioſe tractante pœnas sumpturus, ac tori genialis iniuriam repulsurus, in Normaniam magna se classe traiecit. Vbi cum paulò post triste quoq; de Haraldi fato nuncium accepisset, propior publicæ expeditioni quàm priuato affectui, agmen eadem qua prius celeritate promouit, neq; animo aut officio quo minus cœpto insisteret, remissior fuit: sed neque oculos ad singularem luctum à generalis militiæ contemplatione deflexit, adeò rerum ac temporis statum inter fortem patrem ac strenuum ducem egregia animi moderatione diuisit, nec minus in toleranda filij morte, quàm in hostium appetenda perspicui roboris spectaculum præbuit. Cuius impetum Richardus Siciliam petens, fuga præcurrere maturauit. Interea Kanutus ob grauis militiæ labores aduersa valetudine pressus, cum se corporis firmitate defectum, ac mox spiritu cariturum animaduerteret, conuocatos proceres, non nisi bello confecto, domos reuerti iussit, haud dubie victoria potituros, si funebri eius lecto humeros in acie subiecissent, atque inter primos præliantium globos ducis nomine corpus suum exanime pertulissent, idq; fugato hoste quo clarius cinerum suorum monimentum extaret, apud Rothomagum promissa indigenis libertate, sepulturæ mandarent, facile vsuros conditione Gallos, si ilico hostem finibus suis excessurum cognoscerent, paruoq; impendio grandi patriam metu liberare quiuissent. O immensam perituri regis industriam, quæ suis in vltimas rerum angustias deuolutis, disciplina quàm

ſpiritu viuidior affuit. Enimuero ſuperſtitum ſalus decedentis ingenio ſtetit. Nam corpus eius funebri lecto à militibus in acie perlatum, ad Danorum vſq; victoriam veluti viua adhortatione profecit, vt non minus extincti, quam ſuperſtitis fortunæ pondus ineſſe crederes. Cui mox ſepulturam diſceſſuros ſe pacti à Rothomagenſibus expetiuerunt. Rapuere conditionem hoſtes, cineribusq; eius in vrbe ſua acquieſcendi locum dederunt. Ita milites ſuſcepti monitus ratione, pugnam, pactionem, ſepulturam atque exequias proſecuti, fato functum humeris ſuis regem in acie pertulerunt, victoresq; funerato eo ſumptis tantum commeatibus, ad propria reditum habuerunt. Hunc Kanutus exitum habuit, quo nemo noſtrorum regum, tametſi plura alij victorijs illuſtrauerint, ſplendidior fuit. Adeò enim operum eius magnitudinem propitiæ famæ fides auxerat, vt quos rerum geſtarum gloria pares habuerat, amplitudine claritatis excellat. Cumq; aliorum ſplendorem ignorantiæ obſcuritas, ac vetuſtatis rubigo perederit, huius decus longa famæ vſurpatione ſubnixum, perpetuis memoriæ fructibus reuireſcit. Siquidem ſanctitate ac fortitudine inſtructiſſimus, non minus religionem, quam regnum proferre curæ habuit. Quippe cum bellicis late titulis inclaruiſſet, placidiore ſtudio vſus, ex fiſco ſuo compluribus in locis priuatorum clericorum conuictu inſtituto, cellularum frequentiam nouis conuenticulis auxit, ſacrorumq; venerationem, quam maximam ſemper exhibuerat, regiarum opum impendio ſtipendijs multiplicauit: monachalem quoque ordinem vberiorem reliquit, ne ferociæ propior quàm pietatis officijs videretur, æquam ſibi vtriuſque laudem adijcere cupiens. Cuius ſtudij induſtria ad tantum claritatis lumen acceſſit, vt cum fortiſſimorum regum bellica virtus antiquitate exoleuerit, eius famam gloriæ quæſtu opulentiſſimam tenaciſſima poſteritatis agnitio comprehenderit. Interea Sueno Eſtrithæ filius expectato apud Angliam Kanuto, quo plenius incolis auſum defectionis excuteret, militiam præſidijs ſparſit, ne libera monimentorum occupatione ſuſpectas Anglorum vires armaret. Vt autem Noruagienſibus mortis Kanuti nuncius adfuit, continuò pudore externi obſequij Danicum detrectantes imperium, ad Olaui filium Magnum, cui bonitas ſua cognomini erat, deficiunt, eiq; regnum imponunt. Quippe ſpectata patris ſanctitas popularium ei fauorem conciliauerat. Neque enim parenti gratiam impendiſſe contenti, in filium quoq; fauorem extenderant. Interea Kanutus haud leuius Noruagicæ perfidiæ quam paterni fati rumore perculſus, vereri cœpit, ne ſi finitimorum bello intenderet, ex dilatione rerum Anglia per abſentiam careret, ideoq; minoris regni defectionem tolerare, quam maiori conſimilis auſus locum tribuere, conſultius duxit, leuiori malo ſolam grauioris formidinem præponderare iudicans. Itaque diſſimulata iniuriarum offenſa conditione defectorem aggreditur, iureiurando pactus, eius qui prior decederet, ſuperſtiti regnum eſſe ceſſurum, ne priſcam regnandi conſuetudinem noua regnorum partitio laceraret, rerumq; quondam iunctarum diuiduam efficeret ſummam. Adeò enim Daniam Noruagiãq; vnius eſſe regiminis affectabat, vt alteram alteri ſubijci quam vtramq; ſeparatim regnum gerere præoptaret, patriæq; exteros imperitare, quam patriam ſine exteris imperium gerere mallet. Quæ nimirum conditio eo ſtoliditati propior, quo fortunæ ſubiectior, alterutri aut ſplendidum imperium, aut ſordidam paritura fuerat ſeruitutem. In hanc pacti fidem vtraque pars ſacramento conuenit. Deinde Angliam profectus cum cuncta Suenonis induſtria pace pleniſſima comperiſſet, Eduardum fratrem quem eiuſdem nominis pater ex Immæ matrimonio ſuſtulit, in regni ſocietatem adſciſcit, non quod fraterno illum affectu coleret, ſed vt eius ambitionem munificentia ac liberalitate præcurreret, regniq; parte potitum, totum cupere prohiberet. Itaq; non tam veneratione charum quam popularium ambitione, paterniq; generis autoritate ſuſpectum, conſortem imperij facit. Verum Eduardo humilior origine animus fuit, ſiquidem obtuſi admodum cordis obſcuriorem indolis experientiam præbuit. Kanutus cum biennio regnaſſet defungitur. Cuius Sueno propinquitate fiſus, relictis apud Angliam præſidijs, Daniam nauigatione contendit, retinendæ inſulæ ſpem non ſolum in Godouini

Patris probitas filio popularium fauorẽ conciliat.

filijs,

filijs, quibus sanguine admodum coniunctus fuerat, reponens, sed etiam ex ipsa consortis sui stoliditate desidiaq; præsumens. Quod audiens Magnus, Daniam perinde ac sibi mutuæ pactionis lege debitam, ipsiusq; Kanuti testamento legatam, æquis popularium animis occupat, Suenoniq; cognationis rationem edenti, pristinam fœderis conditionem opponit. Nec dubitauit alienissimum sibi, sanguini suo regnum legati titulo postulare. Sed & Dani pacti cui se sacramento obligauerant ratione permoti, constantius religionis quàm familiaritatis fidem præstandam putabant, ideoq; facta competitorum æstimatione, alienum domestico prætulerunt, curiosius fœderis pignus quàm debitam regno prosapiam intuentes, fideiq; suæ quam patriæ respectui propiores. Igitur alienigenæ partes religioso fauore complexi, præteritam Kanuti familiam regum suorum sanguinem repulsæ deformitate confundere, quàm iurisiurandi vinculum perrumpere maluerunt, suffragiorum iura non adulationis, sed fidei intuitu ponderantes, seq; plus religioni quam regno debere confessi. Adeò promissionem suam sequestram periurij fieri noluerunt. Quanti igitur roboris fuisse tunc inter ciues iustitiam credimus, cum inter diuersæ nationis viros tantum virium possedisse cernamus? Et vtinam adultæ iam religioni ea apud nostros vis, autoritasq; constaret, quam inter antiquos tenera atq; eneruis habuerat. Contrà Sueno subiectam stoliditati conditionem reputans, temerarium consobrini pactum nequicquam rescindere cupiebat, perquam stultum argumentando, quibus antè imperitassent obsequi, inq; vnius iuramenti imprudentia communem deponere libertatem, atq; ex fulgenti imperio repente in humilimam concedere seruitutem. Sed religiosa popularium sententia superabat, quorum arbitrio pacti non sanguinis habitus æstimabatur. Verum vt Magni votis Danica fides respondit, ita Suenonis crudelitatem Anglica perfidia circumuentam oppressit. Nam post eius ab Anglia profectionem, Godouini filius Haraldus spe improba totius Angliæ regnum complexus, participato cum incolis consilio, Danicum vt erat per præsidia distributus exercitum compluribus separatim vicis vno eodemq; tempore magnifico conuiuiorum apparatu per obsequij simulationem excipi iussit, meroq; ac somno sopitum noctu per insidias trucidandum curauit. Ea nox paruulo temporis momento vetustam Danorum dominationem, diuq; maiorum virtute elaboratum finiuit imperium. Sed neque id postera nostris fortuna restituit. Ita Anglia dominandi ius ignauia perditum scelere recuperauit. Igitur Haraldus Danicæ oppressionis, simulq; domesticæ libertatis autor, Eduardo summam, facta non animi eius, sed sanguinis æstimatione, permittit, quatenus ille nominis, ipse rerum vsurpatione regnaret, & quô nobilitate peruenire non posset, potentia vallatus assurgeret. Eduardus vero sola generis autoritate, non prudentiæ ratione munitus, vano maiestatis obtentu prauorum ingenia, maiorumq; petulantiam nutriebat, titulo rex patriæ, conditione miserabilis, procerum verna, contentus quod alij fructum, ipse vmbram tantum ac speciem occupasset. Ita Anglorum inter se summam, nomen atq; potentiam diuiserunt, tituliq; ius ac rerum dominium veluti diuersis ab inuicem gradibus differebant. Sed nec Haraldus alienum specie regnum gessisse contentus, propriam claritatis imaginem affectabat. Igitur Eduardo ipsum quoq; nuncupationis decus inuidit, omniaq; regni insignia in se ipsum transferre conatus, cupiditati aditum scelere petiuit, occisoq; rege, tituli qui solus sibi deesse videbatur, gloriam occupauit. Interea Sueno tametsi rara fautorum ope subnixus, belli cum Magno fortunam experiri decreuit, cumq; paucis & incompositis aduersus multitudinem manum conserere cunctatus non est. Igitur in Iutia prius maritima, deinde equestri pugna sinistris congressus auspicijs, vtraq; victus concessit in Fioniam, nec armis maior quàm agmine fuit. Cumq; se omni auxilio desertum, nec hostium tantum, sed etiam suorum contemptu perfusum videret, Sialandiam, Scaniamq; prætergressus, Suetiam maternæ necessitudinis fiducia petere cogitabat. Quem Magno terra mariq; pertinacius insequente, in Iutiam se repente Sclauicus effudit exercitus. Quorum irruptio dubium victori effecit, fugacem ne hostem pellere, an imminentem excipere debuisset. Quidam enim gentis illius no-

Anglia quomodo ius dominandi perdiderit & postea recuperauerit.

bilissimus, duodecim filijs maritimis prædonibus apud Daniam spoliatus, Iutorũ fines ferro orbitatem vlturus inuasit. Quamobrem Magnus perseuerantissimis popularium precibus committendi prælij autorem agere postulatus, omisso æmulo à domestico hoste in externum arma conuertit, & quasi priuatæ affectionis oblitus publicam induit, ne suas quã regni partes curiosius egisse videretur. Nec dubitauit alienigeni sanguinis dux summa adhuc fluctuante in seipsum dubiæ potestatis transferre periculum. Nocte vero quam belli dies insecutus est, quietem eius certæ prædictionis species adumbrauit. Quippe somnum capienti imago cuiusdam obuersata prædixit, hoste eum superiorem futurum, inq; aquilæ nece victoriæ fidem auspiciaq; sumpturum. Expergefactus rex visionis ordinem die postera magna cum omnium admiratione vulgauit. Sed & somno omen consentaneum fuit. Progresso nanq; exercitu aquilam quæ in quiete demonstrata fuerat, comminus considere conspectam, pernici equo aduolans hasta petiuit, fugamq; alitis veloci iaculo præcucurrit. Itaq; nouitate rei ad spem victoriæ spectatores erexit. Arripuit igitur omen exercitus, atq; fortuito aquilæ occasu certissimam hostium ruinam interpretatus est. Cuncti quippe euentum somnio congruisse cernentes, perinde atque securi rerum in fortunam suam acceptæ rei præsagium referunt, & quasi indubitatam vincendi sortem, pari mentiũ alacritate præsumunt, quos eò audaciæ ipsa auspicij religio prouehebat, vt iam sibi victoriam ante oculos præponentes, absque respectu periculorum certatim in prælium prosilirent. Quibus primã pugnandi occasionem corripientibus, eodemq; euentu quo omine dimicantibus, cæduntur funditus Sclaui, victor Magnus felici pugna popularibus percharus euasit, eorumq; propensiore subsidio roboratus, ad prosequendum regni æmulum redit, eo quidem instantius, quod rerum successus quo plus sibi gratiæ peperit, hoc magis Suenonis fauorem absumpsit, auersoq; vulgi animo magnopere residuum eius debilitauit auxilium, nec solum contrahendarum virium spem sustulit, sed etiam contractas excussit. Quinetiam Guthscalcus Sclauicus inter cæteros qui infelicis eius militiæ stipendia deseruerant, diu se sub alienis auspicijs rem infeliciter gessisse considerans, cum domino nihil spei relictum animaduerteret, militem exuens defectorem agere non erubuit, suamq; experiri fortunam quam alienam sequi tutius duxit, vt cum regem meliora speraturum diffideret, paternæ saltem neci vltionem non negaret. Consilio respondit euentus, siquidem gestis varie bellis Slauiam suæ ditionis effecit, vtq; externis rebus infractus, ita domesticis inuictus apparuit. Nec quæsitæ dominationis felicitate cõtentus, Saxoniam postmodum parentis necem vltus obtriuit, paruæ glorię regnũ, aut diuitias reputans, si non vltionem opibus adiecisset. Adeò autem Magnus ob vindictam finium suis charus haberi cæptus est, vt omnium consensu boni cognomine censeretur, quodque aliorum moribus tribui assolet, fortunæ laudibus impetraret. Sueno vero desperatis iam rebus in Scaniam, vt diximus, profectus, Suetiam (nam paternum inde genus traxerat) reuisere proponebat. Quem Magnus concitato animi impetu subsecutus, cum oppidum Alexthathiam præteriret, deturbato per occursum leporis equo, trunco cuius præacuti forte stipites eminebant adactus extinguitur: corpus eius Noruagiam relatum Throndemi in regiorum monumentorum area sepulturam possedit. Ita Suenoni angustissimis fortunæ casibus implicato, omniq; mortalium ope defecto, præsidium supernæ pietatis affulsit, regnumq; quo illum fortunæ iniquitas spoliauit, eiusdem beneficium reddidit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANORVM LIBER VNDECIMVS.

POST hæc Daniæ ſtatus varijs rerũ caſibus fluctuatus eſt. Quippe Sueno ſummam ſucceſſu magis quàm viribus capit. Sed neq; ad reſtituendam Danici nominis fortunam quicquam eius ſuſceptione profecit. Nam adeò nec fauore felix, nec imperio efficax fuit, vt ſubiectorum animos veteris offenſæ acerbitatem redolentes, ad ſyncerum ſui cultum adduceret, aut ira abſtractos ad placidiorem mentis habitum inclinaret. Tanta ſiquidem mole in Danorum præcordijs prioris odij reliquiæ conſederunt, vt priuatos motus reipublicæ vſibus anteferrent, honoremq; patriæ ſua deperire ſocordia, quam ſuſcepti ducis auſpicijs reſtitui præoptarent. Neq; enim facile propagata odiorum ſementis ſtirpitus interit, quippe vt gratiæ in odium deflexus facilis, ita odij ad gratiam difficilis eſſe tranſitus conſueuit, raroq; animus quem ſemel grauiter faſtidiuit, ſynceræ fidei ſtipendijs excolit, aut cum quo vehementes primum inimicitias geſſit, affectuoſe poſtmodum in gratiam redit. Cuius impotentiæ vis à ſimultatis ardore profecta, arcanisq; æmulationis flammis alita, non ſolum gerendarum præclare rerum ſpem ſuſtulit, ſed etiam magnifice geſtarum gloriam corrupit. Verum ea res, vt nouæ maieſtatis conceptum, ita prioris fideliter cultæ indicium edidit, ſimulq; recentis iniuriæ crimen & priſtinæ fidei perfectionem exhibuit. Principio regni Suenonis Roſkildenſium ſacrorum antiſtes Anachus moritur. Sufficitur Wilhelmus, quo Kanutus maior & ſcriba & ſacerdote vſus fuerat, genere quidem Anglus, ſed omnium virtutum partibus ac numeris abunde inſtructus, idemq; pontificalium ſacrorum apprime peritus. Ad cuius vſq; tempora Scaniæ genti religionis priuilegio Roſkildenſis præſidebat autoritas. Ab eo viro diuiduum eſſe ſacerdotium cœpit. Cuius Scania veluti alteram partem adepta, protinus inter coniuncta admodum oppida nouam muneris potentiam partita eſt. Nam Lundia Dalbiaq; protinus ſuſceptum inter ſe ſacrorum diuiſere primatum, geminaq; eiuſdem dignitatis vſurpatione certarunt. Nam alteri Henricus, Eginus alteri ſacerdos acceſſit. Verum Henrico ob immoderatum potionis vſum abſumpto, pontificatus eius vniuerſum ius, omniaq; honoris inſignia ad Eginum Lundenſium præſulem conceſſerunt, ac veluti in vnum corpus vtraq; ſacerdotij ſumma confluxit, quanquam meritò in ebrioſi antiſtitis fato ſobrius ciuium honos expirare non debuit. Sed in gregis perniciem ſordida paſtoris intemperantia redundauit, innoxiaq; ciuitas poti pontificis temulentiam deponendi ſacerdotij cauſam habuit. Ita alterum inimica bibendi cupiditas abſtulit, alterum ſalutaris continentiæ diſciplina prouexit. Indignum populari nedum pontifice exceſſum, cuius plenam ignominiæ ſortem omnis æui deriſus pleno cauillationis ludibrio proſequitur. Ita bibulus præſul candorem ſacerdotij turpiſſimis gulæ maculis obſoletum, quem viuendo corruperat, moriendo conſumpſit, humaniq; calicis cupido hauſtu diuini vſum amittere meruit. Cumq; ordini gloriam deberet, notam intulit, pro virtutis conciliatore probri autor effectus. Nec immeritò, qui alijs continentiæ & frugalitatis ſpecimen exhibere debuerat, tam indecenti fato violatæ ſobrietatis pœnas pendebat. Huius memoria Danicis annalibus non paruæ eſt verecundię, quoniam perridicula morte conſumptus, priuatum opprobriũ publico rubore perfudit. Hoc loci ſplendida Haraldi memoria tempeſtiuam ſui exhibet mentionem. Qui quum fratre caſſus, ſalutem ſuã intra patriam tueri non poſſet, fugam Byzantio credidit. A cuius rege homicidij crimine damnatus, domeſtico draconi lacerandus obiectari præcipitur. Nihil enim eius morſu ad necandos reos valentius ducebatur. Cui in carcerem eunti ingenuæ fidei ſeruus vltro ſeſe damnationis comitem obtulit. Exuit vernam vt ſocium ageret, mortemq; excipere quàm domino deeſſe maluit. Vtrunq; is qui cuſtodiæ præerat curioſius

Præſul bibulus.

Haraldus frater ſancti Olaui ad beſtias damnatus.

obſeruatum, per os antri inermem excuſſumq; demiſit. Itaq; nudato miniſtro, Haraldum verecundiæ gratia lintheo tantum diſcinctum excepit. A quo clàm armilla donatus, piſciculis pauimentum inſtrauit, vt haberet draco in quo primæ famis procurſum effunderet, reorumq; carceralibus tenebris obfuſi oculi vel paruulã perſpiciendi copiam ipſo ſquamarum nitore capeſſerent. Tunc Haraldus lecta cadauerum oſſa anguſtijs telæ conſertioris implicuit, hiſdemq; in vnum globũ coactis veluti clauam effecit. Cumq; allapſus draco in obiectam perquam auide prædam irrueret, dorſum eius veloci ſaltu conſcendens, cultellum tonſorium, quem ſecum fortè tectum attulerat, vmbilico qui ſolus ferro patebat, immerſit. Sectionem enim rigidiſſimis ſquamis obſitus ſerpens cætera corporis parte ſpernebat. Hunc cultellum Waldemarus rex res geſtas cognoſcendi ac referendi cupidiſſimus, rubigine exeſum, vixq; ſecandi ſufficientem miniſterio, familiaribus ſæpe monſtrabat. Sed neq; Haraldus ob ſeſſionis eminentiam ingenti belluæ ore corripi, dentiúmue acumine noceri, aut caudæ voluminibus elidi poterat. Miniſter vero compacto geſtamine vſus, conuerberatum belluæ caput ad ſanguinem & necem vſq; crebris ictum ponderibus contundebat. Quo cognito rex vltione in animi rationem verſa, fortitudini ſupplicium remiſit, ſalutemq; animoſitati tribuendam putauit. Nec pœnam remiſiſſe contentus, addidit charitatem. Nauigio enim ſtipendioq; donatos abire permiſit. Cumq; crimini ſupplicium deberet, fortitudini pepercit, virtutemq; colere quam culpam punire maluit. Reuerſus Haraldus Noruagiam occupat, eaq; potitus, arma in Daniam transfert. Igitur Sueno contractis lutis cupidius quam conſideratius apud Dyurſam fluuium totam Noruagienſium manum aggreſſus, vt claſſe, ita bello quoq; inferior fuit, copiarum numero reſpondente fortuna. Siquidẽ tam infeliciter quam temere dimicauit. Maxima lutorũ pars ferri metu flumen inſiluit, præreptoq; hoſtis officio, ſuaui quàm aliena conſumi tutius duxit. Itaq; quod ab hoſte timebat, ſibi ipſa conciuit, inq; gemino fati delectu vnda, quàm armis perire maluit. Igitur dum alterum mortis genus timide declinauit, alterum cupide comprehendit, dumq; aduerſarium refugit, hoſtilem in ſe ipſa crudelitatẽ exercuit, tanquam ſpiritũ placidius aquis quàm aëri redditura, ac violentiorẽ exitum ferro, quàm fluctibus expertura: ita neſcias viriliter mortẽ, an effœminate petiuerint, incertũq; vtrum fati cupidis ignauia, an virtus inceſſerit, quoniã tam vehemens animi æſtus fortes ne an timidi ſpiritus ſui raptores extiterint, ambiguæ exiſtimationis eſſe fecit. Breui poſt dux victi agminis Sueno Scaniæ, Sialandiæq;, ac præterea quarundã inſularũ viribus recreatus, Viſzan fluuium claſſe corripit, eademq; ſuperuenienti Haraldo obuiam in altum procedit. Cumq; Dani paucitatẽ ſuã hoſtilis frequentiæ cõparatione penſaſſent, raritati cõſertione ſuccurrẽdũ rati, digeſta in ordinẽ nauigia tenaculis ſociare cœperunt, quatenus cõtinenti nexu cohærens claſſis expeditius opi inuicẽ ferendæ iter ſterneret, cunctisq; hac neceſſitate duratis, tam fugæ quàm victoriæ indiſſolubilis cõmunio foret, nec cuiquã à tãta collegij firmitate dilabẽdi fas eſſet: adeò imbecillitatẽ neceſſitate roborandã duxerũt. Hic nobis Aſlace Skyalmonis Candidi remex ob immenſam bellicæ virtutis gloriã literarum præconijs inculcandus occurris. Danis ſiquidẽ aduerſum Noruagienſes maritimo certamine decernentibus, non contentus clariſſimam pugnã intra propriũ edidiſſe nauigiũ, omnibus corporis tui munimentis præter ſcutũ abiectis, confertiſſimã hoſtiũ ratem inſiluiſti, quercuq; quam in gubernaculi prius colligamentum excideras, viribus fretus hoſtium corpora conuerberaſti, eiusq; crebris & vegetis ictibus quicquid obuiũ fuerat obtriuiſti, ingentiq; verberum fragore ſtupentes præliantiũ animos à proprijs periculis ad tuæ virtutis ſpectaculũ deflexiſti. Quinetiã fortiſſimos vtriuſq; agminis bellatores, operis tui admiratione ſuſcepti certaminis immemores reddiſti, pugnæq; ac periculorũ oblitis auidius te intuendi, quã ſeipſos tuendi ſtudiũ incuſſiſti, ita vt promptiſſimi quiq; neglecto diſcriminis ſui negocio, plus te viſo ſtuporis, quã ex dubia ſalute formidinis caperent. Itaq; fortius fuſte, quàm cæteri ferro, rem geſſiſti, cunctaq; intolerabili modo comminuens, hinc Danicis, inde Noruagicis oculis incredibilem niſi ſpectareris operam edidiſti. Adeò autem ſo-

ciorum

ciorum paucitatem hostium multitudini coęquasti, vt disparem viribus pugnam in noctẽ vsq; par belli succeſſus extraheret, numeroq; diſſimiles copias fortuna perſimiles reddidiſti. Poſtremo quum omnem nauis remigem partim fuſte, partim fluctibus obruiſſes, cõpluribus ſed leuibus plagis perſtrictus, ex tot hoſtibus admirabilem ſolus victoriam retuliſti. Quæ res veri fidem excederet, ſi non Abſolon autor ſuis eam relatibus tradidiſſet. Verum Danis nullam vitium acceſſionem circumſpicientibus, Noruagienſibus inſperatus domeſtici ducis aduentus affulſit. Quo viſo Scanienſes contuſis debilitatisq; animis noctu, ne res ſtrepitu proderetur, claſſis ſocietatem ſoluere, reciſisq; vinculis, ac perrupta nexuũ conſortione, à cætero agmine intempeſta ſe nocte ſubducunt. Deinde tacitis remorum ictibus fugã adepti, furtiuo diſceſſu fluminis diuerticula quibus exceſſerant, repetebant, ibiq; relictis nauibus paſſim per auia profugere, meritò omnis Danicę ętatis cõuicio lacerandi. Cuius fugæ deformitas autoribus quãmaxime erubeſcẽda, ad poſteros quoq; probroſa deſcendit. Luce reddita Sueno fugitiuæ admodũ claſſis pudore perculſus, pertinaciſſima reſiſtendi virtute fortunã ſuam armis, quam fugæ credere maluit. Igitur quanquam & claſſis, & militum numero inferiorẽ ſe cerneret, exiguas bello reliquias applicat, virtute ſua ſociale probrum abluere cupiens, bellaq; animorũ quã numeri robore fortius geri iudicans. Sed peſtiferum temere initi certaminis exitum expertus eſt, quippe numero victoria paruit. Skyalmo Candidus, cuius nutu ſuo tempore totius Sialandiæ vires regebantur, grauiter aſtrictus, immenſaq; hoſtium multitudine concluſus, capitur, non quod timide præliatus, ſed quia labente ſanguine viribus prorſus vacuus extitit, tantumq; eius apud victores amplitudini donatum eſt, vt aliàs captiuis parcere inſoliti, ſaluti ipſius cuſtodiæ præſidium adhiberent. Quippe tam conſpicuæ dignitatis virum ferro aggredi paſſi non ſunt. Neq; enim præſens illi fortuna præteritæ venerationem adimere valuit. Sed hanc cuſtodiæ vim apud Caprinum lacũ profunda nocte decepit. Cæterum Haraldus non contentus Danorũ vires duabus exhauſiſſe victorijs, ijſdem hoſtili ſtudio frequentius imminebat. Cuius quũ Sueno inſtanter motibus vrgeretur, laceſſitæ patriæ defenſionem maiore fiducia, quàm fortuna parabat. Tertio tamen bina prius clade afflictus, fortunam ſuam publicis armis committere verebatur, qui iam rem Danicam duarum pugnarum temerarijs ingreſſibus à ſe confractam videbat. Interea minores Godouini filij regni æmulatione maiorem peroſi, voluntario ſeceſſu inuiſam eius dominationem vitarunt, vltroq; exilij tenebras ferre, quàm fraternæ intra patriam fortunæ ſplendorem conſpicere maluerunt. Ad vltimum Haraldũ Noruagiæ regem obſequij promiſſione conueniunt, ſuã patriæq; ſubiectionẽ polliciti, ſi ſumma per eum potiri quiuiſſent. Rapuit oblationẽ exulum auida dominationis ambitio, Angliæq; littoribus Noruagica claſſis aduehitur. Eodẽ fortè tempore Normanorũ dux pari impetu diuerſum inſulæ latus aggreditur. Cuius rex Haraldus inter geminas hoſtium partes anceps quam priorem exciperet, aliquandiu liberũ vtriq; procurſum reliquit. Quam ipſius cunctationẽ Noruagienſes timori conſentaneã rati, neglectis corporum munimentis, perinde ac ſecuri periculorum validius prædæ incubuerunt. Sed dum incautius ruunt ſparſi palantesq;, ab Anglis nullo negocio trucidati ſunt. Ea res victoribus maxima quæq; audendi fiduciam miniſtrauit. Sed mox temere credente audacia Normanos adorti, infelici pugna recentis victorię titulum perdiderunt. Neq; vllum victi regis veſtigium extitiſſet, niſi poſtmodum ab agreſtibus obſcuro ſolitudinis loco repertus proderetur. Cuius filij duo confeſtim in Daniam cum ſorore migrarunt. Quos Sueno paterni eorum meriti oblitus, conſanguineæ pietatis more excepit, puellamq; Rutenorum regi Waldemaro, qui & ipſe Iarizlauus à ſuis eſt appellatus, nuptum dedit. Eidem poſtmodum noſtri temporis dux vt ſanguinis, ita & nominis hæres ex filia nepos obuenit. Itaq; hinc Britannicus, inde Eous ſanguis in ſalutarẽ noſtri principis ortum confluens, communem ſtirpem duarũ gentium ornamentum effecit. Extincto Haraldo, cui ſcelera mali cognomen adiecerant, Suenonis regnum quod antè admodum claudicauerat, perinde atq; acerrimo hoſte vacuum, proſperioris fortunæ gradibus in

Maiorum mala facta poſteri ſolent eſſe probroſa.

Haraldus ob admiſſa facinora malus cognominatus.

cedebat, oppressumq; Daniæ gubernaculum plena prosperitatis vela soluebant. Hic quum liberalitate illustris, beneficentia celeber, cunctisq; humanitatis partibus perfectissimus haberetur, etiam sacrarum ædium condendarum, ornandarumq; curam intentissime edidit, rudemq; adhuc sacrorum patriam ad cultiorem religionis vsum perduxit. Verum hunc morum candorem sola libidinis intemperantia maculabat. Complurium nanq; illustrium puellarum castitate delibata, vt nullum ex matrimonio, ita complures ex pellicibus filios sustulit: è quibus fuere cum Gormone Haraldus, cum Suenone Omundus. His accessere Vbbo & Olauus, Nicolaus, Biorno, atq; Benedictus, paterno quam maxime, materno minimum sanguini respondentes. Consimilis copulæ obscuritas Kanutum & Ericum maxima patriæ ornamenta progenuit. Sed & filia Siritha quæ postmodum Guthstalco Sclauico coniunx accessit, in sequentibus referenda, pellice pariter orta proditur. Tandem rex animum suum ab illecebris luxuriæ & immoderato Veneris vsu retractum, genialis tori castitate cohibere constituit. Vt ergo multorum pellicatuum experientiam licenti nuptiarum vsu, vniusq; matrimonij lege redimeret, nec talibus vlterius cubiculis maiestatis suæ vigorem absumeret, Gutham Suetico rege genitam sanguine coniunctam sibi legitimæ prolis cupiditate complexus, simulata coniugij religione collegit, eiusq; coitum pro matrimonio habuit: ita vt dum ad coniugalia sacra celebranda animum induxit, eorum nomine flagitium colorauit: dumq; ab vno se crimine retrahit, in aliud repente prouoluit. Sed tolerabilius quod alieni sanguinis, quàm quod suæ propinquitatis copulam vsurpauit, quanquam vterq; huiusce Veneris vsus impudicitiæ crimini obnoxius sit. Quam rem Eginus & Wilhelmus intactam præterire passi non sunt: quippe regem à tam illicito thalamo frustra conantes abstrahere, monitisq; dirimendi contractus perseueranter aggressi, aduersum incestuosam eius libidinem debitæ reprehensionis amaritudinem destrinxerunt. Cumq; correptioni insistentes nihil se ea profecisse cognoscerent, apud Bremensium antistitem iniustas eius nuptias accusantes, maiori pontificio castigationis arbitriũ reliquerunt. A quo cum rex per sacram ac salutarem admonitionem incesti reus ageretur, disciplinæ minas opposuit, seq; ferro correptionis insolentiam repressurum edixit. Itaq; vexationis impatiens, plus crudelitati suæ quam sacrosancti iuris viribus indulgendũ putauit, religionisq; quam nuptæ desertor esse maluit. Quæ res ab Hamburgensibus maritimi periculi metu ad Bremenses pontificium transtulit. Hæc voluentem Wilhelmus propositum exequi monitis suis passus non est. Sanctitate enim consilij consentaneum furori impetum ab eius pectore submouit, maximaq; doctrinæ suæ perseuerantia studium eius à sententia reuocauit. Itaq; repente sanior affectus regis animum occupauit. Saluberrimo nanq; præceptoris imperio resipiscere coactus, continuò iniusti concubitus nexum rescidit, depositoq; stuprosæ mentis ardore, nuptam repudio submouit. Nec solum ira abstinuit, sed etiam ab illicita connubij vsurpatione mentem retraxit. Gutha quoq; paternos penates repetens, susceptis viduitatis insignibus cum summa morum synceritate consenuit, castitatemq; votis professa, virilis concubitus experientiam abdicauit. Et quia iniusto se toro maculauerat, nullum vlterius sibi iuri esse permisit. Sanctitatis siquidem amplexa propositum, reliquum vitæ tempus cœlebs exegit, ingentiq; pudicitiæ seueritate illiciti concubitus noxã licentis euitatione pensauit. Sed nec inerti ocio effluere passa, quotidiana consuetudine exquisita sacrariorũ ornamenta fingebat, inq; eandem operam continuam ancillularũ curam cogebat. Inter quæ chlamydem sacerdotalem subtilibus sigillis excultam, preciosæq; materiæ impensa ac mirifici operis arte elaboratã, Roskildensi sacrario doni nomine largita est. Alia quoque complura diuini cultus insignia sacrorum vsibus operata est. Sueno vero sacrorũ administratores quam maxime conuersatione probabiles contrahebat, in quibus quanquam scientiam veneraretur, morum tamen curiosius habitũ intuebatur, indignum ratus literatũ suauitati summũ familiaritatis consortiũ tribui. Adeò igitur honestatis scholam literarum rudimentis præponderare credebat, vt in agendo clericorũ delectu virtutis potius, quàm scientiæ elementa pensaret,

faret, lateraq; sua fidis quàm doctis obsequijs vallare mallet. Suenonẽ quoq; Norwagicæ regionis virum cunctis virtutis partibus ac numeris instructissimũ, sed parum iusta notitia literarum monimenta complexũ, in ius familiaritatis adciuerat. Hic ex præfectura ad sacerdotium translatus, tametsi Latinæ vocis penuria premeretur, domestici sermonis opibus abundabat. Quem cęteri ingenijs suis ob virtutem qua ipsis præstabat à rege præferri videntes, perridicula imperitię exprobratione scurriliter cauillandũ duxerunt. Rem enim diuinam acturo, derisus gratia affectum litura codicem subiecerunt. Qui quum salutẽ regi votis libello expressis solenni verborum precatione debuisset exposcere, ipsum famuli nomine designaturus, vitiata ab æmulis pagina, muli appellatione fœdauit. Neq; enim lituræ errorem correctionis beneficio redimere nouerat. Igitur circunstantes lectoris imperitiam iocabundo cachinnorũ anhelitu prosecuti, immodico ora risu soluerunt: ipso quoq; ioci irritamento religio in ludibriũ abijt. Finita actione rex amotum aræ libellum complexus, cum & ipsum inuida manu corruptũ & recentis lituræ vestigia causam inerter fusæ precationis aspiceret, inuidæ societatis animos detestatus, insultantiũ fraudem coarguit, ipsosq; obtrectatione vitiosiores, quam Suenonẽ insciti comprobabat. Eundem quoq; breui irrisoribus suis imperitiam exprobraturũ adiecit. Deinde scholam eum petere hortatus, sumptum se administraturũ promittit. Neq; hac re quicquã de consueta eius familiaritate decerpsit, ne inuidiæ respondisse potius quàm obstitisse videretur. Profectus Sueno efficacissime liberaliũ artium studijs operatus est. Quippe literarũ quibus parum inseruierat documenta sumere cupiens, percipiendæ earũ disciplinæ gratia, omissa domestica, peregrinæ scholæ erudiendum se dedit, animumq; doctrinę capacissimũ excolens, Latino se sermone assuefecit. Cuius studijs abunde instructus, vocabulorũ vim ad summa quęq; Grãmaticę rationis elemẽta animi docilitate percepit, abscisoq; rustici rigoris crimine, facundiã suam ingenij exercitatione politiorem effecit. Itaq; flagrãtissima discendi cupiditate clarũ sciẽtiæ magisteriũ retulit, breuiq; morarũ processu quos imperitiæ derisores habuit, ingenij admiratores inuenit. Primũ inter omnes Wilhelmus apud regem familiaritatis locũ occupauerat, eiusq; gratiæ mutua animi vicissitudine respõdebat. Etenim ab ipso cęteris impensius cultus, charitatis dignationẽ singulari fide pensabat. Horũ fidei rex tanquã tutissimis obsequijs latera sua cingenda cõmiserat. Sed & sequens casus in antistitẽ seueritatis pulcherrimũ, in rege certissimũ moderatiõis documẽtũ exhibuit. Ipse nanq; sacro circunciſiõis peruigilio solenni magnatũ cõuiuio feriatus, cũ quorundã principũ clandestina obtrectatione parũ honorate de se habitũ cõperisset sermonem, occultam eorum perfidiam temulentiæ lasciuijs detectã existimans, iræ aculeis actus, misit qui ipsos matutino tempore intra Trinitatis ædẽ oraturos confoderent, tanquã in sacris penetralibus aptissimus humanarũ cladium locus existeret. Itaq; actum erga cõuiuas facinus sarilegio duplicauit, ipsumq; pietatis domicilium crudelitatis officinam effecit, neque loci, aut temporis, quo minus cupiditati indulgeret, respectum habuit. Qua in re antistes, templi (vt par erat) violatione permotus, in primis dissimulanter excepit, neque indignationem suam vlla ex parte stipatoribus patefecit, opportuno vindictam tempore præbiturus. Nam quum rem diuinam pontificali more peragere debuisset, non solum aduentantem regem occurrendi veneratione excipere supersedit, sed etiam sacrarium subire connisum à primis eius liminibus absque respectu familiaritatis sacerdotij insignibus ornatus, baculo quo vtebatur excluſit, sacrorum penatium aditu indignum iudicans, quorum religionem non sine graui pacis rubore ciuili sanguine maculasset, suppressoq; dignitatis nomine non regem eum, sed humani cruoris carnificem appellabat. Nec reum obiurgasse contentus, aculeum virgæ eius pectori infixit, armatumq; duritia animum imperati parricidij pœnitere perdocuit. Enimuero priuatæ societati publicæ religionis verecundiam prætulit, non ignarus alia esse familiaritatis officia, alia sacerdotij iura, quibus seruorum æque ac dominorum, neque ingenuorum parcius, quàm ignobiliũ flagitia vindicari par est. Cumq; abunde foret repulsam egisse, etiam execra-

Episcopi seueritas in regem.

tionem adiecit,nec dubitauit in præsentẽ damnationis quoq; proferre sententiã. Itaq; mirifica audacia dubium reliquit, fortius illum manu ne, an voce pulsauerit, quẽ grauibus admodũ cõtumelijs proculcatũ prius linguæ, deinde dextræ repulsa mulctauit,inq; pectore quo virtutẽ antè coluerat,vitium cõtudit.Neq; enim in tam euidenti scelere longum vltionis tempus expectandũ putauit, facilius origini atq; incunabulis culpę,quàm vlterioribus eius incremẽtis occurrendũ existimãs, ne mora alitũ crimen diuturnitatis tractu cõualescceret. Igitur vt regem impotentiæ & temeritatis incursus transuersum in facinus egit,ita antistitẽ ad exercendam vindictã profecta à religionis æmulatione seueritas concitauit.Enimuero fortiter vindicata religione,& debitã ordini suo fidem, & alienæ temeritati salutarẽ reddidit disciplinã.Ne enim solenniũ officiorum tutelam omittere videretur,veluti indulgẽtiæ oblitus, seueritatẽ exercuit,neq; sanctitatis inimico amicus existere aut assentatoris potius quàm pontificis partes præsentare sustinuit. Cæterum specie hostem reuera amicum exhibuit,quia fida concordiæ pignora ac syncera familiaritatis stipendia potius iusti rigoris,quã iniqui fauoris examine ponderabat.Quapropter mansuetissimum ingenium suum deposita ad tempus clementia austeritati subiecit,meritoq; ad firmandam religionis disciplinã aliquid à crudelitate sibi paulisper mutuandum putauit. Quamobrem infesto militum concursu petitus, applicatos ceruici suo gladios animi firmitate contempsit, tantumq; se in despiciendis periculis gessit, quantũ egerat in prouocandis. Tanto animi robore præditus,tamq; generosi spiritus abundantia instructus,diuinæ charitatis munimento superior humani timoris viribus apparuit.Cuius rex inhibita nece, quum eum non temeraria offensa, sed publicæ seueritatis fiducia concitatum animaduerteret, conscientiæ rubore perfusus, scelerisq; quàm repulsæ pudore ægrior, continuò regiam repetit, quietamq; frontem contumelioſe correptus exhibuit, nec ipsa quidem generosæ indignationis verba inuitus audiuit. Deinde regia veste deposita obsoletam accepit, mœroremq; deformitate cultus, quàm splendore contumaciam testari maluit.Neq; enim tam tristi pontificis sententia perculsus,regalis magnificentiæ cultum gestare sustinuit. Sed abiectis regiæ maiestatis insignibus,insigne pœnitentiæ sagulum sumpsit. Quinetiam simul cum veste potentiam exuit, atq; ex sacrilego tyranno fidus sacrorũ venerator euasit. Siquidem nudatis pedibus ad atrium regressus,in eius se aditu prostrauit, terramq; suppliciter oscu-

Sacrilegus tyrannus, fidus sacrorũ fit venerator.

latus,dolorem qui ex contumelia acerrimus infligi solet, verecundia ac moderatione compressit.Neq; enim continuò repulsæ vindicem egit, sed pudore ac pœnitentia culpam cruenti imperij redemit.Exulasse huius animum in nequitia,non habitasse credimus: quẽ vt primo temeritas transuersum in facinus egit, ita postmodũ æquissima moderationis temperies rexit. Quanta enim mansuetudine pectus eius instructum fuisse putemus, qui pontificem palàm seueriſſimis sacerdotij viribus aduersum se vsum,non solũ impunitate donaret,sed etiam humilima veniæ petitione venerari sustinuit, gratiamq; tam pudoris patrocinio, quàm pœnitentię beneficio meruit? Diuina siquidem obsequio,non viribus propitianda nouerat,ideoq; atrocitatem sceleris verecunda mœroris acerbitate pensabat.Quinetiam paruulo pudoris irritamento magnopere confusus,excitatã ignominia virtutem rubori imperare coëgit, quantumq; violentiæ religioni crudeliter imperando incusserat, tantum venerationis vehementer animo contusus exoluit. Sed dum taliter se gerit,inusitatã sacerdotalis auxilij clementiam expertus est.Interea antistes inchoamento psallendi facto,primaq; concentus parte edita, quum græcæ precationi solennem ritegloriam subnectere debuisset, ex stipatoribus supplicem foribus regem adesse cognoscit.Igitur cessato cantu, cleroq; conticere iusso, fores repetens,quum regem quid ita se gereret percontatus fuisset, atq; ille crimis confessione facta, religioni sese satisfacturũ promittens, sacerdotalis subsidij veniã postulasset,continuò execratione remissa iacentem amplexus, absterſis lachrymis, depositisq; doloris insignibus, & cultum & animum regium resumere iussit, non licere inquiens priuatum mœrorem publicis interesse tripudijs. Neq; enim eum humiliorem dignitate sua vultum gerentem, aut supplicem liminibus aduolu-

aduolutum intueri ſuſtinuit, ſed benignioribus verbis recreatum, priſtinam veſtem, qua maieſtatem ſuam concinniorem efficeret, corpori reponere cultiorẽq; progredi iubet: ſatis graues eum pœnas religioni dediſſe ratus, qui ſe tam demiſſe agere, tamq; ſuppliciter poſternere ſuſtinuiſſet. Deinde imperatis pœnitentiæ rebus, cantores quorum frequentia ſolennitas agebatur, in occurſum eius quo ornatius reciperetur procedere iuſſit, ſtatimq; venerabiliter exceptum, cunctis lætitia ouantibus, ad aram vſq; perduxit. Ita prioris violentiæ ſpeciem honeſto comitatis genere temperauit, repulſæq; deformitatem ſpecioſo penſauit obſequio. Nec minus in pœnitentia venerationis, quã auſteritatis in admiſſo repoſuit. Quin etiam adhuc mœrenti ſolicitudinem detraxit, fiduciam adiecit, priuatæq; triſtitiæ ſalebram publica gratulatione diſcuſſit. Itaq; quod in potentis viri ſcelere pollutum fuerat, religioſa ſeueritate expiatum eſt. Sed & populus maximo plauſu tam ſpectatam in rege verecundiam comprobabat, plus pœnitentia pium, quàm imperio ſceleſtum euaſiſſe confeſſus. Peregerat iam pontifex ſeueri ac pij vindicis partes, inq; eodem rigoris & clementiæ experimento ſe geſſit, nec parcius veniam quàm vindictam exhibuit. Quippe cuius contumaciam ſeuere repulit, indulgenter modeſtiam coluit, ſicq; pietati iuſtitiam contemperauit, vt nec ſperneret ſupplicem, nec reciperet inſolentem. Qua in re paterni affectus habitum pleniſſime repræſentauit, quod parentis more correptionem blanditijs ſubſecutus, neq; aut elatum amplecti, aut demiſſum aſpernari ſuſtinuit. Poſt hæc omiſſa altaris ſacra repetens, ſummo patri regię expiationis gloriam ſuccinit, eoq; ſerenius gaudium ſubijt, quo tetrior luctus cauſa præceſſit. Rex ipſe biduum quiete peragens, tertio demum die regio cultu ornatus inter ipſa miſſæ ſacra excelſam ædis partem conſcendit, ſilentioq; per præconem venerabiliter acto, coram omnibus ſemet grauiſſima accuſatione perſtrinxit, acerbũ religioni vulnus inflixiſſe confeſſus. Deinde collaudata antiſtitis indulgentia, quod tanto crimini tam repente ignouerit, ſeq; iuſſu etſi non manu reum celerrime ſacrorum vſibus reſtituerit, pro tam cruenti imperij expiatione muneris loco Steffnicæ prouinciæ dimidiũ aris à ſe conferri publicat. Nec erubuit multorũ auribus ſingularem flagitij ſui committere notionem. Ea res inextricabilem regni, ſacerdotijq; concordiã operata eſt. Quippe rex non ſolum antiſtitem in eodem amicitiæ gradu habuit, ſed etiam maioribus dignitatis incrementis donauit, plus officijs eius ad gratiam, quàm contumelijs ad iracundiam concitatus, quem non priuata ira, ſed publicæ religionis iniuria aduerſum ſe prouocatum videbat. Hic enim mirificam illius ſeueritatem, ille ſanctiſſimam huius moderationem beneuolentiæ conſtantia proſequebatur. Sed & vterq; quotidianis votis ne tantæ animorũ concordiæ diuiduum fati tempus intercederet, exoptabat. Itaq; ſummæ venerationis officia certatim mutuis ſibi ſtudijs impendebant, adeoq; eximiam ſocietatis fidem honoris viciſſitudine nutriebant, vt potius inter eos amicitiæ paritas, quàm ſuperioris ad inferiorem familiaritas cerneretur. Veniam nunc ad Kanutum Suenonis filium, qui propitiæ fortunæ beneficio ſummis naturæ dotibus cumulatus, magno cum indolis experimento ætatem animo præcucurrit. Quippe contracta iuuentute myoparonum piratica monſtra perdomuit, Sembicis atque Eſtonicis illuſtrem trophæis adoleſcentiam egit, nouisq; virium gradibus paterni roboris fundamenta tranſcendit. Quæ victoria futurum eius dominium ominata eſt. Pro amplificanda tuendaq; patria iuges excubias geſſit, rerumq; quarum ob infirmã adhuc ætatem vix ſpectator eſſe potuit, autor haberi præſumpſit. Quinetiam iuuenile corpus continuo vſu ad bella impigre conficienda, armaq; viriliter ſuſtinenda firmabat, famaque eius bellica vi in tantum claritatis exceſſit, vt rediuiuum magni Kanuti ſpiritum fortunamq; ſimul cum nominis videretur communione ſortitus, adeò vt nullus eum paterni regni ſucceſſione potiturum ambigeret. Neq; enim virtute iam maturus, honori intempeſtiuus videbatur. Sed nec liberalitatis ſpecies eius adoleſcentiæ defuit, cuius fratrem Haraldũ natu maiorem obtuſi admodũ cordis interiuuentæ initia perpetuus inertiæ ſopor oppreſſum tenebat. Tandem Suenonem vltima penè ſenectute confectum, apud Suddathorp Iuticarum partium oppi-

dum febri implicatum aduersa corporis valetudo corripuit. Qui cum pestifero humore grassante fatalem cordi dolorem imminere cognosceret, paruulas adhuc extremi spiritus reliquias trahens, à præsentibus se Roskildiæ sepeliri petiuit. Nec ministerij eorum promisso contentus, sacramento fidem exegit. Siquidem loci illius religio regibus vetusto more exculta, vt viuis sedem, ita fato functis sepulturam præstare consuerat. Iamq; regis corpus ab ijsdem amplo funere elatum Sialandiam vsq; peruenerat, cum primum Wilhelmus in occursum eius veniendi mandata suscepit. Nec moratus ad vrbem cursu festinato contendit, inq; ipsa trinitatis æde accersitis qui terram ad solidum foderent, prius regi, deinde sibi tumulum extrui iubet. Quam vocem fossoribus potius à mœrore, quàm industria profectam putantibus, extinctisq; non viuis tumulo opus esse dicentibus, suum antequam regis funus ab eis excipiendum asseruit, non se voto fraudandum inquiens, quo cum eo commori semper optasset. Eosdem admiratione stupentes, imperium deliramento consentaneum existimantes, ad obsequendum pœnam, ni paruissent, comminatus adduxit. Ita adhuc experte morbi corpore, mortis certitudinem præsumebat. Deinde citato equo in occursum exequiarum contendens, cum ad nemus fortè Topshogicum peruenisset, duabus miræ proceritatis arboribus secus iter conspectis vtranq; præcidi, inq; vsum lecti funebris aptari præcepit. Illi sibi regalis feretri constructionem præcipi rati, imperium exequuntur. Compactum deinde vehiculum præstantibus robore equis imponunt. Cũq; pontifex syluam prætergressus regium in vicino funus adesse cognosceret, aurigam consistere iussit, ac protinus veluti laxamenti gratia amiculum quod habebat exuit, eiq; humi expanso seipsum præcipitem superiecit: deinde erectis supernè palmis, si quo rerum autori seruitio placuisset, vitam à se finiri petiuit. Sanè absque vlla fati cunctatione amicum morte insequi, quàm vita deserere præoptauit. Hæc fatus, veluti in domestico lectulo acquiescens extinguitur. O immensam concordiam, quæ superstite spiritu iucundior fuit. Quem famuli longam admodum cubandi moram egisse mirati, cum nequicquam erigere iacentem vellent, exanimem repererunt. Igitur recens omnibus inopinati funeris luctus exoritur. Ipse vero à suis feretro exceptus atq; ante regem elatus, vt fato posterior, ita funebri pompa prior extitit. Viris nanq; funebri Suenonis lecto humeros subijcientibus, ipse equis subuectus veluti quidam exequiarum eius auriga præcessit. Prior vero sacratio allatus, veram præsagij fidem retulit. Qua tam admirabili fati sorte potitus, se regis cultum charitati, quàm fortunæ erogasse perdocuit. Exequijs impensius actis, amborum corpora coniunctis admodum tumulis occluduntur. Hæc sunt veneranda amicitiæ stipendia, quæ cum è duobus eius consortibus alter excidit, reliquo vitæ dulcedine fastidita, mortis appetitum ingenerant. Post hæc Sueno Noricus quem suprà significaui, communibus cleri suffragijs sacerdotium sumit.

Trops orr.

Wilhelmi epi scopi obitus mirabilis.

Regiæ vero successionis delectum, anceps popularium sententia pertractabat. Maior nanq; Danorum pars memor quantis per Kanutum adhuc priuatæ fortunæ periculis obiecta fuerit, grauiora si regnum indueret verita, maligna virtutis interpres, quod gloriæ eius accrescere debuerat, iniquissima meritorum æstimatione damnabat, eleuatis virtutum præmijs clarissima eius opera repulsæ turpitudine rependendo. Igitur vt hunc negociorum metu perosa, ita Haraldum ocij cupiditate complexa, audaciæ hebetudinem prætulit, ignauumq; sibi regem maluit imperare quàm fortem. Quamobrem egregiæ indolis claritate contempta, negatum virtuti culmen vitio tribuere non erubuit, repulsa fortitudine, inertiam honoribus insecuta. Verum hunc ingratæ mentis habitum fucosa rationis specie colorabat, Haraldum perinde ac natu maiorem ipso naturæ iure regno debitum certans. Genus affectionis inusitatum: hunc virtus inuisum, illum vitium probabilem fecerat. Soli Scanienses iusta animi inclinatione prouecti, Kanuti probitate culta, Haraldi desidiã respuebant. Igitur Ysoram habendi delectus gratia conuenitur. Ibi quidem ingens oceani uastitas ostijs admodum angustis excipitur, furensq; fretum coactu littorum in arctas fauces terra compellit. Medium sinus harenæ

renæ tenent obscura nautarum celantes pericula, nam vt abiens eas æstus aperit, ita rediens claudit. Orienti Scania, cætera vero occidenti classis appulerat. Hic fratres apud suos quisq; fautores diuersis in locis concionati sunt. Tunc Haraldus vocato assensorum concilio, nequaquam contumeliosam sibi fratris prælationē videri refert, si non eum dignitate posteriorem sors ipsa nascendi fecisset, maioremq; à minore superari ridiculum esset. Qui etsi virtuti maturior videretur, se tamen naturæ ordine, ætatisq; priuilegio vincere. Præterea indignum fore ciuium illi vexationem, obiectamq; periculis patriam suffragari debere, suæ vero prouectioni seruatam in omnes clementiam obesse: nec ita merita ab eis æstimanda fore, vt miserias suas gratia felicitatis repulsa pensare cupiant. Nam ingratorū hanc maxime vicissitudinem esse. Ad hæc si summam assequatur, impias se leges abrogaturum, blandas placidasq; pro eorum arbitrio laturum promittit. Tanti igitur tamq; optati commodi promissorem concio, pestiferis eius blanditijs inuitata, regem appellat, paternum illi regnum deferens, cuius inertiæ contemptus magis quàm vllus honos aut gratia referri debuerat. Itaq; populi fauor orationis suauitate præreptus, plus fallacibus eius promissis, quàm inuictæ Kanuti fortitudini præstitit. Igitur fraternæ contentionis certamen varia assentatione subnixum, sine arbitris aut iudicibus, solis partium suffragijs gerebatur. Verum Haraldus imperitæ multitudinis errore suffultus, mox per legatos fratri mandat, ne decretam maiori summam ambiat, eumq; honore sibi postponat, quem nascendi serie priorem sciat, néue regnum maiorum virtutibus illustratum domesticæ atq; intestinæ discordiæ bello corrumpat, nec pernicioſa seditione diuiduos patriæ motus incutiat, sed potius clausum ambitioni animum gerat, abiectaq; temeritate competitoris sui, suffragatorem agere non erubescat. Adiectæ monitis minæ, mandataq; non tam blanditijs pacis, quàm belli irritamentis instructa. Præterea pleroſq; fraternæ partis fautores legum emendatione, liberioris q; vitæ iocunditate promissa, per subornatos in gratiam suam solicitandos curauit. Ita à Kanuto vulgi animos partim spes, partim metus auertit. Ipse deficientibus à se copijs, tribus duntaxat rostratis nauibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat, terminos auxerat. Vbi fraterna legatione regni communionem spondente reuerti monitus, spretis mandatorum blanditijs, Suetiam fugibundus intrauit, perquam stultum ratus eius se promissis infracta fortuna credere, cuius eadem adhuc vigente minas acceperit. Mox perinde atq; iniuriarum oblitus, intactis patriæ rebus bellum aduersum Orientales viuente patre cœptum, enixe prosequitur. Haraldus habito in octo dies concilio, quod promissis complexus fuerat, rebus prosequi monitus, vt regia maiestate popularem excoleret, in primis aduersum prouocationem restipulandi ius edidit, prioresq; defensionis partes quàm accusationis instrumenta constituit. Reo siquidem actoris ius in refellenda accusatione concessit, quam antea testium fide subnixam defensionis præsidio repellere non licebat. Quod ius vsurpatione firmatum vt familiare libertati, ita religioni pestiferum euasit. Ipsa nanq; defendendi potestas non armorum, non testium vsu, sed sola sacramenti fide subnixa, multorum conatus votorum cupiditate periurio polluit, sed & funditus singularium congressionum vsum euertit. Posteris nanq; susceptas causarum controuersias satius iureiurando visum est expedire, quàm ferro. Verum alterum religionis intuitu, alterum salutis respectu periculosius. Quem morem Dani pertinaciter retentum ad hoc vsq; tempus obstinate vsurpant, adeò vt vita magis, quàm eo carere cupiant, salutemq; suam pro ipsius obseruatione deuoueant. Haraldus vero solis sacrorum officijs deditus, latarum à se legum seueritate neglecta, impunitas omnium noxas enerui legum indulgentia præteribat, omniaq; statuti iuris munimenta conuulsit, ignarus plus deo synceram regni administrationem, quàm inania superstitionis momenta placere, seuerumq; iustitiæ cultum superuacua precum adulatione gratiorem existere. Præterea diuinum plenius propitiari numen, vbi iura quàm thura promuntur: plus scelerum quàm pectorum contusionem probare, libentius criminum quàm genuum flexus aspicere, nullamq;

Deo magis sceleru quàm pectorum placet contusio.

victimam vindicatæ pauperum libertati præferre. Quanquam enim regum maiestas rite religioni intendere debeat, aliquanto tamen speciosius interdum tribunalia, quàm aras excolere potest. His omissis rex sola sacrorum charitate conspicuus, iniquissimos actus profusa animi tolerantia sustinebat, pauciora experimentis prosecutus, quàm promissis complexus fuerat. Noxas non venia modo, sed etiam licentia prosequebatur, tamq; inopem iuris patriam reddidit, quam antea promissis diuitem fecit. Sed neq; à regijs moribus habituq; degenerare deforme ducebat. Regnando biennium emensus, defungitur.

Qvo mortuo Kanutus fraternis suffragijs in regni fastigiũ reuocatus, orientale bellum quod in adolescentia orsus, in exilio auspicatus fuerat, accepto solio potius amplificandæ religionis, quàm explendę cupiditatis gratia totis viribus innouandum curabat, cum incrementis fortunæ etiam claritatis augmentum apprehendere cupiens. Nec ante manum ab incœpto retraxit, quàm Curorũ, Sembonumq;, ac Estonum funditus regna delesset. Deinde sublato hoste nuptias circunspiciens, finitimaq; coniugia obscura ac dignitate sua minora reputans, præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethlam in matrimonium aduocauit, ex qua filius ei Carolus obuenit. Cumq; magnatum insolentia solutos hebetatosq; prisci iuris neruos aspiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris disciplinã connisus, probatioris iustitiæ cultum seueriſſimis edidit institutis, contusumq; & labentem æquitatis tenorem in pristinum habitum reuocauit. Non sanguini, non necessitudini, quo minus iuste se gereret, indulgentiam habuit, nullius amicitiæ aut familiaritati impunitatem iniuriæ tribuit: sed omnia antiquæ consuetudinis momenta præcurrens, labefactatum iuris vinculum tenacissimo nexu astrinxit, ac paternæ seueritatis vestigia solicitus vsurpauit, eoq; studio grauissimas maiorum offensas contraxit. Sacris decus suum reddebat. Sacerdotia gerentes gratiæ nutrimentis prosequebatur. Cumq; ab inerti & rudi populo parum iustam pontificibus venerationem haberi conspiceret, ne tanti nominis potitores inter priuatos relinqueret, decreti circunspectioris industria principum eis consortionem indulsit, ipsisq; primum inter proceres locum perinde ac ducibus assignauit, autoritatem honore concilians. Prouidit enim ne tanti officij pondus æquo minor veneratio caperet, inq; summa religionis arce positi, infima cultus conditione vilescerent. Nec solum pontificibus dignitatis incrementa donauit, sed etiam priuatorum clericorum ordinem benignissimis decretis adornare studebat. Nam quo cumulatiorem eis honorem redderet, literatorum controuersias vulgaris fori conditione exemptas, ad eiusdem professionis iudicium relegabat. Iisdem religionis reos obiecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia quæ aduersum diuina committerentur animaduersionis arbitrium tradidit, cunctasq; huiusce generis actiones sacerdotali iudicio destinatas à publico foro secreuit, ne honore impares conditio æquaret. Quamobrem dignitati pondus adiecit, decusq; priuato fastigio excelsius eorum respectui inesse voluit. Quo effectum est, vt Danorum nemini nisi regi aut pontificibus, eiq; qui potissimus regni successor aduertitur, domesticis quenquam liceat actionibus postulare. Idem populares adhuc sacrorum rudes decimarum religioni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit: quippe maturitatem rerum capere nouelli cultus rudimenta nequibant. Interea Sueno Roskildensis templi ædificationem à Wilhelmo cœptam saxeo opere prosecutus, cum perfecto sacello solas locandi pulpiti angustias, quo minus dedicatio perageretur obstare conspiceret, condendi eius gratia Wilhelmi monumentum summouit, cineresq; mausoleo erutos, eo loci vbi nunc acquiescunt transferendos curauit. Nocte igitur quam dedicationis dies insecuturus putabatur, sacristæ somnium capienti quidam sacerdotij insignibus decoratus per quietem præcepit, Suenoni sufficere diceret, quod in exædificando sacrario Wilhelmi sibi merita vendicasset, ac gloriæ suæ alieno labore partam arrogasset impensam, ne cuius famam aucupatus fuisset, etiam cineres submoueret, eosq; à Kanuti regis corpore separaret. Cuius facti pœnas haud dubie ab ipso violationis autore, nisi vitę eius sanctitas obstitisset, ex-

petendas

petendas fuisse: nunc vero in ipsas sacrarij partes ab eo conditas vlciscendum, seq; omnem operis eius molem funditus euersurum. Monuit quoq; ne quis suum de cætero tumulum attentare præsumeret, præfatus neminem qui cineres eius loco suo submouerit, impune laturum. Deinde baculo tectum impellere, totamq; operis molem diruere visus, somnij fidem ædis excidio comprobauit. Quippe sacrarium repente ab imis fundamentorum sedibus conuulsum excidit: adeoq; res visioni consentanea fuit, vt eodem temporis momento ruina somnij comes incederet, nocturnaq; vnius opinio omniū oculis interdiu subiecta clarescceret. Tantum autem rei miraculum extitit, vt ne collapsum quidem sacrarium custodem oppresserit. Nam neq; petrarum pondere quæ vndiq; congerebantur elisus, neq; vlla collapsæ molis importunitate quassatus, tutum quietis vsum habuit, quanquã cubile eius cadenti materiæ contiguum fuerit. Attoniti fragore ciues, ruinæ præsentis admiratione concurrunt, custodemq; excidio periisse creditum, medijs lapidum coagmentis incolumem egredi cernunt. Quæ res omnium in eum oculos religiosa vulgi admiratione conuertit, incertum vtrum templi lapsus an sacristæ salus plus visentibus stuporis attulerit. Nec paruulum visioni autor eius ab imminenti lapidum mole defensus præbuit argumentum. Qui cum antistiti nocturna Wilhelmi mandata prompsisset, subridens præsul, nil se mirari inquit, vitæ eius seueritati fati habitum respondere: suæ nihilominus solicitudinis fore, collapsas ædificij partes reficere. Quamobrem diu postmodum intactus Wilhelmi tumulus mansit, donec nostris eum temporibus Hermannus maioris sacrarij præses, Arnfastusq; scholæ ministerio functus, conniuente Isaac ruralis sacerdotij præposito, parabilem magis & inter cæteros cultissimum aduertentes Ascerianæ sepulturæ gratia aperiri iusserunt. Porrò fossa ad solidum humo, incorruptam antistitis togam inter adesa solo ossa reperiunt. Quibus sublatis, tanta fragrantiæ vis sine vllo autore ad circumstantium nares veluti è beato quodam vnguentorũ fonte manauit, vt nemo cœlo potitum ambigeret, cuius cineres tam mira terrestrium odorum suauitas perfudisset. Ipsas vero contrectantium manus tanta odoramenti pertinacia astrinxit, vt ipsum triduo balneis ac lauacris attentatum abolere nequiuerint. Nec tamen sanctitatem cinerum, vt decuit, venerati, in extremam eos monumenti partem applicandos curabant. Sed neq; præsumptioni impunitas affuit. Siquidem sacrilegi consilij autores pestiferum audaciæ suæ exitum experti sunt, tantumq; quisq; supplicij retulit, quantum violandi busti sententiæ impendit. Hermannus nanq; sub Absolone sacerdotali concilio assidens, sacrũ naribus ignem excepit, cuius vi non solum corporis firmitate, sed etiam vocis officio spoliatus, elinguis ac mutus ante triduum grassante latius ardore decessit, dignus ea corporis parte puniri, qua diuinam ingratus fragrantiam hauserat. Nec leuiorem Arnfastus excessum habuit: qui cum impotentium neruorum hebetudini mederi vellet, potione per incuriam sumpta, quo salutem conciliare debuerat, languorem instruxit. Sed & rupti tandem iocinoris partes frustatim egestas vomitu protulit, quas à medico pelui exceptas, maximus pontifex Absolon dum ad visendũ eum humanitatis officio venisset, aspexit. Quo præsente æger hic se ob violatos Wilhelmi cineres perpeti protestatus, manifestas neglecti imperij eius pœnas pependisse dicebat, seq; sua cum tota re familiari religioni pollicitus, trimestri languore habito per summam animi pœnitentiam expirauit. Miserandos duorum exitus tertius temeritatis autor aspiciens, seq; similibus supplicijs propinquum veritus, fati inclementiam pietatis officio præcucurrit. Nam in æde Mariæ magno rei familiaris impendio sacrarum virginum conuictum instituit, eisq; quoad vixit pudicitiæ disciplinam ingenerauit. Nec tamen omnem prorsus vindictam effugit, diutino nanq; vitiati pulmonis languore consumptus interijt. ita primo fati celeritate correpto, reliquos à diuersis corporis partibus profecta pestis tarditate ad vltimam tabem redactos absumpsit. Igitur tantum vnusquisq; pœnæ sumebat, quantum in violanda antistitis sepultura auctorem egerat. Quia enim salubritatem suam prudentiæ munimento tueri noluerunt, cladem culpæ præcipitio contraxerunt. Ne autem Sueno promissam templi refectionẽ negligentius exe-

Wilhelmi reliquiarum odor.

Vindicta violati sepulchri.

qui videretur, cœptam Roſkildenſis ſacrarij fabricam ad finem vſq; perduxit. Cuius excolendi gratia coronam arte, impenſaq; operoſiſſime elaboratam, in eius ornamentum appendit, exiſtimans regias opes potius ſacrorum ſplendori, quàm humanæ auaritiæ ſeruire oportere. Eginus quoq; hiſdem fermè temporibus, opitulante rege, Laurentianæ ædis inchoatum à ſe opus explicuit. Quibus rex dedicari iuſſis, mirificam dotis nomine munificentiam erogauit. Nam in æde Laurentiana annua cantorum ſtipendia pontificis ſubſidio fultus, inſtituit. Ipſe enim partim ex fiſco ſuo, regisq; latifundijs, partim antiſtes ex ante collatis templo beneficijs quotidianos eorum ſumptus exhibuit, tantaq; inter ipſos religioſi certaminis alacritas fuit, vt vter in deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaq; dedicationis die rex ſolenniter altaria veneratus, quartam regij numiſmatis, quartam ſuæ in ciues exactionis, quartam æſtiui cenſus portionem ei, qui pro tempore loci antiſtes extiterit, muneris loco perpetuo iure poſſidendam conceſſit. Nec parcius priuata clericorum iura tutatus, ab eis qui ſacrarij rus excolunt vniuerſum penè regiæ penſionis ius aſcriptis chori miniſtris deferendum curauit. Cæterum detractæ expeditionis pœnas, ac violatæ pacis vindictam, eorumq; qui propinquis vacui deceſſiſſent hæreditates, regij duntaxat iuris eſſe voluit. Itaq; non minorem in ædendis templorum priuilegijs, quàm pręſtandis beneficijs autorem egit. Et vt legibus ſuis æternitatem conciliaret, eas conuellere conaturos antiſtitum execrationi ſubiecit. Cuius edicti poſtmodum à multis temere pertentati, vetus adhuc ratio perſeuerat. Rex vero quum in omnibus ſancte ſe induſtrieq; geſſiſſet, præcipue religionis charitate conſpicuum præbuit, nec vnquam remotos ab exactiſſimo eius cultu oculos habuit. Qui cum fratrum ſuorum turbam iuueniliter intemperantem patriæ admodum onuſtam videret, largis vberibusq; ſtipendijs alitam, vno duntaxat Olauo Sleſuici partibus præſidente in clientelam aſſumpſit, ac publicum pondus priuato leuauit impendio. Tandem Danorum nomen armis in deſidiam cadentibus à paterni auunculi temporibus obrutum, animaduertendi nouandarum rerum cupido ſubrepſit. Vtq; eius animum certius repræſentaret, non contentus ſtudia ſua orientalibus decoraſſe victorijs, Angliam infelicitate amiſſam hæreditatis duxit nomine repetendam. Recolebat enim bellicam maiorum gloriam, cumq; opibus imperij fines, nullo magis quàm Anglicis creuiſſe titulis, maioremq; eis ex vnius inſulæ, quàm totius orientis ſpolijs inceſſiſſe ſplendorem. A quorum imitatione deficere ſtolidi ac degeneris animi eſſe, ſatiusq; regno carere quam inter paruulæ telluris anguſtias incluſum maieſtatis vſum habere. Vt ergo negociorum conformitate maiorum fortitudini reſponderet, operamq; eorum ſtudijs conſentaneam ederet, atq; auiti nominis gloriam æquaret, omnium quæ paterna corrupiſſet inertia, refectionem ſuæ commendabat induſtriæ, parentemq; peroſus, auum æmulatus eſt. Primum igitur occultum Olauo conſilium prodit, eoq; idipſum hortante, rem deinde popularibus aperit. Alacris omnium aſſenſio fuit. Sed quem rex ſibi fraternæ charitatis viciſſitudine reſpondere crediderat, latenter æmulum habebat, inſidioſæq; eius adumbrationis ignarus, affectum referri ſibi, quem ipſe impenderet, æſtimabat. Quem etſi prudentia ſecus monuit, ſanctitas tamen malignam de fratre ſuſpicionem referre prohibuit, ne conſanguineam fidem temere damnare, inq; fraudis metu hoſtes ac neceſſarios iuxtà ponere videretur. Verũ Olauus affectatione regni pietatis erga germanum oblitus, perfidiſſimi pectoris habitum ſumma fidei ſimulatione tegebat, vulgatumq; regis propoſitũ non ſolum adulationibus fouit, ſed etiam hortamentis inſtruxit, non quod potentiſſimum regnum ab eo recuperari poſſe ſperaret, ſed vt imperatæ rei difficultatem in odium imperantis conuerteret. Enimuero fratris animum faſtidioſe æſtimans, pijſſimum eius amorem parricidali fraude penſabat. Nam quum eum quod neglectam antè ſeueritatem nouis legibus reſtituiſſet, ciuibus inuiſum animaduerteret, quò odium eius cumulatius redderet, quod publice diſpliceret, priuatim exequi ſtimulabat. Et ne ſolus inſidias volueret, lecta ſocietate clandeſtinæ coniurationis cœtum inſtruxit. Nec fruſtra ingenium fuit. Quippe primores, quorum violentia regijs ſanctionibus retuſa fuerat, parri-

A quibus fraterna charitate ſe quis coli credit, eos non raro ſolet æmulos habere peſsimos.

parricidalis cum Olauo propositi consortium habuerunt. Kanutus vero omniũ animos gloriæ magis, quàm sceleri intentos existimans, imperata classe Lymici maris oris aduehitur, à quo breuissimus in oceanum transitus patet, quondam naui gijs peruius, nunc vero interiecta arenarum mole præclusus. Hic rex fraternũ diu præstolatus aduentum, nauigandi cunctatione exercitus alacritate est excussus. Nam Olauus reddita tarditatis ratione, veniendi moram in dies extraxit, commentumq; cassandæ expeditionis exagitans, alimenta perfidiæ mendaci impedimentorum simulatione quærebat, eò moram trahere cupiens, donec aut regem sine eo proficiscentem interim ipse regno priuaret, vel tarditate suspensum exercitum destitueret, rexq; vel desertorũ impunitate despicabilis, vel pœna cunctis inuisus euaderet. Ità & fratrem & dominum aduentus sui cunctatione ludificans, tam vafræ, tamq; insidiosæ rationis commento generosi ac fortis propositi molitionem subruere conabatur. Nec eum callida consilij ratio fefellit. Nam tota à rege classis fastidita eius expectatione defecit. Rerum enim quæ à fratre gerebantur ignarus, morantis aduentum sæpenumero mandatis exegerat, quum tandem de eius perfidia certior factus, classe præstolari iussa, Slesuicum lectissima manu festinatò contendit, ibiq; fratrem inopinatum & attonitum intercepit. Deinde productum, accusatumq;, nec obiecta valide propulsantem, perinde ac conuictũ, impotentemq; defensionis compediri à militibus iubet. Qui indebitã regio sanguini contumeliam suis manibus administrandam negabant. Cuius tanta apud ipsos veneratio fuit, vt ex eo ortos morte, quàm vinculis mulctare mallent, tolerabilius rati quod cõmunis conditio admittit, quã quod seruile supplicii exigit. Sed & gentis nostræ verecundia summã in vinculorum pœna turpitudinem reponere consueuit, hisq; affici omni fato tristius ducit, ingenuas mentes probroso, quam cruento supplicio punitiores existimans, tantoq; alterũ altero speciosius censens, quantum naturæ habitus à fortunæ vitio distare creditur. Mandatam militibus operam communis frater Ericus exequitur, plus iusti imperij quàm iniqui germani respectui tribuendum, nec sanguini parcendũ dum vitia puniuntur, existimans. quippe quem virtus defecerit, nullam stirpis reuerentiam obtinere, animiq; labe fœdum omnem generis infuscasse splendorẽ. Igitur nõ tam fratris nomen quàm parricidę propositum intuebatur. Adeò sanguinis precium euilescit, quum se moribus ignobilem fecerit. Post hæc rex Olauum catenis coërcitũ, nauigioq; in Flandriam relegatum, carcerali custodiæ mandandum curauit. Cuius captionẽ coniurati parum fama aut nuncio experti, quo callidius exercitũ soluerent, inertem regis moram absentiamq; causati, classem clandestino monitu circunuentam domos abire iusserunt. Quàm rem si quis palàm exhortatus fuisset, publicatis bonis aut in exilium agi, aut capitali supplicio affici lege merebatur. Quam ob rem defectionis incentoribus tutissimum visum, vt sine vllo autore ipse sibi populus desertionis licentiam vendicaret, ne tam priuatum discessionis crimen quàm publicũ haberetur. Tantum autem apud improuidam multitudinis temeritatem insidiosa magnatum ratio valuit, quod plebs non minus eorum autoritate, quàm moræ tædio adducta, fidentissimam reuertendi libertatem acciperet. Cuius facti rex cognitione suscepta, dolorem prius, deinde lætitiam egit. Siquidem iniuriam in religionis habitum formauit, mulctæq; nomine primam exigendarum decimarũ occasionem corripuit, lætatus quod ei vtilissimam propositi rationem opportunitas conciliasset, suoq; dedecore sacrorũ decus instruere cupiens. Cumq; magnates Olauum quem sibi factionis ducem futurum sperauerant, à fratre interceptũ audissent, proposita fraude defecti, summam eius dissimulationem egerunt. Itaq; rex accersita postmodum concione, docet quantum Danicis armis militaris semper disciplina profuerit, maiorum imperijs à minoribus semper obtemperatum fuisse, regum autoritatem popularibus inniti suffragijs, principum famam nullo magis quàm militum fide creuisse, eorumq; nullius momenti imperium esse, si non plebeijs subsistat auxilijs. Sibi vero nuper ignotam regibus contumeliam obuenisse, inusitatæ defectionis autores hebetudinem audaciæ prętulisse, auiditate ocij speciosissimæ rei negocium subruisse. Adiecit quoq; quanta pecuniæ summa ob

Dum vitia puniuntur, nec ipsis sanguine coniunctis est parcendum.

impium deſertionis crimen damnari meruerint,gubernatorum ſingulis quadragena numûm talenta, terna remigum vnicuiq; mulctæ loco numeranda proponens. Nemine collationem abnuente, promiſſa æris ſolutio eſt.Quo cognito remittere ſe Kanutus illam exactionem,ſi ſacerdotibus decimas erogare voluiſſent, edixit. Tunc concio petita conſulendi licentia, pauliſper à rege deliberatura ſecedit, an propoſitis ſatisfieri conditionibus oporteret: vtraq; exhibitu difficilis æſtimata.In ſoluendo nanq; ęre complures inopia afficiendos credebant.Decimarum vero penſionem omni æuo celebrandam,ęternam debitoribus infligere ſeruitutem. Igitur quaſi in triſtium rerum contextu minus aſpere delectum facturis, acerbior viſa cui comes diuturnitas affuiſſet.Nam cum altera ſe tantum,altera poſteros quoq; puniendos aduerterent, præſentem inopiam perpetuo muneri prætulerunt. Itaq; temporum æſtimatione facta, quò ſibi tantum quàm pro poſteris pœnam crearent,culpam redimere præoptantes,ſemel ære, quàm ſemper libertate defici maluerunt, iure elicitum, dedecore vacuum, perſuaſione extortum, probro obnoxium rati. Quinetiam annuam alienis frugem dependere ignominiæ, non religioni attinere cenſebant. A quibus quum rex deteriorem conditionis partem approbari videret,ſimulata pecuniæ exactione, ſeptentrionales Iutiæ partes ingreſſus, Toſtonem cognomine Peculatorem, eiusq; collegam Hortam colligendæ penſionis quæſtores inſtituit, mulctæ metu decimarum religionem diſſerere cupiens. Iiſdem defectorum res æſtimatis poſſeſſionum pretijs, intactas dimittere iuſſum. Qui mandatum immitius ac iuſſi fuerant executi, iniqua plebem exactione pulſabant.Quam rem æmuli regis in popularium concilio deplorantes,calumniam mendacijs exaggerabant. Veris quoq; maiora fingentes, inuiſos cunctis reddidere quæſtores. Quippe militum opus non regis imperium iudicabant, nec iubentis, ſed iuſſi ſtudium intuebantur. Quorum inſtinctu multitudo quæſtores adorta, communem iniuriam publica conſternatione cohibuit: magis quid fieret,quam quid fieri iuſſum eſſet inſpiciens. Nec eorum cædibus ſatiata,in regem quoq; veſana prorupit.Qui impetum eius opportune ſua ratus abſentia declinandum,Sleſuicum conceſſit,ibiq; coniugem cum filio conſtitutam ſi res ſiniſtre ceſſiſſent,perfugere in patriam iuſſit, nullum inter perfidos præſidium habituram. Siquidem intempeſtiuum regno hæredem domeſticorum arbitrio relinquere verebatur.Igitur Wandali ſolam ſibi in armis libertatē reſtare credentes, fugæ eius perinde ac victores inſultare cœperunt. Qui quum imminentibus Iutis & vetera auxilia deficere cerneret, nec noua temporis anguſtiæ contrahi ſinerent, quo tutior ſeceſſu foret, Fioniam petit, ſalutem inſulæ præſidio quæſiturus, vbi nihilominus indignam religioſiſſimo ſpiritu ſuo violentiam expertus eſt. Hinc enim Iutis aucta ſæuiendi fiducia,concitatam multitudinis temeritatem exacuit,hinc graſſandi præſumpta libertas triſtem regi procellam inflixit. Sanè populares pœnę metu cœptum omittere veriti,perſeuerantiam ſceleri exhibendam duxerunt. Neq; enim bis læſum pœnam noxijs remiſſurum credebant. Ideoq; eius exitium ſitientes,ardentiſſimo odio ſanctiſſimi viri necem petebant: ac veluti veniæ deſperatione compulſi,hoſtem tollere quam vltorē experiri maluerunt. Nec ſuis eum finibus exegiſſe contenti, Fionia quoq; propellendum decernūt. Iamq; rex accepto traiectionis nuncio,Sialandiam emigrare ſtatuerat,cum Blacco quidam primam ipſius familiaritatem adeptus, ſed nihilominus eum occulte peroſus,ſimulatæ fidei conſilio hortatur fugæ parcat, Othonienſis pagi præſidia expetat,nec fœmineo more latebram circunſpiciat:ſe interim plebis acta ſpeculaturū, blanditiasq; irę eius oppoſiturum promittit.Quod ſi plebis animum mitigare nequiſſet,tanto antè id regi pronunciaturū,quantum fugæ occupandæ ſat eſſet.Cō ſilio obtemperatum eſt. Tunc Blacco omiſſa legatione, ſiniſtris plebem monitis palpitans,conciliandæ gratiæ loco, odium regi impenſius ſtruit. hortatur quamcelerrime calumniæ autorē occupent, nec fugacem elabi permittant, oppreſſionum vindices tyrannum non regem faſtidire commemorat: carere culpa, quod honeſtatis æmulatione committitur: patriæ tutores perinde ac pietatis miniſtros parricidio exui:priuatum abeſſe crimen vbi publicę libertatis vindicta peragitur.

Honeſtatis æmulatione cōmiſſum culpa caret.

Præte-

Præterea miſerrimos cœpti irritos, compotes feliciſſimos fore. His atq; conſentaneis modis ſolicitato in regis necem populo, aduerſum immerentis caput funeſtos omnium conatus erexit, eaq; actione conſternatã amentia plebem veluti furiali quadam face ſuccendit, ſtatimq; impetus creuit vbi hortatorẽ habere cœpit. Neq; enim temeritati eius conſtantiã ſuam obiecit, ſed publicæ ſeſe dementiæ au totem aſcripſit. Igitur incitatior ſeditionis procella peſtifera eius concione defer buit, grauiorq; tempeſtatis incentorem nacti tumultus erupit. Inde reuerſus pacatiorẽ populi animũ nunciat: facile conſternationis procellã acquieſcere, ſi rex irã mutuò deponere, reisq; pœnam remittere voluiſſet. Quem rex fidum legationis miniſtrũ ratus, regalis magnificentiæ conuiuio excipit, malignũq; ſuæ pietatis interpretẽ donis proſequitur. Vtrobiq; gratia perfidiæ habita eſt. Nam Blacco alterna partes vice ſubiens corrupto legationis officio, pro mediatore proditorẽ agere cœpit, atq; ex ſpeculatore ſceleris hortator euaſit, ſiniſtre regis, falſo plebis animũ interpretatus. Ita pellacis viri mendaciũ legationis titulo inuolutũ, regem pariter ac populũ fefellit, hunc ne imminentẽ vitaret, illũ ne parceret expectanti. Eundẽ die poſtera rex prioribus paria pollicentẽ ad ſpeculanda ſeditionis acta dimittit, communemq; hoſtem inter ſe & vulgum creandæ pacis autorẽ aſſumpſit. Nec ſolita legato perfidia defuit: cuius peſtiferis monitis inſtincta plebs vehemẽtius aduerſum regis caput conſternationẽ deſtrinxit. Kanutus interim quotidianis ſacrorũ ſolennibus aſſuetus, ne quid religioni præponeret, Albani ædem ſacram pro ſe deprecaturus accedit. Quippe precibus deum, quàm hoſtẽ armis ne quid charitati detraheret, aggredi præoptauit. vbi dum religioni vacando, officia ſanctitatis exequitur, conſternatæ multitudinis corona armis ſacrariũ clauſit. Quotquot ergo ex militibus hoſtem præcurrere poterant, periculi conſortiũ affectantes, regẽ petebant, eius in ſeipſos diſcrimen transfundere cupientes. Cumq; ſalutem ſeceſſu conſequi poſſent, periculũ præſentia quæ ſierunt, morteq; clari quàm fuga tuti fieri maluerunt. Quanta porrò humanitate clientelã hanc abundaſſe credemus, quę ne infelicẽ domini fortunã deſereret, periculo ſeſe quod vitare licebat oppoſuit, inq; magna fugiendi copia ſalutem regis quàm ſuam tueri ſatius duxit? Benedictus quoq; fraternitatis nexũ ſide imitatus, in templo cum fratre commori deſtinauerat. Ericus vero ſeorſum ab hoſte concluſus cum ſolus multitudinem ſuſtinere nequiret, per medios hoſtiũ globos ferro ſeceſſum molitus erupit. Tunc nemine religioſæ pacis domiciliũ violenter irrumpere præſumente, primus Blacco cunctantibus cæteris ferro valuas petiuit, ductuq; ſuo eandem cunctis licentiam tribuit. Ita ſe non ſacrilegij modo, ſed etiam publici parricidij ducem autoremq; exhibuit. Quod videns plebs concitato ſeditionis motu templũ aggreditur, eoq; irruptione facta diuinos lares, ac ſanctiſſima penetralia ſacrilega tempeſtate fœdauit. Verũ Blacco in ipſo quem irruperat aditu trucidatus, datis parricidij piaculis, violati ſacrarij pœnas pepẽdit: mors eius interfectoris exitu vindicata eſt. Itaq; alterius fato ſcelus, alterius pietas cauſam præbuit. Crediderim tunc pium cruorẽ parricidali permixtũ ſeparatis fluxiſſe meatibus, atq; ſine vlla riuulorum communione hinc ſacrũ in ſceleſtũ ſanguinẽ diuiduis alueis inceſſiſſe. Benedictus liminibus irruptorẽ excipiens, dum foribus acrius propugnat occiditur. Rex ipſe inter cruentos imminentis violentiæ ſtrepitus fiducia conſcientiæ eundẽ mentis habitũ tenuit: neq; religioni parcius quã ſi periculũ abeſſet, vacauit, ne plus ab eo timoris quàm conſtantiæ viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidẽ eius hora ſanctitatis ſtudio vacua fuit. Nam cum parietẽ vndiq; à popularibus perfringi (quippe ligneus erat) ideoq; propinquã ſibi necem inſtare animaduerteret, accerſito ſacerdoti factorũ arcana confeſſus, per ſummã mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas abſoluit, præmiũq; ſibi pœnitentiæ ſalubritate conciuit. Tantum enim in innocentia ſua fiduciæ repoſuerat, vt mortẽ non periculo oppreſſus refugere, ſed metu vacuus appetere videretur. Quinetiã propaſſis vtrinq; brachijs ante aram ſati ſecurus occubuit: vbi dum victimæ more proſtratus percuſſorẽ expectat, immiſſæ per feneſtrã lanceæ mortifico iactu cõfoſſus, pium mortis ſacrificiũ edidit, profuſoq; militum ſanguine, ſuum ad vltimũ erogauit. Enimuero crebris vndiq; *S. Kanuti interitus.*

telis petitus, corpus immobile tenuit, nec ante loco quo cubabat exceſſit, quam feretro mandaretur extinctus. Ex cuius ſanctiſſimis vulneribus plus gloriæ quàm cruoris effluxit: quippe præſentis vitæ exitu initium melioris accepit, hoſtili iudicio punitus, diuino ſeruatus. Felix eorum parricidium, qui quem terreſtrium virtutum orbe exemerant, cœleſtium vſibus applicabant, caducaq; & fragili potentia ſpoliatum, ſolidæ atq; æternæ felicitatis compotem ſtatuerunt. Sed & clandeſtina eius virtus perlucidis poſtmodum experimentis enituit. Hæc audiens regina patriã cum filio impubere repetit, geminis poſt ſe relictis filiabus, ex quibus Ingertha Folconi Sueticæ gentis nobiliſſimo nupta, Benedictũ, Kanutumq; filios habuit, hiſdemq; mediantibus, Birgerũ qui & nunc extat Suetiæ ducem cum fratribus ſuis nepotem accepit: verum ex Ceciliæ matrimonio Ericus Gothorũ præfectus Kanutum cum Carolo procreauit. Ex quibus generoſiſſimarum imaginũ numeroſa poſteritas clara propinquitatis ſerie cohærens emerſit. At populus perempto rege exultans, quod ſcelus deflere debuerat, inſultatione proſequi voluptatis loco reputabat. Qui cum parricidio pietatis cauſam prætexeret, idq; tyrannicidij nomine coloraret, militem ſuum Deus mercede fraudari non paſſus, arcanam ſanctiſſimi viri innocentiam manifeſtis publicauit indicijs, eximioq; vitæ eius ſplendore etiam clara mortis ornamenta conceſſit. Sanè ad coarguendam parricidarum malitiam puniti merita miraculoſis prodidit argumentis, ignotãq; vulgo virtutem mirifico rerum fulgore detexit. Quorum plebs admiratione perculſa virtutis inuidiam egit, conſpicuamq; ſignorum experientiam diu nequicquam infuſcare tentauit. Veteris nanq; inuidiæ fremitu, ac priſtinis odij viribus pertinacius excandeſcens, adduci non poterat, vt diuinis honoribus coleret, quem ob ſcelus à ſe interfectum putaret, rem cœlitus declaratam humanis argumentis abnegare conando. Quanquam enim damnatos à ſe mores cœleſti iudicio comprobatos videret, ad diſſimulandam tamen, occultandamq; miraculorum fidem iuſtam cędis cauſam fingebat, firmamq; facti tuitionem retinens, ſententiæ ſuę perſeuerantiſſima propugnatrix exiſtere non erubuit. Nec vita regem ſpoliaſſe contenta, etiam fati laudibus exuere conabatur, cuius lucem extinxerat, famã quoq; ſepelire conniſa. Sed humanis tenebris diuinus ſplendor inuolui nõ poterat. Quippe miraculorum nitor dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam ſanctitatis eius medela varias imbecillitatum affectiones remediorũ ſalubritate proſecuta eſt. Cumq; obtrectantium liuor crebreſcentibus ſignis virtuti cedere cogeretur, nec fidem vlterius fruſtrari quiuiſſet, in facti tamẽ defenſione perſiſtens, ſanctitati quidem aſſenſit, ſed eam non tam ex præteritæ vitæ meritis quàm vltimi temporis pœnitentia profectam aſtruxit. Ita & iuſtam facto cauſam prætexuit, & vita caſſum honore donauit. Siquidem digne regem periſſe, ſed pium lachrymis euaſiſſe dicebat, intentionem eius auaritiæ quàm religioni propiorẽ exiſtimans. Cuius erroris non paruas poſtmodum pœnas pependit. Sed & poſteri paternam redolentes inuidiam, ſanctitatis eius formam non moribus, ſed lachrymis imputant, præſentiq; incredulitati præterito ſeſe errori implicant. Neq; adduci poſſunt, vt ipſius beatitudinem depoſito odio ſyncere æſtiment. Verum ſacra eius oppidulo orta toto penè terrarum orbe fulſerunt, cultusq; ipſius primum à ciuibus exceptus, paulatim in commune prorepſit. Cuius tam vitæ quàm miraculorum virtutem priuatim Othonienſibus venerandam, publica eam religio conſecrauit. Sed & cœleſtem eius ſpiritum ad hoc vſq; tempus felix ſignorum fortuna proſequitur. Hinc eſt quod Kanutus diuini iam animi immortalitate potitus, vt terreſtribus patriam patrocinijs attollere ſtuduit, ita cœleſtibus protegere non deſiſtit: ideoq; ſanctitas eius gloriæ & celebritatis fructu opulentiſſima, ſplendidũ in faſtis locum obtinet. Quinetiam ſalutares effectus ſuos quotidianis adminiſtrat indicijs, malitiamq; patriæ, beneficijs penſat. Nam virtutum eius inſignibus, omnis ætas Danica gloriabitur. Talibus illuſtrationis radijs ſanctorum fatis claritas erogatur, cum cœleſti beneficio mortalis liuor opponitur.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI VNDECIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANORVM LIBER DVODECIMVS.

Eesti Vabariigi Raa... Toompea loss.

INTERFECTO Kanuto, Iuti iniquæ ſocietatis pertinacia ſingularem Olaui gratiam amplectentes, creari eum regem alacerrimis petiuere ſuffragijs: hunc ſibi plurimum gratiæ relaturũ ſperantes, cui tanto regnum diſcrimine queſiuiſſent. Neq; eius fratribus hunc honorem eximio Kanuti amore ſuſpectis, erogandũ duxerunt. Igitur pecunia pacta, Nicolaum communem tam præteriti quàm futuri regis germanum, vadem pro eius redemptione dederunt, receptoq; regnum imponunt. Nec paruum Nicolaus fraternæ charitatis ſpecimen edidit: ſiquidem fraternas induere catenas, ſuisq; vinculis germano regnum emere non dubitauit. Quod audiens Ericus, contumeliæ memor quam ei communis fratris iuſſu inflixerat, vltionis metu cum coniuge Botilda quæ Vluoni Gallitiano ex filio Thrugoto neptis obuenerat, Suetiam petiuit. Dani vero collato certatim ære pro ſponſoris reditu, pactam creditori pecuniam numerarunt. Quem Flandrenſi cuſtodia liberatum, infeſta parricidis fortuna veluti cladem aliquam noſtrorum abundantiæ ac fertilitati iniecit. Nam cum Dani noui regis initijs applaudentes priſtinæ ruinæ procacius inſultarent, criminoſis ſemper infenſa diuinitas ne diu ſcelus impunitate floreret, petulantiam penuria rependere voluit, communiq; inopia publici parricidij victa exegit piacula. Vt enim non in ſingulos modo ſed in vniuerſos animaduerteret, ſumma aëris intemperantia annorum quibus Kanutus regnum geſſerat numerum adæquauit, cœleſtiq; robore humana vi maiorem edidit vltionem. Quippe verni æſtiuiq; temporis feruore ſatum omne coaruit, autumnale vero adeò pluuium fuit, vt ſiquid locorum humilitate paluſtriúe madore alitum ſuccreuiſſet, perſeueranti imbrium inundatione decideret. quanquam contrarium cœli habitum humanæ commoditatis ratio flagitaſſet. Igitur opportuno ſolſtitium humore caruit, eundemq; ſine modo profuſum ſiccum amans ſextilis excepit. Tunc planè camporũ facies cœleſtibus imbribus inundata, late patentis ſtagni ſpeciem prębere conſpecta eſt, ita quod æſtas ægre genuit, autumnus oppreſſit: tantaq; temporum intemperies extitit, vt nec imber æſtum leniret, nec æſtus imbris illuuiem temperaret. Quinetiam agreſtes aquis campos tegentibus, ſupernantia ſpicarum capita demetentes nauiculis excipiebant, ac deinde putres ariſtarum reliquias fornacibus igni percalefactis exiccandas mandabant, ſicq; eas molæ ſubijcientes, quia panem præſtare non poterant, in vſum pultis vertebant. Quamobrem tanta ciborum penuria inceſſit, vt maxima populi pars alimentorum inops inedia conſumeretur. Ea res locupletes inopia, pauperes morte mulctauit: maioresq; ære, minores ſpiritu ſpoliauit. Nam diuitum populus non ſuppetentibus alimentis, auro argentoq; ſalutarẽ comparauit impenſam: pauperũ vero gregẽ tam cenſus quàm dapis inopẽ horrida paſſim fames abſumpſit. Rex ipſe ad vltimã tabem redactus, plurima fruge latifundia permutabat, agrisq; vænire iuſſis, alimenta poſſeſſionũ precijs comparabat. Nobilibus in eundẽ vſum ingenuitatis inſignia erogare, rubori non fuit. Enimuero abunde ſeges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum vltio videretur. Quæ tam dira clades conuictũ populi animũ ſanctitatẽ, quam antea detrectauerat, fateri coëgit: deq; celſitudinis eius contemptoribus veneratores effecit. Sanè tam euidens pœna, alijs fruge abundantibus, Danis priuatim ingruens, & parricidarũ noxã, & perempti innocentiã, liquidò argumentata eſt. Hanc peſtẽ Sueno pontifex, cuius ſumma apud Danos autoritas erat, populo parricidij pœnitere permonito inceſſurã prædixit. Quippe in plebẽ pius, in deũ venerabilis habebatur, religionẽq; attentiore cura, cõciones præſtantiore facundia celebrabat: ita fauore omniũ occupato, arcem inter noſtros autoritatis, atq; eloquentiæ faſti-

Multi fortunæ tenuioris homines in Dania fame moriuntur.

gium possidebat. Subiectorũ mores, non solum dictis, sed etiam sereniſſimis operũ informabat exemplis, nec voce quam mente concinnior fuit. Idẽ perfecta trinitatis æde, in exædificando eius ambitu Kanutum religiosi operis sociũ habuit, nec minorẽ in extruendis Mariæ sacrarijs operam gessit. Quippe vnum in vrbe, alterũ Ryngstiadis enixe molitus, tertiũ Michaël Slagloſæ condidit. Adeò se sanctorũ penetralium singulari cultu flagrare monstrauit. Nec domestica sanctitate contentus, augmentum eius foris petere arrepto peregrinandi labore constituit. Cumq; Hierosolymam proficiscens Byzantiũ peruenisset, contracta varij generis ornamenta cum sacrorũ cinerum reliquijs in necessarios vsus domestici templi remittenda curauit. Sed cuius Græcia pietatẽ vidit, mortem Rhodos aspexit. Iisdem ferè temporibus absumpto Richaldo, Ascerus morũ generisq; splendore eximius Lundensi potitur sacerdotio. Olauus cum bis penè lustrũ regnando condidisset, inter continuas rei familiaris angustias, nihil regali magnificentia dignũ exequi poterat. Sed & finitimi facto paupertatis eius contemptu, famelicũ ferro incessere ruboris loco duxerunt, rati inediã armis obrui non oportere, neq; diuinitus afflictũ humanitus premi, aut cœlestiũ vindictam mortalium viribus exagitari. Cui enim inuidiosum existeret regnũ, contemptissima tot annis inopia profligatũ? Cum rex diuinum natalem celebrans, pane in domo non suppetente ieiunos circunquaq; penates aspiceret, erubescenda mensarũ inopia magnopere confusus, obducto manibus capite suffusoq; lachrymis vultu, per summã animi ægritudinẽ temporis difficultatem gemitu prosecutus est. Sanè tantulã dapem tot cõuiuis apponi defleuit, contemptissimã famem honoratissimæ lucis ignominiã iudicans. Qui mihi alienã specie, suam re vera deploraſſe videtur inopiam. Deinde supplicatione habita, superna contuitus autorẽ omnium deum vt si quid iræ aduersus populũ concepisset, suo nõ eius periculo satiaret orauit, infelicissimũ patrię statum, difficilimũ temporis habitum æstimans. Quippe tam inops epularũ conuiuiũ quo famem instruere potius quam pellere videretur, principũ oculis subijcere erubescebat. Nec difficiles numinis aures habuit: siquidẽ celerem fati viam obtinuit, sibiq; mortẽ, salutẽ patriæ, si qua modo parricidis virtus inest, pia prece cõciuit, ingenuoq; viuendi pudore maximæ cladis pœnã auertit. Itaq; memoriæ eius speciosius deposita vita quã gesta ascribi potest, qui fatũ patrię finiẽdi spiritus causam habuit. Porrò quantũ charitatis erga suos cordi insitũ haberet aperuit, cũ & eorũ mala proprio capite luere vellet, & cõmune periculũ ad se solũ redundare deposceret. Nempe quia suã pro ciuiũ salute deuouit, pij animi titulo fraudandus non est. Fortuna siquidẽ famem cum autore suo pari funere extulit, inediamq; satietate mutauit. Huic Ericus natu proximus è Suetia reuocatus, magno omnium fauore sufficitur. Huius ætas periclitanti populo labentis annonæ subsidia reparauit, segesq; tempestiui imbris beneficio visitata conualuit. Nã regnante eo agrorũ habitus ad tantam vbertatẽ excessit, vt singuli cuiuslibet annonæ modij totidem denarijs permutarentur. Sed & continuis regni ipsius annis eadẽ agris vbertas incessit. Quo euenit, vt non solũ ex morũ, sed etiam temporũ placidissimo vsu, boni cognomen acciperet. Tunc planè penuriæ copia, inopiæ succeſſit abundantia. Huius viri virtutes summatim cognoscere, tædio nõ sit. Nam præter ingentia animi decora, singularibus naturæ incrementis euectus, admirabili corporis magnitudine eò proceritatis excesserat, vt cæterorum vertices humeris superaret: nec longitudini inconcinna soliditas fuit, vt totam eius compagem exactissimo naturæ ingenio excultam elaboratãq; putares, quæ copori granditate conspicuo consentaneum virium habitum conciliauit. Igitur vt corpore nullum, ita nec robore parem habuit, cum staturę laude egregia quoq; vigoris ornamenta sortitus. Hastę aut lapidis iactu sedens stantes vincebat: neq; illi situs quo minus fortitudinis suæ experientiã ederet officere potuit. Eodem corporis situ ex robustissimis duos luctа aggrediebatur, dumq; alterum attrectaret, alterũ genibus compressum vrgebat. nec ante destitit, quàm prius hunc, deinde illũ pedibus subijciendo, amborũ manus post terga vinciret. Nec minori robore funiculorum certamen exhibuit. quippe vnum dextra, alterũ sinistra, continens eorũ extrema quatuor præstantibus

bus robore ex aduerſo diſtrahenda commiſit. Quibus eum nequicquam ſede ſua detrahere laborantibus, ipſe funem vtrinq; modo dextra, modo læua corripiens, ingenti fortitudine effecit, vt aut tenentibus reſtim excuteret, aut eoſdē ad ſe magnopere renitentes appelleret, funemq; ducere nequeuntes ſequi cogeret. Eidē quoq; ſpecioſiſſimus vocis habitus fuit. Siquidem conciones non ſolum præſtanti facundia, ſed etiam tanta pronunciationis amplitudine celebrabat, vt in actionibus non ſolum à præſentibus, ſed etiā à procul poſitis liquidò exaudiretur. Præterea ad conciliandam ſibi popularium beneuolentiā in extrema actionum ſuarum parte mandati loco ſubnectere conſueuerat, vt viri coniuges ſuas ac liberos, necnon & ſeruos cum primum domos rediſſent, ſub eius titulo conſalutationis officio proſequerentur, fore ſe cuiq; illius ſeruatorem promittens, communemq; cunctis in exhibendo æquitatis cultu, debitorem affirmans. Verum hunc corporis eius animiq; fulgorem, ſola libidinis vis tetris intemperantiæ maculis obſcurabat. Siquidem coniugalis copulæ tædio Veneris vſum pellicum cubiculis intentum habuit. quanquam ei fortuna vxorem forma ac moribus conſpicuam ſociaſſet. Nec defuit Botildæ tolerabunda mens ad inſolentiam mariti ſuſtinendā. Puellas ſiquidē quas ab eo adamari perſenſerat, maternæ dilectionis officijs proſequebatur, easq; quo promptius mariti ſtudijs indulgeret, quo ad vixit interpediſſequas habuit. Quarum vt formam quoq; concinniorem efficeret, ſæpenume ro capitis earum cultum proprijs manibus exhibebat. Cumq; abunde foret iram abieciſſe, addidit charitatem, & quia ſua ſpecie non potuit, aliena marito placere voluit, viriq; in eis affectum colere, quam læſionis ſuæ vindictam agere præoptauit, ne clariſſimum ducem turpitudinis reum ageret. Etenim amoris ſui raptrices officijs quam odijs inſequi ſpecioſius duxit. Itaq; non ſolum mariti flagitium diſſimulatione texit, ſed etiā abſq; reſpectu pellicatus odium merentibus, gratiā erogare ſuſtinuit, veneratione contemptū, obſequijs iniuriam penſans, eoq; facto clariſſimū muliebris patientiæ exemplum præbuit. Quinetiā ſingulari moderationis beneficio poſteritati inſignem nominis ſui memoriā commendauit. Fuere Erico filij, Haraldus, Kanutus, & Ericus: ſed primus concubina, ſecundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur, nec māſuetudinis ſpiritus regis fortitudini defuit, qui vt crudelitatis alienus, ita ſocordia vacuus mediū inter deſidiam ferociamq; temperamentū teneret. Eiuſdem quoq; ſeueritas benigniſſime popularibus affuit: ne enim potentum auaritia æquitatis vinculum labefactaret, petulantiaq; iuris hebetudinem pareret, inſolentiæ rigorem oppoſuit, & quo plus à peruerſis loco deſtitit, hoc magis per imperium nocuit. Quippe cum à popularium oppreſſoribus parum per abſentiam timeretur, eoſdem ſubita ſatellitū manu interceptos ſuſpendio conſumendos curauit. Quo facto quid aliud quàm iniuriæ pondus arborea lance penſauit? Quamobrem maioribus formidoloſus, minoribus percharus euaſit, cum hos paterna indulgentia, illos regia ſeueritate inſequeretur. Filias quoq; complures ex concubinatu habuit, quarum vnam Haquino cuidam Beronianæ necis vltionem pollicito, præmij nomine nuptum dedit: frater ſiquidem Erici Boro Holſatijs Dytmerſisq; ſubactis, eo loci vbi Wermundi filium Vffonem, cum duobus Saxonicæ gentis lectiſſimis manum duelli nomine conſeruiſſe proditum eſt, munitionem inhibendæ defectionis cauſa molitus, vallo foſſaq; inſulam cinxit. Cuius dominationem popularium quidam priuatim peroſus, concionantis latus haſta transfixit. Ea tempeſtate Sclauorum inſolentia diu Danicæ rei miſerijs alita, quippe magis ocijs Olaui prouecta, quàm vllis eius negocijs retuſa fuerat, piratica noſtros acerrime laceſſebat. Sed & Autonem quendam ſplendidiſſimo loco natum, Falſtriam è Sialandia petentem, moriq; quàm intercipi præoptantem occidit. Enimuero ingenita Danico ſanguini virtus, captiuitatis ſortem omni fato triſtiorem exiſtimat. Quam rem Skialmo candidus, frater hic Autonis erat, in celeberrimis Danorum concilijs querelarum frequentia proſecutus extudit, vt autoritate eius motum vulgus, vnius necem omnium manu vlciſcendam decerneret. Adeò quippe regia maieſtas popularem euexerat, vt ei decernendarum expeditionū ius eſſet, armisq; publicis, non imperium principis, ſed plebis arbitrium

Clarū muliebris patientiæ exemplum.

præsideret. Præterea Alli & Herri Scaniæ oriundi, sed eius vsum facinoribus demeriti, Iulinum certissimum Danorum profugium proscriptorum titulo petiuerunt. Cuius enixe negocia consectantes, maritimisq; patriam latrocinijs incessentes, rem Danicam atrocius profligare cœperunt. Tunc Danica iuuentus Iulinum adorta, fractos obsidione ciues, quotquot intra mœnia piratas habebant, cum pecunia pactionis nomine præbere coëgit. Quibus nostri in potestatem acceptis, læsæ patriæ pœnas crudelissima mortis ratione expetendas duxerunt. Nam quo violentiore eos morte consumerent, reuinctis post terga manibus palis primum affigendos curabant, deinde ventrium caua cultro rimati, nudatis extis primaq; viscerum parte protracta, cætera stipitibus explicabant, nec ante supplicium remiserunt, quàm tortos extis funditus aluo egestis, horridæ rapacitatis spiritum profundere coëgissent. Quod spectaculum vt specie triste, ita re nostris perquam vtile extitit. Non solum enim reis pœnam inflixit, sed etiam cæteros consimilem cruciatus causam vitare permonuit. Itaque non minori visentibus documento quàm afflictis supplicio fuit. Nec semel quidem Ericus Sclauici roboris amplitudinem pressit, & neruos debilitauit, sed iterum ac tertio effrenatæ gentis illius ingenia tanto tempore retudit, vt nulla eum vlterius piratici æstus procella pulsaret. Interea defuncto Egino Ascerus clarissimo inter Iutos loco natus, Lundense sacerdotium sumpsit. Fortè autem Hamburgensis antistes ob inanes & falsas suspiciones Ericum execratione mulctandum censuerat. Quod veritus rex, appellatione sententiam præcucurrit, Romamq; euestigio petiuit: vbi causæ suæ examine diligentius habito, pontificis accusationem potenter repulit, cunctisq; defensionis partibus actore superior redijt. Nec contentus efficacissimum causæ dictionis suæ propugnatorem egisse, aduersariæ partis odio penetralium sacrorum decus externo sacerdotio subiectum habere passus nõ est. Quamobrem Romam regressus, tum se, tum etiam patriam ac domestica sacra Saxonica prælatione liberari petiuit, ne religionis ratione exteris admodum obsequi cogeretur, aut eius disciplinam ab alienigenis petere necesse haberet. Nec difficilem curiæ consensum habuit. Quæ ne clarissimum virum repulsa afficeret, tum dignitatis, tum etiã fatigationis eius intuitu mota, petitioni annuit, seq; regnum ipsius summi sacerdotij insignibus adornaturam spopondit, atq; ea promissorum spe regem à se exhilaratum dimisit. Sed tristioris fortunæ quod sequitur. Reuersus nanque Ericus cum more regio domi in propatulo cœnitaret, inter alios quendam musicæ rationis professorem adesse contigit. Qui cum multa super artis suæ laudibus disputasset, inter cætera quoq; sonorum modis homines in amentiam, furoremq; pertrahi posse firmabat. Quinetiam tantas fidibus vires inesse dicebat, vt perceptis earum modulationibus astantes mente constaturos negaret. Cumq; an eiusmodi vsu calleret interrogatus, peritiam fateretur, tum precibus regis, tum etiam minis effectum præsentare compellitur. Qui cum nec vecordiæ metu, nec periculi prædictione imperantem auertere potuisset, ne furori nocendi materia suppeteret, primum æde armis vacuefacta, complures extra auditum citharæ in ambitu collocandos curauit, oriente vesaniæ strepitu fores irrumpere, ereptamq; manibus suis citharam capiti illidere iussos, ne vlterior eius modulatio superuenientes quoque mente captos efficeret. Monuit quoque præstò esse qui furentium vesaniæ valenter occurrerent, ne lymphantes dementia in rixam versa, mutuis seipsos viribus interimerent. Obtemperatum consilio est. Igitur armis domo egestis, clausstrorumq; custodia obseratis, fidibus operam dare exorsus, inusitatæ seueritatis musam edidit: cuius prima specie præsentes veluti mœstitia ac stupore compleuit. Qui postmodum ad petulantiorem mentis statum vegetioribus lyræ sonis adducti, iocabundis corporum motibus gestiendo, dolorem plausu permutare cœperunt: postremo ad rabiem & temeritatem vsque modis acrioribus incitati, captum amentiæ spiritum clamoribus prodiderunt. Ita animorum habitus, modorum varietas inflectebat. Igitur qui in atrio melodiæ expertes constiterant, regem cum admissis dementire cognoscunt, irruptaq; æde furentem complexi, comprehensum continere nequibant: quippe nimio captu furoris instinctus, eorum se

Citharœdus insignis, affectus hominũ pro voto inflectens.

rum se valide complexibus eruebat. Naturæ siquidē eius vires etiam rabies cumulabat. Victo itaq; colluctantium robore, ꝓcursum nactus, cōuulsis regię foribus, arreptoq; ense, quatuor militū continendi eius gratia propius accedentiū necē peregit. Ad vltimum puluinariū mole quæ vndiq; à satellitibus congerebantur, obrutus, magno cum omniū periculo comprehenditur: vbi verò mente cōstitit: læsæ primū militiæ iusta ꝓsoluit: vt autē acrioribus expiationis modis pœnitentiā ederet, redimendæ noxę gratia, religiosæ peregrinationis propositū amplexatus est, Iudæamq; diuinæ visitationis memoria venerabilē adire constituit. Cuius studij sanctitatem cum diu tacitus animo reuoluisset, tandem ijs maxime quos ob excellentem corporis habitum ꝓfectionis suæ consortes destinabat, insinuat. Quibus rem dolenter ferentibus, idipsum apud celeberrima patrię cōcilia publicauit. Quod cū in Wibergica quoq; concione vulgasset, attonita multitudo perinde ac patrem amissura foret ingemuit, absentiam eius pernicioſam patriæ futurā vociferans, inq; eo remorando tota plebs vnius plorabundi amici vultū habuit. Ad vltimū lachrymis suffusa supplicem se eius genibus aduoluit, magnopere deprecās, ne magis priuati voti quàm publici commodi debitum intueretur, eumq; plus Deo syncera regni administratione, quàm exilio placiturū affirmans. Ille precibus concionis voti religiōem opposuit, eiusq; titulo ꝓpositi pertinaciā tuebatur. Nec populo ad refellendam excusationis rationē consilij sagacitas defuit. Redimendi nanq; voti gratia tertiam se rei familiaris partem egētibus erogaturum promisit. Sed ne sic quidem tenacissimam sanctitatis eius perseuerantiā labefecit. Negabat enim rex honestatē culpa redimi posse, seq; alieni æris interuētu voto liberū fore, futurū asserens si conditione vteretur, vt & se periurij, & patriā paupertatis periculis implicaret. Malle vero ꝓprio sumptu profectionē instruere, quàm aliūde impensarū necessaria mutuari, ne alieno grauamine ad peragendum deuotionis propositū vteretur. Itaque seductos maiores de substituendo interim procuratore cōsulere cœpit, non quia prudentia fallebatur, sed ne ꝑteritis aliorum consilijs, suo indulsisse videretur, priuatam sententiā publicę præferendo. Quo audito principes id se consultoris optioni permittere responderunt, ne hac quidē in re de eius industria dubitaturos, cuius summā in alijs solertiam didicissent. Tunc rex Haraldū filium quē præstantior ætas honori tempestiuū effecerat, regis partibus perfunctoriè donat. Scialmoni vero candido splendidissimæ atq; integerrimæ dignitatis viro, cui non solum totius Sialandiæ, sed etiā Rugiæ vectigalis à se factæ procurationē detulerat, peragendæ circa Kanutum educationis officium mādat. Ericum autē obscuriore loco natum hebetiore quoq; cura cōplexus, minoris potētiæ tutoribus applicauit. Quibus dispositis vt granditatis suæ speciē consentaneo corporum habitu minueret, procerissimos quosq; peregrinatiōis participes legit, sicq; alienæ staturæ spectaculo, suæ miraculum tēperauit, ne singularis eius magnitudo visentibus exteris ludibrio foret. Nec piger Botildæ ad consectāda mariti studia animus fuit. Quem quidē eodē voto, sed diuiduo toro secuta, profectionis meritū pudicitia cumulauit. Sed neq; Ericus patriæ quam deseruit curā abiecit. Ne enim Dani sub externo pontifice sacrorum munera celebrarent, missis ad curiam legatis, in ornamentū domesticæ religionis maximi sacerdotij insigne expetendum curauit. Nec eum Romanæ promissionis fides fefellit: profectus enim à curia legatus, qui sacri insignis prærogatiua nostræ gētis sacerdotiū adornaret, cum celeberrimis Danorum vrbibus inspectis cuncta curiosissime collustrando, non minorē personarū quàm ciuitatū respectum egisset, Lundiæ ob egregios Asceri mores, tum quod ad eam è finitimis regionibus terra mariq; transitus abunde pateat, hunc potissimum honorē deferendū existimauit. Nec solum eam Saxonica ditione eruit, sed etiam Suetiæ, Noruagięq; religionis titulo magistram effecit. Nec parum Dania Romanę benignitati debet, qua non solum libertatis ius, sed etiam exterarum rerum dominium assecuta est. Interea Ericus petitam nauigio Ruſciam terrestri permensus itinere magna Oriētis parte transcursa, Byzantium veniebat. Quem imperator nequaq; vrbe excipere ausus, extrā mœnia tendere iussum hospitalitatis officijs prosequebatur, ratus religionis simulatione dolum intendi. Siquidem famam eius ac magnitudinem suspi-

cione insecutus, impēsis eum quàm mœnibus fouere maluit. Ad hæc, Danos sum-
ma à se familiaritate cultos eadē suspicionis occasiōe notabat, perinde ac maiorē
patrij regis q̄ stipendiorū suorū respectū acturos. Inter cæteros enim qui Constāti-
nopolitanę vrbis stipēdia mererentur, Danicę vocis homines primū militię gradū
obtinent, eorumq; custodia rex salutē suam vallare cōsueuit. Nec imperatoris Eri-
cum opinatio fefellit. Verum re dissimulanter habita, venerandorū sacrorū gratia
ciuitatis introitū expetiuit, præfatus maxime se eo loci celebrādæ religionis amo-
re perductum. Imperator collaudato petentis studio, postero se die postulationi
responsurum promittit. Interea qui ex Danis Greçorū militiam secuti fuerant, im
peratore adito, regem suū consalutandi potestatē efflagitāt, permissisq; segregatim
egredi iussum, ne simul omniū animos vna regis hortatio caperet. Subornauerat
enim imperator vtriusq; vocis peritos, per quos eorum Ericiq; colloquia disceret.
Primū itaq; consalutato rege considere iubentur. Tum ille fari exorsus, docet Da-
nos Græcorum stipendia merētes iamdudū honoris arcem virtutibus impetrasse,
indigēis exules imperitare, multoq; foris quàm domi fœliciores existere. Ad hęc,
imperatorē eorum fidei capitis sui custodiā credere, eumq; prælationis vsum non
tam ex eorū meritis, quàm ex illorum qui ante eos Græcorū militiā coluissent, vir-
tute progenitum. Quapropter magnopere eis curandum esse, ne plus temulentiæ
quàm sobrietatis studijs indulgerent, susceptæ militiæ melius affuturi, si neq; se vi-
no, neq; regem solicitudinibus onerassent. Fore autem si frugalitatis normā dese-
ruissent, vt militiam segnes, iurgia alacres exequerētur. Monuit quoq; ne manum
cum hostibus conserturi, maiorem vitæ q̄ virtutis curam agerent, néue mortē fu-
ga præcurrerent, aut salutem suam ignauiæ præsidio tuerentur, promittens se cum
primum in patriam rediissent, fidelem eorum operam beneficijs pensaturū. Quod
si viriliter dimicantes spiritum in acie profudissent, propinquos eorum ac necessa
rios honore prosecuturū. His itaq; consentaneis modis vniuersos affatus, propen-
sam Danorum fidē Græciæ conciliauit. Cuius rei imperator per subornatos certi-
or factus, falso Græcis sapiētiæ p̄rogatiuam ascribi inquit, quod ducis fidem notas-
sent, cuius gentem toties alienā perfidię cognouissent. Siquidem probatissimo po
pularis constantiæ experimento regiæ fidei habitus æstimari poterat. Cumq; eum
religioni potius quàm fraudi intentū aspiceret, vrbe exornari iussa, ac plateis cul-
tius stratis, dextera manu venerabiliter exceptū ad curiā & palatium vsq; magno
cum omni tripudio triūphantis more p̄duxit, & cui suspicionem immerenti infli-
xerat, honorem quo maior ab homine pręstari non poterat, erogauit. Quinetiam
ei perinde atq; honoratissimo hospiti regiā cessit, eaq; nemo deinceps imperatorū
vti voluit, ne quis se maximo viro tecti communione æquasse videretur, hospitijq;
reuerentia perpetuū hospitis monumentū existeret. Quinetiā accersito qui statu
ram eius mensurę parilitate cōpręhenderet, stantisq; & sedentis habitū quàmdili
gentissime coloribus cōplecteretur, tantę magnitudinis admiratione perenni spe-
ctaculo repræsentandam curauit. Et ne tantum hospitem indonatum dimitteret,
complacita postulare præcepit. Quem cum facto opū cōtemptu sacros potissimū
cineres exoptare cognosceret, honorandis ossium reliquijs donat: ille religiosum
munus cupide amplexatus, idipsum imperatoria bulla assignatū Lundiam, Roskil
diamq; deportandum curauit. Et ne ortus sui locum veneratione vacuum sineret,
Slangathorpiam cum Nicolai sacratissimis ossibus diuini patibuli particulā transtu
lit. Quippe & oppidi illius templū molitus, & eo loci vbi nunc aram videmus, ma
tre editus proditur. Præterea oblatum ab imperatore magni ponderis aurum spre-
uit, ac repudiauit, ne postposito continentiæ studio, Græcas opes appetere videre-
tur. Quem mox imperator iniuriæ reum agere cœpit, affirmans se, non donum cō
temptu ab eo fuisse perfusum, abiectisq; precibus vnico notæ irritamento oblatis
verecunde eum vti coëgit. Et ne rex accipientis potius, quàm erogantis partes age
re videretur, humanitatis eius officijs mutua liberalitate respondit. Sed donis eius
precium nouitas fecit, barbarumq; munus hoc imperatori charius, quo Græciæ
rarius fuit. Deinde piraticis ab ipso nauigijs, commeatúque donatus, Cyprum con
tendit. Cuius insulæ natura adeo quondam tumulorum impatiens fuit, vt man-

data

data sibi interdiu corpora, proxima nocte reijceret. Hic rex febri implicatus cum vicinum sibi fatum adesse cognosceret, apud celeberrimam Cypri vrbem corpus suum funerari petiuit, præfatus tellurem aliorũ cineres respuentẽ, suos quietius habituram. Igitur pro voto tumulum nactus, corporis sui beneficio vetustam humi indignationem repressit, eamq; humanis ante cadaueribus reluctantem, non solũ suæ, sed etiam alienæ sepulturæ patientem effecit. Coniugem quoq; eius idem peregrinationis labor finiuit. Iamq; tota regis stirps Suenonis ad tres tantũ filios, Suenonem, Nicolaum, & Vbbonem redacta fuerat. Nam vt ex suprapositis liquet, Kanutum, Benedictum, atq; Beronem ferrum abstulit, cæteros morbus absumpsit. A discessu vero Erici biennium interceſſit, antequam Dania certum mortis eius nuncium accepisset. Igitur Sueno natu maior ab Erico secundus tantopere regnum ætatis fiducia affectabat, vt nequaquam communẽ patrię sententiam duceret expectandam, vocataq; Wibergum concione, publici delectus arbitrium vnius prouinciæ iudicio præcurrere non extimescceret. Et fortassis morum suorum obscuritatem perspicaciori censurę committere verebatur, ideoq; fastigium paucitatis cõsensu rapere, quàm fortunam suam incerto multitudinis decreto subijcere malu*it*, partiumq; suffragijs occupare, quod vniuersorum erat sententia tribuendum. Sed dum citato equitatu cursum ad Wibergicę concionis locum dirigit, corporis firmitate defectus, quo lenius commodiusq; ferretur, carpẽto se excipi iussit, affirmans hilariter obiturum, si saltem sub regis titulo triduum exegisset. Neque enim neruorum hebetudo, aut membrorum tarditas festinabundæ mentis cursum reflectere potuit: sed ob morbi magnitudinem huius quoq; vsum perosus, ministris properare iussis, lecticam popposcit, præfatus nil se curaturũ, si rex à populo salutatus, spiritum in cõcione deponeret. Enimuero insopibilis ambitionis calor imbecillitate superari nõ potuit. Sed dum aduersæ valetudinis immemor supra vires cõcionem appetit, non regno fatum, sed fato regni titulum præcucurrit. Restabat igitur vt circa Nicolaum, Vbbonémque delectus perageretur. Nam Haraldus summa sibi populariũ odia iniquissima regni administratione pepererat. Quippe procuratione in calumniam versa, tam fœde se, tamq; deformiter gesserat, vt abiecto iustitiæ cultu rapinis ac latrocinijs teterrimam in subiectos potentiam exerceret, plebémque omni iniuriæ genere fatigaret. Quo euenit, vt cuncti sordidissimam eius dominationem perosi, nequaquam regnum oppressori deferendum putarẽt, indignum rati iniurias suas obsequijs, angustias honore rependi. Cunctis ergo Yssoram coëuntibus, cum ob ætatem Vbboni summa decerneretur, Nicolaus solus qui id ægrè laturus putabatur, maximo fauore concionis suffragia comprobabat, quod Suenonis filij pro ætatis habitu regni inter se successionem versare consueuerint, sempérque minorem maior honoris huius hæredem habuerit. Vbbo verò parum solertiæ visus, veluti secordiæ conscientia tanto oneri humeros suos subijcere recusauit, vegetioris ingenij fratrem eo munere digniſſimum asseuerãs. Enimuero animi sui imbecillitatem, proprio quàm alieno iudicio metiri prudentius duxit. Sed mihi quidem vitandę præsumptionis gratia, humilius quàm verius de virtute sua sensisse videtur, cui melius respuendo regnum, quàm amplectendo consuluit. Eo quidem honore dignior, quod oblatum sibi fraternæ prudentiæ cedere non erubuit. Et quidem Dani parum iusta æstimatione tam modestam eius verecundiam prosecuti, ignariq; prudentem virum fugiendi oneris rationem inertiæ simulatione quæsisse: quem perseuerantia superare debuerant, negligentia præterire sustinuerunt. Quis enim mentis compos huius refertum industria pectus ignoret? qui se intra priuatum fortunæ habitum continere, quàm dignitatis incrementa cura ac solicitudine quærere præoptauit.

Cypria tellus humanorum cadauerum quondam impatiens.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DVODECIMI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER
DECIMVSTERTIVS.

INGITVR Nicolaus ſuſcepto regno adeò animum ab omni faſtu auerſum habuit, vt nihil ex priſtina manſuetudine ſua decerperet, totámque præteritæ vitæ conſuetudinem retinens, cum fortuna animum mutare paſſus non eſt, ne potius fortunæ mores, quàm moribus fortunam ſubijcere videretur. Præterea ne patriam ſumptuoſa clientela ac voracibus oneraret impenſis, quotidianam militiam ſuam ſex tantum aut ſeptem clypeis ob exturbanda latrocinia contentam habuit, nec petulantiorem regem quàm militem egit. Duxit autem Margaretam patre Ingone Sueonum rege, matre vero Helena natam, cuius caſtitatem rex Noruagienſium Magnus coniugio delibauerat. Qui cum ſedulo Sueones adortus, in Hallandenſes etiam arma proferret, inopinata eorum irruptione perculſus, vt erat calciamentis vacuus probroſum ad naues recurſum habuit, eiúſque fugæ deformitatem etiam cognomine vſurpauit. Cuius manum Ingo ſaluti ſuæ perniciter imminentem ferre nequiens, merendæ pacis gratia filia ei in matrimonium tradita, periculum beneficio repulit. Ex hac itaque Margareta Magnus prolẽ non ſuſtulit. Nicolaus infœlicibus ſobolẽ auſpicijs propagauit. Cuius filius Ingo initio adoleſcentiæ effrenis equi laſciuia excuſſus, eiuſdémque vngulis artuatim obtritus, ſplendidiſſimum ſanguinem luteis viarum ſordibus erogauit, triſtiſſimóque fati genere conſumptus, ſparſis viatim membris, lacerum humi cadauer iacuit. Pædagogus quippe eum equo aſſuefacere cupiens, habenas manu continere permiſit, quarum regimini intempeſtiuus adoleſcens pede ſubſellijs inhærente, contiguum ſolo corpus habuit. Magnus vero fœlicioribus naturæ quàm fortunæ incrementis euectus, teterrimum conſanguineæ cædis piaculum edidit, atq; ad notiſſimum fidei exemplum euaſit. Cui mater ampliorem propinquorum fauorem affinitatum beneficio creare cupiens, Henrico Regnaldi fratris, Kanuto Ingiburgam ſororis filiam coniugio copulauit. Paterna vero bona in æquales admodum portiones partitione redegit, vnam ſibi, cæteras nuptis (quas præfatus ſum) diuiſionis parilitate contribuens. Hinc Danorum, Sueonúmque diſſenſio orta, ac deinde compluribus inimicitiarum incrementis coalita, ad hoc vſque tempus veteris odij tenaciſſima perſeuerat. Præter hæc Ingritha Vbboni cuidam poſtmodum denupta, Nicolao expellice nata proditur. At Margareta non ſolum diuinarum ædium opes latifundijs auxit, ſed & totis viribus ad augendum eorum ſplendorem incubuit, ſacerdotaliſque cultus inopiam exquiſito ornamentorum genere permutauit. Enimuero quo rem diuinam ornatiorem efficeret, pallas, laticlauias, cæteráque ſacerdotij inſignia condere, atque ſacrorum vſibus erogare curæ habuit. Henricus vero Guthskalci ex Siritha filius maternis à Nicolao bonis indigne ſpoliatus, tam acrem eorum repetitorem agere cœpit, vt Danis infatigabiliter imminens, ipſum intra Sleſuici fines ad tuendam ſalutem ſuam ſtatione & excubijs vti cogeret. Interiectam Albiæ Sleſuicóque prouinciam cultore vacuefecit. Cuius rei vlciſcendæ gratia Nicolaus excita claſſe, Liutcham appellit, Eliuo Sleſuicenſis præfecturæ viro equeſtres obuiam ſibi copias ductare iuſſo. Necdum enim Dani externas obequitando pugnas conficere nouerant. Verum præfecti leuitas pecuniæ ab Henrico pactione corrupta, cupidius quæſtum, quam imperium intuebatur. Itaq; Nicolaus Sclauicis in campis vacuam equis phalangem explicat. Tunc Sclaui pedites obequitando laſſare, quàm cum tota acie manum conſerere tutius rati, nunc alas, nunc cornua circumuolando, eadémque varie iaculis inceſſendo, obliquis hoſtem inſultibus lacerabant. Procurſu nanque in eum directo fuga referebantur, nec recurſum ſegnius quàm impetum edebant, noſtrorumq; maiore mole quàm pernicitate ſibi immi-

imminentium ex aduerſo congreſſum vitantes, reiectis habenis, aduerſos premebant. Terribilem bello virtutem furtim & quaſi inſidiarum latrocinijs attētantes, Ita laxata debilitataq; Danorum acies, quia rem in plano parum feliciter geſſerat, vicini montis editum occupauit, ſalutem ſuam quam armis tueri nequibat, loci præſidio munire cupiens: eoq; potita, verticis beneficio ſubiectum hoſtem ſecura conſpexit. Die poſtera ne loci, quàm ſuis viribus munitior videretur, ancipitē campi fortunam repetere, quàm certo montium tutamento gaudere maluit. Sed equeſtris militiæ ſpiritū pedeſtris ferre non potuit. Quo euenit, vt amiſſum pugnæ decus recuperare nitentes, priſtinæ cladis ignominiam poſtera cumularent. Crediderim hanc pugnę fortunam ab inſtrumentorum magis, quàm animorum inopia profectam, quia dum fortitudinis ſpiritus parum curioſe prima militiæ cōmoda circunſpexit, non metus ſed inertiæ pœnas pependit, ſuaq; potius negligentia quàm alienis viribus proculcatus occubuit. Haraldus re fortiter geſta adeò grauiter affectus proditur, vt gradiendi inops clypeoq; à ſuis exceptus, alienis manibus caſtra ſequeretur. Kanutus quoq; per ſummam vulnerum acerbitatem pedum firmitate defectus, promptiſſimam militis fidē expertus eſt. Qui ne dominus ab hoſte interciperetur, periculum eius ſuo diſcutere non dubitauit. Socijs nanq; de induſtria fugere iuſſis, ipſe corporis ſimulatione curſum lentius agens, imminenti ſibi Sclauo manus obtulit vinciendas, eiuſdemq; propius obequitātis habenas corripiens, lata à ſocijs ope, equo barbarum ſpoliauit. Quo potitus, protinus eo ſummam Kanuti imbecillitatem adiuuit. Igitur vt callidæ, ita periculoſæ fortitudinis fœlix exitus fuit. Subeunte crepuſculo noſtri infœlicem pugnę euentum ſortiti, reliquias ſuas vnico repetiti verticis præſidio tuebantur. Cibo quoque & potione defectos præter vulnera ac laſſitudinem etiam alimentorum inopia lacerabat. Igitur ad vltimam penè tabem redacti, quum & pericula vndique, & nuſquam auxilia circunſpicerent, quippe & Scaniēſium tempeſtate detinebatur aduentus, & Elinus pecunia ab Henrico corruptus, reddita tarditatis ratione, copias ducere ſuperſedebat, humanę opis deſperatione ad cœleſte pręſidium confugerunt, abſumptęq; ſpei ſuæ reliquias in dei, quàm hominum fortitudine reponere maluerunt. Poſtera vero die qua Laurentianæ vigiliæ ſacra recolebantur, diuinam potentiam nullo melius, quàm frugalitatis voto propitiandam rati, concione lugubriter habita, lucem qua vel priuatum Laurentij, vel publicum ſanctorum ſolenne præcurrimus, ſiue quam diuinæ paſſionis memoriæ dedicare conſueuimus, annuo temporum volumine repetitam, ab omni Danica ætate continentiſſima ieiunij religione excolendam promittunt. Quod votum publicæ neceſſitatis exigentia nuncupatum, exactiſſima poſteritatis cura firmauit, indignum rata ſtatam à maioribus continentiam ſtomachi impatientia atque eſcarum auiditate conuellere. Diluculo vero noſtrorum acies centuriatis globis naues repetere adorſa, Scanienſes nuper claſſe aduectos obuios habuit. Quorum aduentus beneficio recreata, ipſos perinde ac corpore & viribus integros ne terga ab equitatu inceſſerentur, curare iubet. Deinde compoſito gradum agmine promouens, cum fortè limoſam obiecti lacunaris voraginem traijcere debuiſſet, neque eam vllo compendij deflexu vitare quiuiſſet, peragrare adorſa, ſed mox paluſtri cœno tenacius implicata, ac deſidentis luti illuuie præpedita, confuſo tranſitionis impetu ſimilem fugæ tumultum edebat. Maior pars labili paludis mole peſſundata, pecorum more ab hoſtibus trucidabatur. Ita tranſmeandi auidis improuidaq; & cæca feſtinatione ruentibus impedimentū periculo fuit. Tandē ægrè in littus reditum, diſceſſumq; eſt. Cumq; Sclaui perinde ac victoria freti verbis virium ſuarum laudem præ ſe ferētibus, Danicas vituperio inſequerentur, & quaſi illarum imbecillitati fortitudinis ſuę iactantia procacius inſultarent, Henricus qui probe noſtrorum animos nouerat, diuerſa ſe, inquit, hoſtium robur æſtimatione complecti, quippe regis eorum in equo præualido exemplum liquere. Qui ſi vires ſuas ſciſſet, omne equitis imperium ſperneret. Quas quoniam ignorat, facile inſidentis arbitrium patitur. Ita Nicolaum ſi viribus ſuis fidem haberet, cuncta proſpere, diffidentem vero nihil fœliciter executurū. Poſt hæc Elinus quod patrię fortunam venditauerit à rege perfidiæ da-

mnatus,non ſolum præfecturæ beneficio, ſed etiam patrimonij rebus ignominio ſe exutus,vltima inopia ſordidiſſimi lucri pœnas perſoluit. At Henricus ob ſuperioris pugnæ ſucceſſum audaciæ incrementis euectus, littorales Danos piratica laceſſendo, non ſolum Eidoræ finitima, ſed etiam cuncta Sleſuico Vallóque quod Danorum opus vocamus interiecta vaſtabat: ipſam interdum vrbem illatis clàm per nauigia copijs improuidam aggrediebatur. Itaque poſt exactum Elinum adhuc finibus illis prouiſore vacuis,creberrimæ exterorum violentiæ etiam domeſtica furta acceſſere,tantoq; ciuitas intus quàm foris acerbius vrgebatur, quanto ad nocendum occulta manifeſtis proniora noſcuntur. Æque ciuis vt hoſtis formidabatur. Quippe Freſones cũ Holſatijs ac Dytmerchis impunitatis ſpe ob præfecturæ vacationem concepta, dies latrocinijs, noctes furtis emetiebantur, & vbi faſtigia nequibant, imas ædium partes ligonibus adorti, cuniculis cuſtodem fallebãt, Nec minor ædituorum in aſſeruandis rebus cura flagrauit. Equi intra repagulum ne furtim abſtrahi quirent,ferro compediebantur. Ædium excubitores vberioris cautelæ gratia, valuis affixi iacebant. Nec ſerarum clauſtris contenti, etiam foſſa aditus obfirmabant. Ita graſſante latrocinio quidam ingenuę ſtirpis plurimorum paupertatem partarum nequiter opum incrementis abolitam cernens,abſque reſpectu verecundiæ eadem amplecti animum induxit, clariſſimamq; indolem ſuã ſpe lucri incitatam, ex ſummo nobilitatis faſtigio in obſcœniſſimam atque profundiſſimam turpitudinis ſentinam abijcere non erubuit. Ita ſanguinis decore indecenter vſus,vires generis ad ſcelerum licentiam trãſtulit,& quod virtutibus nutrimentum eſſe debuerat,vitijs obtentui fecit. Siquidem nulli facta eius aperta crimination inſequendi audacia fuit, tantoq; propẽſior delictis impunitas habebatur, quanto conſpectior delinquentis noſcebatur autoritas. Ea tempeſtate miſſi à Kanuto qui pecuniam quam educator eius depoſiti nomine conſeruauerat,in Fioniam è Sialandia transferrent, cum ab vtroq; littore æque diſtante nauigio procul piratas imminere conſpicerent,expenſam fune crumenam vndis occultauere. Poſtremo cum ſe parum potentes remigij animaduerterent, fugæ diffidentia implicati, reciſo tenaculo, vetuſtas regum opes harenis, quàm hoſtibus relinquere maluerunt. Quam rem Nicolaus in Sialandiam ex Fionia traijciens tametſi eminus ſpecularetur, periclitãtibus præſidio fore nequiuit, quod exiguis & inhabilibus ad remigium nauigijs vteretur. Poſtea cum Kanutum iocundum præ ſe vultum ferẽtem conſpiceret,oris hilaritatem increpans ob recẽtem auiti paterniq; ærisiacturam,dolere ei admodum expedire dicebat. Ille nihil hac ſe moueri fortuna dicebat, ſed eius beneficio ſummam liberalitatis occaſionem accepiſſe reſpondit: vt enim ante nihil ex paternarum opum cumulo decerpere auſum, ita deinceps acceſſuras abũde erogaturum. Maximum quippe auaritiæ nutrimentũ diuitias eſſe, quas quiſquis aſſeruare intenderit,humanitati vacare nõ poſſit. Qua voce ſe pecuniæ,ſed eam regi imperare monſtrabat. Cuius rei prẽcipuum extitit documentum quod ſequitur. Cum ob creberrimas acerrimasq; finitimorum excurſationes nemine Sleſuicenſis præfecturę beneficium etiam oblatum recipere audente, Kanutus tam periculoſum à patruo honorẽ non opum cupiditate,ſed fiducia virtutis expeteret,neque gratis eum impetrare quiuiſſet,vendita patrimonij parte,formidoloſum alijs munus precio aſſecutus eſt,eam demum quæſtuoſam eſſe militiam ratus, qua gloriæ & claritatis ſtipendium potuiſſet acquiri. Ita rex extimeſcendum ignauiæ decus virtuti venale fecit, emptor verò plus lucri in militiæ,q̃ opum agitatione repoſuit. Principio ſiquidem perceptæ poteſtatis Henrico per legatos mandat libẽter ſe cũ eo de pace acturũ,ſi primum & damna Iutię emendatiõe penſata, & ſpolia ab ipſo reſtituta fuiſſent. Quibus profectis ipſe interim perinde ac reſpõſi præſcius,non ſolum ſuorũ,ſed etiam eorum quos ex finitimis amicos habebat,manu contracta legatorũ reditum armis ſubſequi ſtatuit. Henricus ſe neq; cum Danis amicitias geſturũ,neq; à maternæ hæreditatis petitione ceſſaturũ reſpondit. Quo accepto Kanutus rurſum ad eum legatos mittit, omnẽ ſequeſtræ pacis cõmunionem publice reciſuros. Quorũ Henricus irriſa legatiõe, Kanutũ impatiẽti ſeſſoris equo pſimilem ait,ſe vero petulantię eius frenos inijcere curaturũ. His auditis Ka-

Diuitiæ,nutrimẽtũ auaritiæ

nutus,

nutus, vt magno impetu, ita minimo tumultu noctu iter ingressus, ferriq; & prædæ abstinẽs, quo minus aduẽtus eius ꝓuideretur, diluculo ad Henrici munitionẽ peruenit. Ille tam subitæ irruptionis incautus, nec arma capere, nec se p̃sidio tueri parat, sed protinus vicinũ mœnibus flumen equo attẽtans, vnico aquæ interstitio hostem fefellit, lætatusq; est quod salutẽ suam amni quàm oppido credere maluisset. Quẽ cum Kanutus vlteriore iam ripa potitũ aspiceret, an maderet per ludibriũ pcontatus est. A quo e contrario quid ita incederet interrogatus, venisse se, inquit, vt promissa ab eo lora recipiat. Ille minas sibi quas nup intenderat responsi vrbanitate exprobratas intelligens, ignominiã ioco ꝓsequutus, adeo mihi, inquit, calciũ viribus obniti videris, vt ne tangi quidẽ cõtinerive queas. Tunc Kanutus prius castrum, deinde cæteræ regiõis culta vastauit. Secũdo quoq; nouatis copijs omnem Sclauiã strage atq; incendio implicauit: nec solum patriã hoste, sed etiã hostem robore vacuefecit, adeò vt prius prouocare solitum ne ꝓpriæ quidẽ tutelę sufficientem relinqueret. Postremo cum totas Henrici vires prudentia sua ac fortitudine debilitasset, sanguinis quo illum proxime contingebat natura actus, vt publicè hostem ita priuatim amicũ egit. Semel nanq; dimisso exercitu viginti duntaxat equitibus comitatus, ad locũ in quo Henricũ diuersari didicerat, cursum direxit, præmissis qui suæ ei salutationis mandata perferrent. Henricus falso hostẽ sibi blandiri inquiens, protinus vbinam esset perquirere institit. Quibus eum in porta adesse referentibus, ipse nuncio attonitus, mensam ad quã fortè prandendi gratia discumbebat, vi manus discutere parat. Tunc legati præsentiã ducis à pace profectã iurantes, conceptum falso metũ affirmationũ suarum perseuerantia discusserunt. Quibus vt Henricus fidem habuit, fugæ meditationẽ amoris indicio castigauit. Enimuero tabulę innixus suffuso lachrymis ore infœlicem Daniã futuram dum tali viro caruerit, aiebat: se vero amicitiam eius syncera amodo fide culturũ. Hunc nimirũ consanguineus amor & suæ infelicitatis obliuisci, & hostis virtutem fateri coẽgit, vtq; propriæ fortunæ immemorẽ, ita alieni laudatorẽ effecit. Deinde pręsentẽ amplexatus, haud parcius lachrymas quàm epulum prębuit. Quippe pręsentem eius mansuetudinem q̃ præteritas noxas attentius intuens, frequentiæ damnorũ vnius beneficij indulgentiã anteposuit. Sed neq; Kanutus profectũ à pietate mœrorem ingratus excepit. Quinetiam plus in creanda pace q̃ fruenda dape voluptatis reponens, & quasi mediatoris partes agere exorsus, Henricũ auunculi gratiam expetere iussit, ac demum consensum eius perseuerantia admonitionis obtinuit. Siquidẽ Henricus rem maternã, cuius repetendæ causa aduersa Danis arma tulerat, precij pactione interposita, Kanuto in possessionem ascripsit, eãdemq; Kanutus ad regem conditionem quà acceperat transtulit, ac deinde receptam ab eo pecuniam Henrico numerauit. A quo etiam postmodũ ad conuiuandum accersitus excipitur, affirmante priori eius aduẽtui minus q̃ decuit impense seruitum. A quo etiam Henricus nuper se vita atq; incolumitate donatum iudicans, Sclauiam ei iurisiurandi firmitate legauit. Huic accessit quod ad gerẽda cum Theutonicis bella, quibus pręcipuè Sclauia vexabatur, filiorum virtutibus diffidebat, maluitq; maturum fortitudine hęredẽ circunspecta arbitrij sui libertate cõsciscere, quàm sub naturali sed inualido patrimoniũ exteris ꝓuadedum relinquere. Hæc offerentẽ Kanutus impietatis sibi notã immerentiũ liberorũ contẽptu pariturũ affirmat, seq; tam iniustis eius promissis vsurum negat. Postremo perseuerantissimis Henrici precibus superatur, propositi rationẽ à natorum socordia mutuãtis. A quo etiam imperatoris gratia quod Sclauia in eius beneficio reponi videretur, admodũ egêre permonitus, equum ei calces auro confixũ muneris loco transmisit, donumq; per se habile inusitatis vngularum ornamentis accipiẽti venerabilius reddidit. Crediderim tũc imperatorem plus laudis in dantis industria, quàm dono reposuisse, cum primi precij metallum quo contẽptibilius habitum, hoc glorioſius videret oblatum. Absumpto Henrico legatã sibi prouinciam nullo refragante possedit. Interea Haraldus cum nec domi clarus, nec foris celeber haberetur, virtutis inopiam quæstuum copia leuare cupiẽs, refertum nequitia animum in imam turpitudinis voraginẽ egit. Ad rapinas & furta mancipijs vtebatur. Seruorum labores latrocinijs applicabat.

Satellitum cultui viciniæ ſpolia, ſumptui impendebantur armenta. Æſtate piratica pariter ciuibus atque exteris inſidioſus exegit. Cæterum quò Roskildiæ damnoſius immineret, aduerſam ei munitionem erexit, quam & ſordidiſſimę clientelæ frequentia compleuit. Itaque ruris opima populatus, pari vernarum maleficio ciuilia lacerabat. Qui clam noctu meritorijs ſeſe tabernis ſubijcientes, complacitas animo merces impune tollebant. Aliis interim diſtrictos hoſpitum iugulis gladios applicantibus, interitumq; minantibus, ni iniuriæ patientiã præbeant. Ea furti violentia ſummam ciuitatis opulentiam ad vltimas rei familiaris anguſtias redegit. Talibus calumniæ ſtimulis laceſſita prouincia, accenſis indignatione animis, vltrices damnorum manus Haraldi bonis inijcere aggreſſa, ſpolia ſpolijs, rapta raptis vlciſcitur. Neque enim ſibi aliena corripere, ſed propria reſumere videbatur. Ipſe tutò terras tenere nequiens, conſternatæ multitudinis impetum nauigio vitauit. Quem Kanutus alieni rapaciſſimum, ac vitioſiſſimis vbique lucris incumbentem aſpiciẽs, aui perſimilem aiebat omnigenis alitũ pennis nidum compaginanti, ſubitò ventorum turbine diſijciendum. Ita Haraldum prædonẽ omnium effectũ omnibus prædam ex ſe daturum, aliorumq; ſpolia ſuorum indubitanter periculo luiturum. At Erico modeſtum erga populares ingenium erat. Qui cum debitam ſibi paternæ rei portionem expeteret, ab Haraldo fratre repellitur, negante adulterio ortum ad hæreditatis communionem pertingere. Ea re, vt par erat, motus, acerrimum bonorum eius perſuaſorem agere cœpit, fraternisq; ſpolijs iniurias ſuas vlciſci probitatis loco duxit. Cæterum Aruacum rapta congeſſit, ſordido negle ctoq; loco ſplendidas opes complexus. Quem Haraldus noctu ibidem inopinatũ adortus, poſtquam fuga delapſum cognouit, morę copia non ſuppetẽte, circa prędam hærere metuens, tecto faces ſubiecit, refertamq; ſuis opibus ædẽ flammis abſumere, quàm raptori intactam dimittere maluit. Quo comperto Kanutus profectas à contemptu lites compeſcere cupiẽs, metuensq; ne degenerati patris fulgor in filijs exoleſceret, vtriq; Sleſuicum venire diſtrictius mandat, ſi ſuperſedeant parte corporum ſpoliandos minatur. Præſentes deinde fraterne coarguens, curioſa animi inſpectione æquiſſimã inter eos patrimonij participationẽ peregit, Ericoq; ac Haraldo in paterna bona eũdum iudicauit. Eodem tempore Henrici Suenonis filij coniunx mariti conuictum ingenti peroſa faſtidio, aliena veſte ſumpta, ſuis ſe penatibus intempeſta nocte ſubduxit. Apud quam iuuenum quidam (vt fama eſt) plurimam obſequio familiaritatem adeptus, callide effecit, vt ad ſuum eam amorẽ perduceret. Deinde ne res amborum periculo proderetur, muliebriter allectam viriliter cultam, furtiue deuexit. Quam vir eius fortuitis ſubſecutus indicijs, apud Alaburgiam in cultu familiari deprehenſam, amatore delapſo, domũ reduxit. Verum hanc ignominiam à clandeſtino Kanuti conſilio profectam ratus, integerrimi viri innocentiam tacitis ſuſpicionis motibus inſecutus, inſontem notabat. Interea Sueticarum partium rege abſumpto Gothi ſummam, cuius omne penes Sueones arbitrium erat, Magno deferre auſi, alieni priuilegij detrimento dignitatis ſibi incrementa quærebant. Quorũ Sueones autoritate cõtempta, veterem gentis ſuæ prærogatiuam in aliquãto obſcurioris populi inuidia deponere paſſi non ſunt. Igitur antiquę dignitatis ſpeciem intuentes, titulum iniuſta collatione præreptũ, nouo regis electu caſſarũt. Qui mox à Gothis trucidatus, morte Magno imperiũ ceſſit. At Magnus incidentem ſibi nuptiarum cupidinem, Polanorum præſidis Bokiſclaui filiam poſtulando compleuit. Qua ſibi per internuncios deſponſa, mox Sclauiæ excitam paterno imperio claſſem admouit, rex cuius Vartiſclauus diutinas cũ Danis, Polaniſq; inimicitias gẽſſerat. Hic Nicolaus vrbem Ornam oppugnare adorſus, obſidionem pactione redimere coẽgit. Inde Iulinum nauigans, Bokiſclauũ magna manu inſtructum obuium habuit. Cuius copijs auctus, celerem oppidi expugnationem peregit: deinde relicto victoriæ ſocio allatam filio ſponſam abducit. Vartiſclauus rem Sclauicam intolerabili vaſtationis onere feſſam conſpiciẽs, pacem colloquio petit. Quo parum proſpere habito, pari ſupplicatione apud Strelam diſcedentes aggreditur, vbi cum pacis pignoribus fretus, nauigium regis ab ipſo inuitatus intraſſet, maligno ſatellitum inſtinctu, captiui more habitus regredi

Ex adulterio natus, hæreditatis particeps eſſe non poteſt.

di prohibitus est. Quam rem Kanutus in concione querela prosecutus, magnopere regem monere cœpit, ne plus alienæ perfidiæ viribus quam propriæ indulgeret temperantiæ, néue hostem fidem suam secutum captione implicans, vt eum libertate, ita seipsum perpetuo famæ splendore priuaret. Fore enim ni captiuum omitteret, vt priuatum crimen publicus patriæ rubor existeret. Itaq; efficaci persuasione vsus, & amicum oppressione & dominum infamia liberauit. Quæ tam iusta Kanuti sententia totius concionis suffragijs comprobata, magnum alienæ inuidiæ irritamentum præbebat. Dimissa classe nuptialia sacra apud vrbem Ripam agi placuit. Illuc siquidem frequens nauigijs portus oppido splendidam mercium varietatem importat. Vbi cum Kanutus in veste Saxonica cæteris cultior progrederetur, Henricus obfusis inuidia oculis alieni cultus splendorem ferre nequiens, orta inter ipsos altercatione, latus eius aduersum gladios ostro tutum fore negauit. Quem Kanutus nullo magis ouillis securum tergoribus respondit: lacessitum vestis suæ fulgorem vrbano rusticitatis opprobrio speciosius quàm minis aut conuicijs vltus. Itaq; exprobratam sibi externi cultus æmulationem, domestici cauillatione prosequi contentus extitit. Idem postmodum orientis partes piratica perua gatus, cum specioſa domum spolia retulisset, ideoq; se dignitatis incrementa acceturum speraret, pro gratia accusationem expertus est, culpatus à rege, quod in re Suetica prædam egisset. Cuius operam valenter editam consimili probitatis gene re æmulatus, Magnus inter cætera trophæorum suorum insignia inusitati ponderis malleos quos Iouiales vocabant, apud insularum quandam prisca virorum religione cultos in patriam deportandos curauit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum causas visitata rerum similitudine comprehendere, malleos quibus cœli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat, aptissime tantæ sonoritatis vim fabrilium specie imitandam existimans. Magnus vero Christianæ disciplinæ studio paganam perosus, & phanum cultu, & Iouem insignibus spoliare sanctitatis loco habuit. Et adhuc quidem eum Sueones perinde ac cœlestium spoliorum raptorem sacrilegum autumant. Sed vtinam initijs eius exitus respondisset. Verum plerisque Magnum sanguine vel necessitudine contingentibus Kanuti inuisa fœlicitas erat. Nihil enim adeò inuidiæ faces quàm parium impar virtus excitat. Sed præcipue æmulum ei Henricum genialis tori contumelia faciebat. Margareta autem benignissima consanguineæ charitatis alitrix, consilij sui tranquillitatem concitatis iuuenum ingenijs opponebat, saluberrimáque disciplinæ moderatione insidiosam petulantium rabiem temperabat. Quæ cum intercutis humoris vitio immodico tibiarum turgore premeretur, neque letiferam morbi rabiem medicamentis leuare quiuisset, ad vltimam penè tabem redacta, Kanutum egregiæ indolis fiducia aduocat, impenseque hortatur, patriæ pacem, propinquorumq; concordiam fidei suæ beneficio foueat, tutamento stabiliat, tantúmque se in rebus domesticis gerat, quantum egerat in externis. Adiecit quoque existere qui regiæ familiæ charitatem odio disijcere niterentur, se vero plenis salubritatis monitis pestiferos talium instinctus pressisse. Ille deum simplicitatis suæ testem affirmat, seq; omne vitæ tempus innocentia ac fide exacturum, periculorum procellas excipere quàm infligere malle promittit, odiáque beneficijs repensurum testatur. Illa promissionis beneficio delectata, tantæ fidei securam æquo se animo obituram asseruit. Quæ vt iuuenilis inuidiæ fluctus viua cohibuit, ita consumpta laxauit. Nam ab eius fato iuuentutis impatientia primam propositi sceleris licentiam mutuata est. Sed & Henricus præter communem simultatem etiam priuata Kanutum indignatione perosus, iniecit os malignitati suæ frenos audaci impietate discussit. Vbbonem quoq; præfectum & Haquinum filium quo firmius dolum strueret, promptiorémque sceleri aditum conciliaret, insidiarum participes facit. Hi tres eximium Kanuti fulgorem virtutis æmulatione pertæsi, graue mendacij incitamentum aduersum excellentem eius claritudinem destrinxerunt. Itaque splendidissimum patriæ lumen densissimis tenebris inuoluere cupientes, nihil eum regis vitæ temporibúsque deferre, sed ipsius exitum præpropera ambitione præcurrere, iamque regiam sibi potentiam arrogare dicebant. Mouit regem tanti contem-

ptus opinio, denunciataq; concione, Kanutum iubet accersi. Qui cum prior præstitutum frequentiæ locum adisset, superuenienti patrio Theutonicæ comitatus more, pallio vacuus obuiam accurrit, equoq; descendentem continendę sellæ ministerio veneratus est. Tunc Nicolaus fari in concione exorsus, docet Suenonis filios in regni gestione ætatis præcipue respectum egisse, successionis habitum ætatis ordine dispensasse, dominandi ius in annorum prærogatiua constituisse, neque minori maiorem honore præcurrere licuisse. Quamobrem sese vt natu minimum, ita etiam regno postremum fraternæ moderationis exemplo nullam fortunæ violentiam intulisse, expectatorem beneficij eius non raptorem fuisse, neque ad intempestiuum ætati culmen manus præpropera porrexisse cupidine. Kanutū vero parum priorum exempla secutum, violato speciosissimæ consuetudinis habitu, regni ius cum re necdum queat appellatione pręcerpere, singulare nominis insigne celerius quàm iustius occupare, iámque à suis falso regis titulo censeri non erubescere, consultius acturum si regnandi fortunam non in suorum adulatione, sed in extantis adhuc regis occasu reponere, maturumq; præstolari decus, quàm intempestiuum præripere mallet. His atque consentaneis modis regiæ sibi nuncupationis insigne eripi querebatur. Tunc exurgens Kanutus diu vultū humi intentum habuit, dicendiq; exordiū aliquantisper sudore & suspirijs præcucurrit. Tandem & oculos & animū leuans, gladijq; vt mos est capulo innixus, peccant, inquit, pater qui moderationē tuam suprà quod aut maiestati, aut ętati debes, exasperant, quiq; pacatissimæ mentis tuæ serenum, mendaciorū procellis incitāt, obtrectationum sibilis vexant. Sed onustum mihi valde est, quod integerrimā animi tui temperantiam aliquid ab alienissima tibi iracundia mutuatā, & quasi siniſtro rationis ductu transuersam ferri conspicio. Reijce quæso nugarum auctores mendaciter obstrepentes, falsęq; huius criminationis figmentum respue. Neq; enim iniurioso tibi nomine censeri sustineo. Herum me mei, non regem appellant. Itaque cum à Sclauis dominus salutari consueuerim, siniſtri tantæ comitatis interpretes alienæ vrbanitatis occasione insimulationis materiam aucupātur, ipsiq; venerationis officia negligentes, etiam aliorum iusta criminantur obsequia. Ego vero non regnū (vt aisti) vocabulo vsurpo, sed temperata nominis dignitate fastuosum salutationis decus fugio, inuidendum honoris fastigium sperno. Ita absque omni maiestatis tuæ præiudicio barbara circa me resultat humanitas. Meam vero inter alienos venerationem indigne ferunt, qui & mihi lucem, & fidum lateri tuo militem eripere gestiunt. Hos æque tui vsus ac mei capitis hostes iudico. Esto vocari me regem: en filium tuum Magnum nuper apud Gothiam regij cultus & nominis insignibus potitum comperimus. Mihi quoq; si par apud Sclauiam fortuna fauisset, certe binis regum obsequijs vti iocūdum ducere debueras, idemq; tuæ quod meæ fortunæ incrementum existimare. Proprio nanque parta negocio, tuo quamalacerrime subiectarem fastigio, foretq; vt inde seruitiorum fructum decerperes, vnde alioqui damnorum aduersa perferres. Itaq; plus amoris quàm odij in mea fueras fœlicitate repositurus. Adde quod pro tua ac patriæ incolumitate excubare omni sorte lętius, omni studio speciosius duxi. Ipse an efficaciter militauerim, nosti. Littora Dani si placet excolite, ęquoribus ædes quātalibet propinquitate iungantur. Ipsi vndas cauete à maritimis, ego vos à prædonibus præstabo securos. Et si veri confessorem agere non erubescis, ipse iampridem Slesuici consistens, salutem tuam aduersum Saxonum excursatiōes iugibus excubijs vallare necesse habuisti. Eò si nunc diuertere libitum est, liberas metu noctes exigere poteris. Præterea angustias regni tui sola Daniæ possessione contentas, inusitatis terminorum augmētis explicui. Quos prius infensos habueras, nunc in tributum acti, tuo per me famulantur imperio. Itaque quarum ego rerum sementem ieci, tu fructum absque negocio messuisti. Et quidem impensam ad militem, emolumentum ad regem redū dare par est. Et ne vlterius priuatæ militiæ facta prosequar, etiam in publica aduersō pro te vulnera corpore excepi. Et tamen sic de te meritum suspicione, & querimonia causabundus aggrederis, veterisq; militis tui promptissimā fidem & certissimam innocentiam notare deforme non ducis. Hisne ergo operibus merui, vt aduersum

uersum me æmulationem tuam in concione destringeres? Hæc ne ex labore præmia, ex militia stipendia decerpam, vt cuius beneficentiam sperabam, indignationem experiar? Aliena à te sit ingrati hæc animi labes, vt operum meorum beneficijs, inuidia atque obtrectatione respondeas. Verum totam hanc insimulationis vim ab inuidia profectam, non tuæ, sed tuorum malignitati imputãdam existimo. At in regni fastigio collocatos, difficiles accusatoribus aures præbere conuenit. Diu paternum hoc imperium gere, fœliciterq; & nominis & regni insignibus vtere. Hæredem tibi quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego vero in quocunque me fortunæ habitu continuero, nunquam celsitudinem tuam fide vel obsequio colere supersedebo. Permulsus oratione rex, placidiorem oris habitum induens, offensam falso instinctu conceptam in ipsa repente concione deposuit, execratus eos qui simplicitatem eius scurriliter attentassent, seq; deinceps aduersum huiusmodi criminationum susurros aures obseraturum promittit. Cúmque Henricus omnem obtrectationis suæ molem prudentissima Kanuti responsione subuersam videret, familiaribus regem minis aggreditur, summa illum regni affectatione teneri inquiens, incertámque Magno regni potitionem futuram, si populo iudice de summa secum foret controuersiam habiturus. Quippe Kanutum cæteræ nobilium turbæ popularium suffragijs prę ferendum. Quamobrem debere patrem successionis ius proprio potius quàm alieno mandare iudicio, destinatúmque hæredi locum æmulo vacuefacere, dum filij rebus consultum esse velit. Itaque sapere eum si suspectam Kanuti fortunam ferro præcurrere studeat. Hæ voces sæpius lacessiti regis animum solicitudinibus implicatum, grauiori quàm ante suspicione torserunt. Tunc Magnus perinde ac fortunæ suæ consulendi, tollendiq; æmuli, à patre licentiam nactus, accitos qui se superius Henrico sceleſtissimi consilij collegio sociauerant, iurare coëgit, fidum se commissi silentium acturos. Adiectus est his Haquinus cognomine & genere Iutus, neque voci eius vlla ex parte diffisum est, quanquam Kanuti sororem in matrimonio habere nosceretur. Igitur coniurati diu secum taciteq; lustrantes quibus periculorum procellis, quóue exitij pondere diuinum Kanuti caput obruerent, pestiferi consilij laqueos, humi decubãdo nectebant, vt si rem casu detegi contigisset, nunquã stando, sedendóue saluti ipsius insidiatos se esse tutò iurare quirent, prę sidioq; situs innocentiæ sibi munimentum conciscerent, ignorantes verborum artificio iuramentum edentẽ, periurio obnoxium fore. Quorũ fucosa atq; errabunda simplicitas, plus criminis in vocis quàm actus impietate reposuit, non in manuũ sed labiorũ temeritate religionis violationem constituens. Cum autem Haquinus Iutus cœpti modeste sermonis exitum, Kanuti ne saluti insidiosum aduerteret, protinus collegio se pestiferæ conspirationis abrupit, conclaueq; excessit, ne latronis potius quàm necessarij partes egisse videretur. Igitur à coniurationis autore ne iurisiurandi vinculum perrumperet, monitus, neque fautorem consilij, neque proditorem se futurum respondit, quanquã satius esset immerentis periculum indicio præcurrere, quàm silentio tolerare. Vt autem Magnus insidiarum contextũ familiaritatis præsidio obscuraret, cũctamq; suspicionis notã calliditatis acumine vitaret, ante omnia consultum duxit, vt cum eo cuius ardẽtissime cruorem sitiebat, fictã amicitię æqualitatem iurisiurandi pactione consereret, perinde ac religionis pondere propinquitatis vinculum astricturus. Et vt cunctam malignitatis notam sanctitatis simulatione præcurreret, nihilq; perfidum aut obscurũ voluere putaretur, iniquissimã molitionem suã insidiosa religionis adumbratione contexit. Quippe contracta apud Sialãdiam nobiliũ frequentia, Kanutoq; circa diuinum natalis solenne conuiuandi gratia Roskildiã vocato, sacrę sibi peregrinationis amorem incessisse perhibuit. Præterea coniugis ipsum ac liberorum tutorem ordinat, eiq; plenissimam rei familiaris suæ custodiã mandat. Et fortè tunc Ingiburga consilij cognitionẽ conscIorum indicijs apprehenderat, statimq; virum vt præparatas capiti suo vitaret insidias, missis literis monendum curauit. Ille nunciũ non tam à deprehensionis certitudine, quàm à muliebri pauore profectũ existimans, monitionẽ respuit, seq; non minus fidei in Magni quàm vxoris præcordijs reponere dixit. Quem si fortuna æque ac coniunx con-

silio instruere voluisset, obiectos perfidiæ laqueos consultius vitasset, neque credu litatem suam alienæ malignitatis hamis implicandam præbuisset. Interea magnatibus apud Roskildiã, quatuor solenniũ dies cõtinuò feriatis, Kanutus ac Magnus, publico iam conuẽtu soluto, sacri tẽporis residuum diuiduo peregêre cõtubernio. Eodem fortè tempore quidam Kanuto admodũ sanguine coniunctus, in eius conspectu dissidentem secũ militem fuste percussum interemit, atq; ob id curia abire iussus, Magnum petiuit. Prouidens autẽ Magnus, ne per eum vllum consilij sui indicium ad Kanutum manaret, nocte qua ad detestabile carnificis ministeriũ peragendum contẽdit, cæteris se sequi iussis, solum hunc pristina Kanuti familiaritate suspectum comitem recusauit. Consilij deinde participes iureiurãdo obstrictos fidem facere compulit, silentio se cuncta tecturos. Post hęc militem latebra claudit, insidiasq; circũspecta locorum obscuritate disponit. Mox Kanutũ apud oppidum Haralstadium, ab Erico Falstriæ præfecturæ viro domi exceptum, per coniuratorũ quendam genere Saxonem, arte cantorem, sine arbitris sibi obuium venire iubet. Occursus locum apud citimum villæ nemus denunciat. Ille nihil in re doli suspicatus, duobus tantũ militaris ordinis viris totidemq; equisonibus in comitatũ assumptis, armis vacuus equũ petiuit, neq; lateri suo ferri munimentum adscisce re curæ habuit. Quẽ cum e famulis quidam gladio vacuum incedere vetuisset, nequaq̃ se in salutis tutelam ferro opus habere respondit. Tantũ enim fiduciæ & pacis in Magni societate reposuerat, vt in occursum eius ne ense quidẽ vtendũ putaret. Monitore vero ne ferrum omitteret insistẽte, ægre gladium sumpsit. Tunc cantor quod Kanutum Saxonici & ritus & nominis amãtissimũ sciisset, cautela sensim instruere cupiens, cum iurisiurandi religio quo minus id ageret obstare videretur, quia liquidò nephas ducebat, sub inuolucro rem prodere conabatur, integritatem suam inter fidum arcani, & pium innocẽtiæ seruatorem partitus. Igitur specioſissimi carminis contextu notissimam Grimildæ erga fratres perfidiam de industria memorare adorsus, famosę fraudis exemplo similium ei metum ingenerare tentabat. Sed nullis monitorum ambagibus securitatis eius columen quassare potuit. Tantum quippe fidei in Magni propinquitate repositum habebat, vt salutem suam periclitari, quàm ipsius amicitiã notare mallet. Quem cantor certioribus adhuc indicijs aggredi perseuerans, loricæ quam sub veste gestabat summa detexit. Sed ne eo quidem suspicionis irritamento refertum fortitudine pectus, ignauia astringere valuit. Ita solidæ industriæ satelles fidem suam & periurio vacuam, & innocentia plenam præstare voluit. Iamq; Kanutus primos syluæ aditus subibat, cum à Magno occiduum arboris truncum insidente, falsa oris hilaritate, & fictis osculorum blandimentis excipitur. Cuius vt astrictum amplexibus pectus ferro tectum agnouit, quid ita eo cultu esset perquirere institit. At ille dissimulandæ fraudis cupidine munimenti rationem referre cupiens, esse virum, inquit, vitæ rusticæ, cuius populari penates vellet. Kanutus & rei atrocitatẽ, & temporis religionem sancte æstimans, quippe Epiphaniæ sacra gerebantur, ne priuata ira publicum solenne macularet, orabat. Quo, neque se vltionem remissurum, neq; proposito cessurum iurante, ipse satisfactionis iusta promittere, suamq; pro eius correctione sponsionem offerre cœpit. Obstrepentibus deinde qui insidijs addicti fuerant, oculos in partem circunferens, quid sibi militum hæc manus velit interrogat. Cui Magnus, iam de regni successione & rerum summa agendum respondit. Tunc Kanutus, vt patris eius maiestas diu lætis fortunæ velis prosperum cursum teneat, exoptat. Tempestiuam vero talium mentionem incidere negat. Hęc dicentis verticem exiliens Magnus obiurgantis more corripuit. Igitur Kanutus patente iam dolo manum capulo inferens, vagina ferrum abstrahere conabatur: iamq; gladium mediotenus destrinxerat, cum eum Magnus capitis media diffissum exanimat. Cæteri coniuratorum prostratũ crebris confodêre cuspidibus. Sanguis eius terræ redditus salutarem fontis scatebram perpetuis vsibus mortalium administrat. Cuius cæde cõperta Skyalmonis filij, quibus multa ad eum ex educationis communione familiaritas erat, petitum ilico regem vt ipsum in Roskyldensium monumentorum area tumulari patiatur exorãt. Ille loci copiam negare, ciuitatem tanti mali aspectu exaspe-

aſperandã dicere, eosq; à quibus funebris Kanuti pompa duceretur, indignationem ſuam aduerſum inuiſam Magni præſentiam acrius deſtricturos. Quapropter exequias potius ſeditioſum pugnæ ſtrepitum, quàm pium humanitatis obſequiũ habituras. Hic mihi pauorem ſpecie, reuera odium exhibuiſſe videtur, curaſſeq; ne ſpecioſo occiſi funere tetrior interfectori labes accreſceret. Reuerſi qui regi ſupplicauerant, miſerandum amici corpus tenui funere Ryngſtadium extulerũt. Nec diuina laborantibus beneficẽtia defuit. Siquidem locum in quo pauſantibus gerulis funebris eius lectus conſtiterat, repentino fontis ortu ſignauit. Alijs quoq; compluribus rerum indicijs ingens ſanctitatis eius ſplendor eluxit. Facinoris fama, promiſcuum patriæ lamentum exciuit, omniq; penates plangore compleuit. Populus enim cum calamitoſum de nece eius nuncium accepiſſet, protinus conuiuiorum quæ ea tempeſtate gerebantur, hilaritate depoſita, morem tempori impenſum mœrore mutauit, inq; eo lamentando, vterque ſexus vnius gemebundi amici vocem habuit. Cuius funus publico luctu elatum, quantus eius amor omnium animis inſitus eſſet, indicio fuit. Itaq; cuius vitam patria charitatis officijs exco luerat, morti quoque teſtes grati animi lachrymas erogabat, vt Kanutum eiulatibus, ita raptorem ſpiritus eius validiſſimis execrationibus inſecuta. Magnus verò ob impiæ cædis euentum profuſo in gaudium animo, Roskildiam repetit, regnũq; quaſi ſublato iam æmulo ſpei firmitate complexus, erubeſcendam facinoris fortunam tripudio proſequi deforme non duxit. Quinetiam ſanctiſſimis Kanuti vulneribus quibus plenas pœnitentiæ lachrymas debuerat, voluptate ex facinore concepta, per ludibrium inſultare ſuſtinuit. Ne autem ſanguis cœlo terraq; egregie meriti propagine vacuus interiret, hæredem deus extincto ſubiecit. Nam octaua poſt hæc luce, Ingiburga Kanuti conceptum ex eo marem enixa proditur, cui & materni aui nomen inditur. Tunc Haquinus quem ſuperius Sunniua ortum ſignificaui, cumq; eo Petrus matre Botilda natus, & filij Skialmonis, facinoris atrocitatẽ graui querelarum contextu proſequuti, indignam amici necem in populariũ vbiq; concilijs deplorabant, aduerſum iniquiſſimum percuſſoris actum vulgi iram erigere cupiendo. Quinetiam tunicam eius crebris foraminibus abſumptam omniũ oculis in concione ſubijciebant. Nec parum luctuoſam eorum actionẽ laceræ veſtis irritamentũ adiuuit. Quippe compluribus ingentem vltionis cupiditatẽ tam fœdę lacerationis ſpectaculum ingenerauit. Sed & ſanctitas Kanuti crebris ſignorum indicijs prodita, ac diuinis vulgata miraculis, incredibili cladis eius cõqueſtoribus adminiculo fuit. Haraldus quoq; interdum declaratam apud Ryngſtadium concionem, maiore regni quàm vltionis affectatione petiuit, ibiq; triſtiſſimam fraternæ necis querelam peregit. Ericus vero inſularũ à Kanuto præfectura donatus, ſola vindictę meditatione ſolicitus æſtuabat. At Nicolaus popularis inimicitiæ metu periculoſum concionis aditum ſuſpicatus, ſuamq; vel filij copiam multitudinis viribus offerre non auſus, Lundenſium antiſtitis Aſceri conſilium aduocat. Quo edoctus, Magno Roskildis relicto, Ryngſtadium petit, ſperans ſe per abſentiam filij pacatiorem plebis frequẽtiam reperturum. Verum quia habendam in collibus concionem tuto petiturus non videbatur, in oppido acquieſcere, quàm incertam populi fidem diſcrimine ſuo tentare maluit. Cumque Kanuti fratres fatum eius apud concionem pari fuiſſent querimonia proſequuti, populus lachrymoſa eorũ actione permotus, tam innocui ſanguinis carnificem publica damnatiõe mulctauit, ſentẽtiamq; ſuam aduerſum tam pij ſpiritus oppreſſorem deſtrinxit. In regem vero priſtina adhuc fortuna venerabilem, tanquam de eius incerta conſenſu ſeuerius conſulere paſſus non eſt, ne noxam & innocẽtiam in ęquo ponere videretur. Itaq; patrię parentem honoris pariter eius atq; ætatis æſtimatione verecundius habita, ab hoc animaduerſionis genere immunem reliquit. Orta tandem de regis abſentia mentione, ſubitis conſternationis furijs incitatus, laxato concionis ordine, intra ſuos eum penates opprimere geſtiebat, præfatus iuſte regẽ ab his adiri, quos prior ipſe petere noluiſſet, præſertim cum præſentiam ſuam concioni quę per eum vigere debuerat, in vicinia conſtitutus negaſſet. Quod cum rex ex his quos ad cognoſcendas cõcionis voces direxerat accepiſſet, Aſcerũ emittit, qui reuerentiã &

nobilitati suæ,& sacerdotio debitam iræ vulgi irrumpentis opponeret. Ille plebis in occursum contendens,conspecto Erico, dexteram habenis eius equo delapsus inseruit. Quem diu ac multum vt iram cõceptam temere,remitteret precatus,pro Magni facinore decretam lege correctionem, pro patris eius innocentia statutam defensionis iustitiam promittebat. Quinetiam detracto pileo,consternatæ multitudini capitis sui maiestatem obiecit. Tantum autem eius apud Ericum precatio valuit,vt regi non modo salus,sed etiam in proximo petendæ concionis licẽtia deferretur. Quanquam enim populus ardẽtissimo studio in Kanuti vltionem ferretur,autoritatem tamẽ antistitis quæ inter Danos amplissima erat,ante oculos ponens,plus eius precibus quàm suis sententijs indulgendum putauit. Itaq; rex cõcione sine filio petita, non aliter defensionem sibi cõciliare permissus est, quàm vt se Magni præsentiam vitaturum,eumq; domo ac patria excessurum,nec ante recepta a populo veniam reuersurum iuraret. Cęterum ne vulgi iram exasperaret,diuiduum cum eo concilium habuit,internuncijs partium mandata gestãtibus. Arbitrij siquidem regis facultatem,exilij quod Magnus apud Gothiam cuius rex esset agere poterat, intuentes conditione vtendum monebant, futurum rati, vt interim in omnium animis odij eius habitus exoleſceret,ipseq; prolixioris absentiæ beneficio mitiorem patrię sententiam reperiret. Populum quippe exilij eius miseratione mouendum,iram quam sceleri inflixerat,pœnitẽtiæ remissurum sperabant. Ita pacato popularium motu,rex Iutiam,Magnus Gothiam exilij speciem prębiturus petiuit. Huius pactionis obtrectatores amici regis fuere: quippe qui Magno occidendi Kanutum consilium dederant, conditionis habitum execrantes, teterrima sibi ratione regem consuluisse dicebant,satius affirmantes vt ipse rerum summam deponeret, quàm vnicum filium & in spem regni procreatum, ob leues agrestiũ minas exilij deformitate damnasset. Quamobrem oportere Magnum reuersiõis ius paterno potius quàm populari arbitrio subiectum habere, citissimoq; reuocationis beneficio patriæ & propinquis inconsulta plebis malignitate restitui. His vocibus irritatus Nicolaus,missis qui Magnum accerserent,abdicatam eius communionem inimica religioni charitate repetijt. Nec pensi duxit cum contemptu periurij damnatam sanguinis sui præsentiã amplexari. Cuius indulgentiæ temeritas procellam Magni discessu pacatam, reditu concitauit. Enimuero Ericus ac Haraldus Nicolaum,cui eatenus indemnitatem detulerant,vtpote voce sacrilegum, cõsilio parricidam,detestabili filio damnationis consortione iunxerunt,scelere pares pœna æquandos existimantes. Neq; enim vlterior iurationi eius fides habita est, qui iam præpropera filij reuocatione conspicuum cũctis periurium edidisset. Verum ne populus regio ductu vacuus regem incesseret, sub certis signis militare constituit, fragiles conatus & propositi irritos iudicans, quos nulla auspicia procurassent. Itaque regem ex consueta potissimum familia petiturus, præterito Haraldo, Erico quod huic stirpi affinis esset, & nomen, & regias vires suffragijs detulit. Siquidem facilem ex his electionem morum inæqualitas faciebat. Non solum enim auaritia Haraldi, sed etiam libido flagitijs obsita, à regno repelli meruit. Huic coniugalia sacra spernenti, frequens cõcubinis cubiculum extitit. Quippe matrimonio non contentus,genialem torum pellicum vsu pollutum habuit. Quarum partus singulis in cunabulis excepti,& in aula liberis matrum officijs educati, triste nuptæ spectaculum fuere. Igitur ob inuisos parentis mores, suspecta quoq; posteritas erat, nec solum præsens patris, sed etiam futura liberorum metuebatur impietas, quod filiorum affectus paternis soleant ingenijs respondere. Eapropter cuncti ab Haraldo oculos auertentes,benignis Ericum animis respicere maluerunt. Ipse vero plus propriæ moderationi quàm alieno fauori indulgendum existimans,oblatum à popularibus honorem sumere recusauit,ornamentum eius viribus quærere,regnũq; armis præcurrere cupiens. Igitur & vltioni studendum, & imperio ante partam victoriam abstinendum putauit,ac primum Iutiam imparatę expeditionis viribus petit. Quem contexta acie procedẽtem Toro Riparum antistes compositis perfidiæ commentis excepit,summã regis innocentiam prædicãs,eumq; iurationis suæ tenorem deinceps executurum promittens. Verbis deinde magnam præ se excusatio-

Periuro iurãti non facile fides adhibetur.

ſationem præferentibus, preces de pace multiplicat. Ericus obſecrantis animũ ſimpliciter æſtimans, ſecuritate ex eius mendacio concepta, continuo reuocatis aquiliferis, ſubſiſtere copias iubet. Cuius mora Nicolaus ex ſpeculatoribus cognita, profuſos in ocium hoſtes nullo negocio fugauit. Ita dux antiſtitis commento ludificatus, ſtolidæ credulitatis ſuæ pœnas pependit. Cumq; ob hoc datum ſibi iuſtum belli titulum animaduerteret, ſed ob rerum anguſtias regio apud Yſoram nomine inſigniri nequiret, Sialandiam reuerſus, eius Scaniæque ſuffragijs recuſatum prius honorem accepit, omniq; diſſimulatione reiecta, acrius in fratris vltionẽ erigitur. Inde literas ad Lotharium facit, amici necem vlciſcatur orat, parricidij à Magno pœnas expetat, eumque in ſocietatem belli tum precibus, tum etiam præmij pactione ſollicitat. Imperator maiore potiendi regni quàm exigendę vltionis cupiditate perductus, ſecus Iutiæ mœnia gradum Romano militi ſtruxit: etenim propoſiti ſpem non tam in viribus ſuis, quàm interno diuiduæ regionis motu repoſuit: cui ſe Ericus apud Sleſuicum claſſe obuium dedit. At Magnus vtriuſq; hoſtis aduentum accurata valli munitione præcurrens, validum portis præſidium applicuerat. Interiectis diebus Nicolaus citeriora valli immenſo Iutorum agmine circunfudit: cuius tantæ copiæ erant, vt imperator acie manum cum eo conſerere formidaret, ſed neque claſſe Erici ad copias ſuas in vrbem traijciendas vti præſumeret. Cumque nec aggerem oppugnare, nec militem nauigijs mandare tutum duceret, inaniter tempus à ſe teri conſpiciens, pacis conditiones excogitauit, quibus ſpecioſam ſibi ſoluendę obſidionis rationem conſciſceret. Ericum itaque cui intergerrimam opis ſtabilitatem ſpoponderat auerſatus, pactum cum aduerſæ partis principibus habuit, vt obſidioni ipſe parceret, Magnusque Romani imperij militem ageret. Qui cupide conditione vſus, ſupplex Lotharium veneratus eſt, ſed inſidias parabat obſequio. Ille ex pacto copias trans Eydoram recepit. Quo accepto Ericus Cæſarem nauigio petitum per ſummam Theutonicæ perfidiæ execrationem exprobratione leuitatis inſequitur, futurum affirmans, vt Magnus tali ſe circa ipſum fide gereret, qualẽ nuper in excolenda Kanuti ſocietate præbuerat. Nec vana aſſertio extitit. Imperatore ſiquidem Eydoram remenſo, Adolfum extremos ab eo curare iuſſum, Magnus per inſidias adortus, non ſolum copijs ſpoliauit, ſed etiam arma deformiter abiectantem nando fugam capeſſere coëgit. Ericus imperatoris ope defectum ſe videns, per ſummam animi ægritudinem orientalia repetiuit. Superueniunt legati à Magno rege Noruagienſium miſſi, maiorem Kanuti filiam ſed nondum nuptijs tempeſtiuam, eius coniugio petituri. Quorum legationem Ericus contrahendarum virium ſpe fauorabiliter habuit, excepit alacriter, cupiens finitimorum auxilia affinitatis beneficio comparare. Ipſe quoq; bellis ocium interpellantibus, adhuc coniugio vacuus, nouercam Magni Noruagienſium quondam reginam, vtpote dignus hac nuptiarum viciſſitudine fauente eiuſdẽ priuigno ſuſcepit vxorem. Hybernis itaq; per quietem exactis, recidiua belli tempeſtas efferbuit. Nam Nicolaus occaſiuum Daniæ militem cõtrahebat. Ericus Chriſtierni ſplendidiſſimo inter Iutos loco nati promiſſis euectus, orientis auxilia pugnæ comparat. Is Magni odio à Nicolao deficiens, enixe ſe Erico affuturum ſponderat. Petrus vero Roskildenſium pontifex Ericum corpore, Nicolaum animo comitabatur: metu alterum, alterum charitate complexus. Sed Haraldi fauor inter ruborem & odium varie fluctuatus eſt. Vt enim Nicolai caſtra verecunda pudoris meditatione vitabat, ita fratris prælationem peroſus, militiã eius inuidia detrectabat. Itaque partes eius cum duobus ſpectatæ indolis filijs, ſpecie magis quàm benecuolentia proſequebatur. Neq; enim ei parcius aduerſum germanum, à quo ſe in regni petitione ſuperatum videbat, quàm in fratris interfectorem odium erat. Interea Chriſtiernus neceſſariorũ manu contracta, acie regem aggredi ſtatuebat. Cuius Nicolaus non ſolum defectione, ſed etiam hoſtili molitione comperta, copias quas aduerſum hoſtes contraxerat, inter naualem terreſtremq; partitur exercitum. Quinetiam Chriſtiernum acie excipere parat, Magnum claſſe præfectum Erico obuium deſtinat. Iam vero Ericus ad inſulam, cui Syra nomen, appulerat. Quo ignorato Magnus aura quam euentu proſperiore ab Aruſia ſoluit, nauigijsq;

alijs alia præcurrentibus, ſparſa incompoſitaq; claſſe proceſſit. Cuius Ericus aduentu prænognito, ſcafa exceptus, nunc ſingulos, nunc vniuerſos claſſis ſuæ magiſtros, maximeq; Petrum & Haraldum, quorum dubiam ſuſpectamq; fidem habebat, impenſioribus pugnæ hortamentis ſollicitat. Neq; enim repẽte cum tota Magni claſſe manum conſerere cupiebat, ſed nauigia vt cuiq; celeritas curſum dederat accedentia ſigillatim nautarum internicione vaſtauit. Quorum Magnus eminus pericula ſpeculatus, confeſtim demiſſo velo, nauigium ſuum anchoræ quàm aurę credere præoptauit, diſiectamq; pelago claſſem lituo recinente cõtraxit. Igitur ignauis fugam, fortioribus pugnã apprehendentibus, Ericus cum nauiũ numero pręſtaret, arctiſſimo earum cõtextu hoſtẽ concluſit, ac veluti claſſe claſſem obſedit, atrocitatemq; pugnæ augebat neceſſitas. Cumq; lutẽſes neq; victorię facultatem neq; fugæ copiam fortunæ ſuæ ſuppetere viderent, duci quàm ſibi cõſulere pręoptãtes, ſalutẽ eius proprijs ſeruauere periculis. Quippe cõſertiſſimæ claſſis cuneum irrumpentes, quia victoriã Magno præſtare non poterant, victo fugã quęrebant. Nam eidem Mioparonẽ ingreſſo, veluti quandã elabẽdi ſemitã ſecuris periculorum animis extruebãt. Quo dilapſo nihilominus pugnãdi pertinaciã retinentes, aut morte, aut captione finiuere bellũ. Cumq; victores ſpolijs deuictæ claſſis incumberẽt, inter egeſtã nauigijs prædã, quendã velo implicatum conſpiciũt. Cuius ex deformitate latebræ formidinẽ æſtimantes protinus ob ignauiã eũ laqueo conſumpſerunt, vti fœdo mortis genere ſpiritũ redderet, quem pugnę fortiter impendere dubitaſſet. Interea Chriſtiernus manu cum Nicolao infœliciter cõſerta, per ingentem ſuorum ſtragem capitur, & in oſtij Sleſuicenſis ergaſtulum relegatur. Ericus vero recentis pugnæ ſucceſſu elatus, ſed eorum quę circa Chriſtiernum gerebantur ignarus, potiendæ Iutiæ ſpe mare Lymicũ claſſe compleuit. Vbi cum expoſitis incautè copijs, & Chriſtierni fugã & regis aduentationem nũcio didiciſſet, plus amici fortuna concuſſus q̃ propria recreatus, recepto milite reuerti maturauit. Ex cuius agmine cõplures tardius nauigia repetentes, ab imminenti regis exercitu trucidantur. Hunc euentũ ſecutus Haraldus, ad Nicolaũ occultis ſe promiſſionibus inuitantẽ defecit. Plus ſiquidem indignationis ex Erici dominatiõe, quàm iræ ex Kanuti internicione conceperat, eiq; frater fratris oppreſſore onuſtior erat. Quinetiam Magnus vt lætum hoſtilis militiæ incrementum, ita triſtem ſuæ defectum aſpiciens, fraterni commilitij ſocietatem labefactare tẽtabat. Haraldũ itaq; quem Erici partes dubia fide ſecutum nouerat, promiſſis dignitatis incremẽtis vrgebat. Nam & Haraldus quanq̃ iram obſequio tegeret, incitatiore odio aduerſus Ericum, quàm Erici impugnatorẽ ardebat. Itaq; non ſolum eius arma deſeruit, ſed etiam quò validiorẽ Nicolao opẽ impenderet, caſtellum quod in Roskyldenſi ſub urbio molitus fuerat, impenſiore munimẽto vallauit, inuidiã fraterna prælatione conceptã, perfidia defectionis exſatians. Idem cum Ericus magna Sialandenſium manu per obſidionem clauſiſſet, valliq; firmioribus obſtaculis conatus ſuos admodum interpellari videret, à Saxonibus qui Roskildiæ degebant tormentorũ artificia mutuatus, domeſticas vires externis cumulauit ingenijs. Quippe noſtri rerum adhuc militarium rudes, raro taliũ vſu callebant. Primum itaq; ſaxũ parum vegeto iactu machinamẽto egeſtũ, citraq; valli propinquitatẽ collapſum, ludibrio caſtrẽſibus fuit. Siquidẽ irriſa tormenti vi, vlteriores eius impulſus irritos augurabantur. Secundum incitatius actum ac mirifico cuidam tecto ſuperne impactum põdere & incuſſu ſuo funditus penetralia tranſuerberauit, ædemq; magno cum fragore colliſit. Quæ domus fundamenti loco lignea tantum baſe ſubnixa, eidemque velut cardini imminens, leui attactu quamlibet in partem circumagi poterat. Quo viſo Haraldus fiduciam quam ex primi iactus defectu conceperat, in ſecundi proceſſu deponere coactus, cum neque ſe domi obſidionem laturum, neque foris auxilia accepturum ſperaret, noctu maritima aggeris parte perfracta, quod ab hoſte negligentius obſideretur, equos per prærupta demiſſos, pedes cum ſuis inſequi cœpit. Cumq; totis in caſtris tumultus exoriretur citato acrius equo, comitibusq; vt Haraldo occurreretur de induſtria vociferari iuſſis, non Haraldus ſed Haraldi inſequutor creditus, inter medios perſtrepentium globos facilem fugæ meatum habu-

habuit. Itaq; non minus fictæ fugientium voces, quàm temporis habitus hostium existimationē fefellisse creduntur. Fuere tamen ex Theutonibus qui hunc in ipso fugæ procursu, sagittis à se confixum assererent. Ita vafri ingenij dux obsidionem arte, periculum calliditate frustratus, reperta rate Iutiam petit. Quem Nicolaus perinde ac partibus suis in Sialandia propugnantem non solum regali beneficentia prosecutus, sed etiam primis inter amicos honoribus veneratus est. Nec tamen suspicione vacua familiaritas fuit. Quippe & repentina fratris desertio, & subitaneus transfugæ notabatur aduentus. Interea Sueones quod Magnum domesticis bellis occupatum audierant, Suerconem quendam mediocri inter Sueones loco natum regem constituunt, non quod illum tantopere diligerent, sed quia externi hominis imperium recusarent, ceruices indigenam ferre solitas peregrino duci submittere formidantes. Hic Suerco Vluildam Noricam quam Nicolaus in matrimonium emortua Margareta receperat, amatorijs primo legationibus sollicitatam, mox viro furtim abstractam ad suum vsque connubium perduxit. Cuius coitu pro coniugio vsus, Karolum ex ea, qui & post ipsum in Suetia regnabat, suscepit. Per eadem tempora diui Kanuti filia iampridem regi Noricorū desponsa, per legatos ab eo in Daniam missos nuptura deducitur. Peractis Hybernis Nicolaus diutinam deficientis à se regni vlcisci cupiens iniuriam, crebra Iuticarum partium classe Sialandiam appulit. A quo Ericus apud Weram pontem grauissimo prælio superatus, cum vxore quondam Noruagiæ regina, filioq; paruulo Suenone quem ex pellice procreauerat, necessitudinis fiducia Magnum petiuit, eiusq; humanissimam primo hospitalitatem, mox dolum atque fallaciam expertus est. Interea Nicolaus Haraldi Theutonicorum supplicia exigentis precibus inclinatus, Roskyldiam irrupit, comprehensosq; in vrbe Germanos incentoris arbitrio mulctandos dimisit. Quos Haraldus tum quia tormentorum opifices, tum quia de falsa nece sua gloriantes audierat, extrema narium parte præcisa deformes reddidit, percontatus an Haraldus eorum fuerit iaculis interfectus. Tunc quidam ex his applicatum ori suo cultrum aspiciens, parcendum sibi quod doctus esset asseruit. Haraldus hominem literarum peritum existimans, reuocato lictore ad epistolas perductum, ipsas (vt fieri assolet) solennium nuncupatione verborum dedicare præcepit. Cui captiuus suendi se, non sacrandi professorem respondit. Haraldus hominis acumine delectatus, impunitatem astutiæ tribuit, iramq; quam deceptus abiecerat, correctus repetere erubescebat, ne errorem supplicio emendare videretur. Per eadem tempora Haraldus Hybernicarum partium oriundus, florentissimum Noruagiæ statum veluti fulmen aliquod ac tempestas incussit. Qui cum se Magno Hyberniæ populatore procreatum astrueret, affirmationi suæ fidem diuini examinis argumento præstare iussus, super candentes laminas nudatis plantis (nam id ab eo experimentum poscebatur) incessit. Hisdémque nulla ex parte corruptioribus, complures Noruagiensium liquido incolumitatis miraculo, ad assertionis suæ credulitatem perduxit: ex cuius gremio omnis Noruagicorum bellorum lues manauit. Interea Nicolaus per insidias æmulum opprimere statuens, Magnum Noricum in eius necem mercedis pactione sollicitat. Ille lucri irritamento latrone corruptior, hostisq; ex hospite effectus, impensioris obsequij simulatione curam Erici exactissima satellitum custodia vallauit, officijsq; fallaciam texit. Ericus vero per reginam cuius patruus erat insidias obsequio subesse doctus, amicis quos in Lalandia habebat propositū regis cum remedij precatione denunciat. Nec segnis Lalandensibus ad opitulandum animus fuit. Solo quippe nauigio Noruagiam petentes, occulto nuncio aduentum suum Erico significant. Qui quod Noruagienses summam in potionis magnitudine voluptatem habere nouerat, applicatam sibi custodiam temulentia ludificādam putabat. Igitur stipatorum sobrietatem crapulæ delectamento adorsus, instaurata comessatione crebris custodes poculis attentabat. Quibus vt bibendi cupiditatem augeret, irritamentum ebrietatis aleam cyphis interserit. In qua posito cum quibusdam pignore decertans, etiam prospērum tesserarū iactum inerti lusu de industria prosequebatur, vti collusores fortuna lucri illectos ad lasciuiendi cupiditatem, ludendiq; perseuerantiā incitaret. Po-

Haraldus nudatis pedibus super candentes laminas incedit.

ſtremo perinde ac prolixioris vigiliæ tædio fatigatus cubitum exceſſit, ſacerdotemq; exilij ſocium aleę pro ſe curatorem reliquit. Ille rem ſobrie proſecutus, temperantiam eorum multiplicatis poculis quantulacunq; reſtabat ſubuertit, interq; mero ac ſomno ſopitos medium cubandi locum habuit. Interea Ericus perrupta cubili parte cum clientela ac coniuge furtiuo ad mare diſceſſu peruenit, repertaq; in littore nauigia, quò tutius fugam caperet, in ſentinis perforanda curauit. Hęc tractanti ſuccurrit filiolum hoſpitio dormientem fuiſſe relictum: adeò obliuijs animum feſtinatio implicat. Quippe quò occupatius, hoc negligentius humanũ eſſe ingenium conſueuit. Quanquam vero præſtolationi periculum ineſſe non dubitaret, ſanguinis tamen ſui curam deformiter abijcere paſſus non eſt. Miſſis igitur qui adoleſcentem exciperent, tarditatis moleſtiam eximia filij charitate contempſit. Quo allato in altũ proceſſit. Diluculo quibus Erici cura mandata fuerat, pulſatis hoſpitij foribus, an heſternã adhuc temulentiã nõ diſcuſſiſſet, interrogãt. Nemine vero reſponſum edente, taciturnitatis admiratione crebris idipſum clamoribus proſequuntur. Tandem ſilẽtio attoniti, cõuulſis ianuis, vacuam hoſpitibus ædem inueniunt. A quibus vafre ſibi illuſum vociferantes, euentum domino trepidi nũciant. Qui protinus petito littore, detractisq; in altum nauigijs, fugacem intercipi iubet. Quæ cum vitiatis lateribus vndarum plena conſpiceret, ſubducta refici curauit. Iiſdemq; rurſum in mare detruſis, ad accelerandam nauigationem velo pariter ac remis incubuit. Adeo promiſſum in mortem Erici præmium affectabat. Interea Ericus grandem pelagi partem emenſus, magno hoſtem interuallo præceſſerat, ideoq; facile ab inſequentibus occupari nequibat. Cumq; Magnus nauigationem diutile geſtam propoſiti irritam animaduerteret, reuocato remigio domũ reuertit. Ericus vero fidiſſimam ſibi Lalandiam repetens, intercepti Vbbonis ſuſpendio, quem Nicolaus minorum inſularum præfectum creauerat, clarum reditus ſui indicium dabat. Audito deinde regem diuini natalis die Lundiæ feriari debere, aduentum eius petita Scania præcucurrit, totamque regij apparatus impenſam præripuit. Quod audiens in Sialandia rex, alimentis publica adminiſtratione contractis procedere ſuperſedit. Æſtate vero præter Scaniam omni Danica claſſe contracta, ad Fotam ſinum appulit, pedeſtremq; propter littus aciem ſtatuit. Quæ cum centuriatis parumper ordinibus conſtitiſſet, aduẽtante Erico excitum equorum vngulis puluerem in ſpeciem nebulæ eminus exhalare conſpiciens, paulatim ad naues gradum retulit, Sed inter eundum aduentantis equitatus fragore perculſa, inceſſum ad fugam conuertit. Quam ſuperueniens Ericus fortuna, non prælio ſuperatam impune cæcidit, incruentamq; deo parricidium vindicante victoriam habuit. Magnus cum aliquanta fortium manu cedere veritus, cæteris terga obuertentibus, aduerſo hoſtem corpore repellebat. Quippe cum fugam parum liberam cerneret, animoſum ſibi conſciſcere exitum, mortemq; ſuam pugnãndo clariorẽ efficere egregium duxit. Quinetiam ne priſtinum fortitudinis ſuæ ſplendorẽ obtereret, fatum quàm fugam amplecti maluit. Poſtremo vt inſigni pugna, ita multa aduerſariorum ſtrage edita, ſuper proſtratorum à ſe cadauerum ſtruem vnà cum Petro pontifice Roskildenſi conſumptus occubuit: quem vt fati comitem, ita tumuli quoq; conſortem habuit. Nicolaus admoto ſibi per villicum equo, nauem petiuit. Maior fugientium pars cõprehenſa per foros nauigia conſcendere cupiens, ingenti quadam mole merſabat. Igitur qui primi introrſum euaſerant, tardiorum manus nauigijs inſertas abſque ſocietatis reſpectu ferro truncantes, ferociores in ſuos quàm in hoſtes fuere. Calamitoſa nimirum illa facies erat, cum pendulis nauigia brachijs amplectentes, hinc hoſtis vrgeret, inde ciuis repelleret. Quo experimento quantum quiſque ſalutem ſuam alienę præferret, fortuna detexit. Taceant nugaces adulantium voces, quæ ſpiritum amicorum proprio chariorem aſtruere non erubeſcunt. Crediderim hanc victoriam humanis parum viribus partam, ſed deo pijſſimi viri interitum vlciſcente conceſſam. Neq; bellum aliud crebriorẽ põtificum cruorem abſumpſit. Quippe Petrus Roskyldenſis, & Henricus Sueticarũ partium pontifex, omnesq; Iutiæ, præter vnum, antiſtites hoc prælio oppreſſi traduntur. In cuius apparatu Magnus Saxonis filius Erici miles ſingulare fidei ſpecimen

cimen edidit. Nam cum Nicolaus maritima Sialandiæ loca ne quis ad Ericum trã-
siret à militibus obseruari iussisset, per Stethinnensis promontorij prærupta à satel-
litibus fune demissus, noctu scafam conscendit, eaq; Scaniam petens, gratam Eri-
co opem attulit. Post hæc Magnus Noricus nudati consilij sui coniugem arguens,
reiectam à se Erico remisit, dignam repudio ratus, quæ coniugali charitati consan-
guineum prætulisset affectum. In cuius contemptum temerata matrimonij religi-
one seipsum nuptijs spoliare tristè non duxit. At Nicolaus fuga Iutia elapsus, & tan-
quàm ad fortunæ ludibrium reseruatus, æstimato pariter & orbitatis suæ, & ætatis
habitu, non vt sibi successorem sed vt æmulo hostem relinqueret, Haraldum regni
post se declarat hæredem. Deinde Slesuicenses ob Magni iampridem facinus in-
fensos ad habitum pacatæ mentis reducere cupiens, de componenda secum pace
sollicitat, eosdemq; & ætatis suę & fortunæ miseratione acturos existimans, sumen-
dorum obsidum gratia oppidum intrare constituit. Rursum cum caput suum inex-
ploratæ fidei ciuibus obijcere dubitaret, Beyonis cuiusdam summam inter oppi-
danos autoritatem gerentis hortatum secutus, salutem simul cum suspicione depo-
suit. Portas siquidem deinduſtria patefactas ingressus, vt pium cleri, ita ferocẽ ple-
bis occursum repperit. In excipiendo nanq; eo diuiduum ciuitas animum habuit.
Clericis quippe eum sacrę processionis officio venerantibus, cætera vici pars vt ho-
stem excepit. Qui cum inter plateas aduersis sibi signis obuiam iri cõspiceret, ami-
cis vt in ædem Petri confugeret exhortantibus, aulam petiuit. Et ne cruenta corri-
xatione diuini fœdarentur penates, regia sese quàm templo tueri maluit, paterno
in lare quietius obiturum præfatus. Nec defuit militibus prompta mens ad eius sa-
lutem suis cladibus defendendam. Diu siquidem intactum eum animosis corpo-
rum suorum obiectibus seruauerũt. Neq; triste duxerunt pro tuenda illius incolu-
mitate, suam vltimis implicare periculis. Quorum Slesuicenses primum sanguine
profuso, ad vltimum & regium absumpserunt.

Magni Saxõis filii memorabile fidei specimen.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMITERTII FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER
DECIMVSQVARTVS.

INTEREA Ericus destinata in Iutiã classe, cum ad Syram insulã appulisset, nũcium de regis oppressione suscepit. Et fortè in ea rerũ colluuione Ericus ac Bero natu inter Haraldi filios primi, deserto patre fidelius se quàm felicius Erico iunxere. Iidem noctu clandestina patris legatione petiti, silenter accepta gesserunt. At Ericus nihilominus legationis indiciũ nactus, experiendæ eorũ fidei gratia aliquandiu ignorantię simulatione silentium egit. Quibus secretũ paternum tegere perseuerantibus, cum se nullam ex eis arcani cognitionẽ susceperũ putaret, desperato voluntariæ confessionis indicio, vocatos in medium vehementi perfidię exprobratione pulsabat, quod rem à patre mandatam parum lucide pertractassent. Interrogati quoq; quam ad eos pater legationem habuerit, consultos se quid agere eum potissimum expediret, vt ad Norũagiam exularet respondisse dicebant, ideoq; non ante consilium fateri voluisse, quàm ei à consultore obtemperatum agnoscerẽt. Quorum affirmatio quanquam vera esset, fidẽ non habuit, quod inuita potius quàm vltronea videretur. Igitur eorũ experiri Ericus asserta cupiens, ambos arctissima apud castrum Slesuicense custodia asseruari pręcepit, vti veritatis cognitione suscepta, aut innocentię præmiũ, aut reatui pœnã referret. Cui postmodũ idem fortè castellũ intrãti, memorati iuuenes compeditis semet incessibus obtulerũt, suppliceśq; eius genibus aduoluti, præten-

tis innocentiæ meritis, captionis remedia flagitabant. Quorũ Ericus vt fortunæ mi
sertus, ita fidei gratulatus: quippe fuga patris filiorũ affirmationẽ adiuuerat, ſicut e-
rat mero percalefactus, & calamitati lachrymas dedit, & veracitati ſalutẽ promiſit.
Quod cũ fortè Chriſtiernus ex aulicis cognouiſſet, antelucano tẽpore petẽti ſacra
rium Erico obuius factus, heſternæ eũ temulẽtiæ laſciuia concitatũ intẽperate mu
nificũ extitiſſe ridebat, quòd Daniã hoſti dono dare ſuſtinuiſſet. Rationẽ quoq; di-
cti lucidiore ſentẽtia perſecutus, Fore, inquit, vt Haraldi filijs maior vinculorũ ſu-
orum q̃ abſolutionis reſpectus inceſſeret, odium liberatori ꝑ gratia relaturis. Quid
enim aliud Ericus eorũ ſaluti parcentẽ agere, q̃ Haraldo robuſtorũ iuuenũ auxilia
reſeruare? His vocibus inclinatus Ericus, à ꝑmiſſo ſuo quàm ab amici cõſilio rece-
dere maluit, profectãq; à crapula indulgentiã ſobria animaduerſiõe caſſauit. Huic
clementiæ ſtudiũ in crudelitatis exhortatione deponere rubori nõ fuit. Itaq; quo-
rum ſpes ad vitã intenderat, ſalus aquis conſumpta eſt. Eodem tempore Noruagiæ
primoribus Magnum Haraldo, qui æque rege genitus eſſet, dimidium regni ce-
dere poſtulantibus, eoq; hominem ignotis ortum parẽtibus admittere recuſante,
in agro Fridleuino ferro certatũ eſt. Interea Haraldus repetita Iutia, Vrnicæ cõcio
nis ſuffragijs rex eſt declaratus. Quo cõperto Ericus nauigijs glacietenus (nam ge-
lu vndã durauerat) in altũ vſq; pertractis, Iutiã tacite petiuit, Haraldumq; apud Scy
petorp vicum noctu cum ſupſtitibus filijs interceptũ, diluculo cõclaui extractum,
abſq; reſpectu fraternitatis capitali ſupplicio affecit. Ex quibus Olauus clauſum ar
mis cubiculũ videns, mutata cũ fœminis veſte, ſalutarem inter hoſtes egreſſum ha
buit. Ea tempeſtate Haraldus Noruagia pulſus, vt ab Erico aliquid viriũ contrahe-
ret, in Daniã peruehitur. Quem Ericus ob relictũ ab eius æmulo matrimoniũ ſup-
plicem recepit, oblatumq; ſibi ſpecioſum pugnæ titulũ gauiſus, auxilijs eum proſe
qui ſtatuit. Haraldus autem excepta liberalitate, nullã animi ferè dotẽ adeptus, cre
bra corporis virtute pollebat. Cuius viribus fretus apud Helſyngam oppidum pi-
gnore cum Erico poſito, an cum lectiſſimis eius equis curſu contendere potuiſſet,
duobus in certamen admiſſis vtroq; metã prior tenuit. Geminis ſiquidẽ inter cur-
rendũ bacillis innixus, crebris corpus ſaltibus cõcitabat. Aliud quoq; inuſitatæ agi
litatis ſpectaculũ edere conſueuerat. Sæpe etenim inter nauigandũ puppi exiliẽs,
in proram per exerta remorũ capita decucurrit, indeq; curſu in aliud nauigij latus
reflexo, per reliquos remorũ ordines locũ quo exceſſerat, repetiuit. Qui ſi parẽ ani
mi virtutẽ a natura traxiſſet, nequaq̃ ſe inter amplexus pellicis æmulo obruẽdum
dediſſet. Huic Ericus tametſi opitulari vellet, Sclauis domeſticã pacem interpellã-
tibus, animũ opere comitari nequiuit. Igitur omiſſis amici rebus, proprijs curã inie
cit, contractaq; aduerſum Rugiam claſſe, quò gnauius bella conficeret, maritimæ
Danorũ expeditioni primus equos adiecit, quaternos ſingulis nauigijs mandans,
eumq; morẽ diligens poſteritatis cura ſeruauit. Claſſis eo numero digeſta, mille &
centum nauigijs frequens reperta eſt. Quibus Dani ad Rugiã appulſi, vrbẽ Archõ
aduerſum ſe valido preſidio firmatã inueniunt. Quam ne finitimorũ auxilijs iuua-
ri ſinerent, tractũ qui Archonenſium fines propemodum Rugia abſciſſos cum cõ
tinenti committit, ligonibus conciſum in vallum opacæ admodũ altitudinis re-
degerunt. Tuitio eius Hallendẽſibus credita, ijſdemq; Petro parere iuſſum. Quos
Rugiani quæſito per vada tranſitu, noctu inopinatos adorti, cõpluribus cæſis, à cæ
tero repelluntur exercitu. Igitur Archonenſes cum nec vires conſerendi belli ha-
berent, neq; locũ ad contrahenda auxilia ſuppetere cernerent, neceſſitate victi, ſa
lutem & in Chriſtiana ſacra tranſitionẽ pacti, ſtatua quã venerabantur retẽta, Da-
nis ſe tradunt. Erat enim ſimulacrũ vrbi prẽcipua ciuiũ religione cultum, crebrisq;
finitimorum officijs celebratũ, ſed falſo ſacri Viti vocabulo inſignitũ. Quo aſſerua-
to oppidani veterem ſacrorũ morem penitus abrogari paſſi nõ ſunt. Primum itaq;
ſolenni ritu prolui iuſſi, ſtagnũ maiore pellendæ ſitis, quàm initiandę religionis ar-
dore petentes, ſub ſpecie ſacrorum feſſa obſidione corpora refecerunt. Datur Ar-
chonenſibus pariter rerum diuinarũ antiſtes, qui & eis cultioris vitæ formã perſcri
beret, & nouæ religionis rudimenta cõtraderet. Sed poſt abſceſſum Erici, cum an-
tiſtite pulſa religio. Siquidẽ Archonenſes abiecta obſidũ charitate, priſtinũ ſtatuæ

cultum

cultū repetentes, qua fide diuinū ſuſceperunt, prodiderunt. Poſt hæc Ericus ordinatis in Dania rebus, amici curā importunitate omiſſam, accepta rerū tranquillitate reſumpſit, iuuandiq; gratia eius vrbē aſylo Magno deuotam primo diripuit, mox igni ſubuertit. Interiecto anno Haraldo eidē opē iterato poſcenti, vniuerſam Daniæ claſſem p ſupplemento trāſmiſit. Collato bello viribus, Magnus inferior capitur. Quē Haraldus vita frui permiſſum, oculis ac genitalibus carere præcepit, ne aut luminū voluptate regnū appeteret, aut Veneris vſu vltricem ſui ſobolē procrearet. Cęcatus igitur caſtratusq; cum interrogaretur quem ex ſuis pœnā ſecum oculorum ſubire vellet, paucos ea re delectari reſpondit. Tunc quidā & forma ei ſimilimus, & militiam eius ſingulari fide cōplexus, ne ex tanta cliētela deeſſet, qui cum domino compati vellet, vltrò ſe ſupplicio obtulit, præfatus vt videnti ſimilimū, ita luminibus orbato futurum. Qui quum virtute veneratione meruerit, apud improbos pœnam perſenſit. Magnus vero non tam animi virtute, quàm corporis debilitate continentiæ religionem amplexus, de ſceptrato cucullatus euaſit. Interea Ericus quæſitam armis pacem iuſtitiæ ornamentis excolere cupiens, conditas à maioribus leges, ac tunc penè ingenti bellorum tempeſtate ſubuerſas, ad priſtini vigoris habitum reuocauit, vtq; fortitudine fuerat, ita iuſtitia inſignis apparuit. Irrogatas minoribus iniurias ſuperiorum ſupplicijs penſabat, nihilq; familiaritati aut neceſſitudini parcēs, aut ferro, aut laqueo inconſultā maiorum auaritiam caſtigabat. Quo ſtudio & principum odia, & plebis obſequia contraxit, euenitq; vt & potentibus formidoloſus, & popularibus percharus exiſteret. Idem rerum à ſe geſtarum virtutem tantis laudibus proſequi conſueuerat, vt veri interdum fidem excederet. Semel quoq; Erici ſalus ſatellitis eius ſomnio ſeruata proditur. Nam cum ex freto Sleſuicenſi Sialandiam petere ſtatuiſſet, quidam nautarum per quietem exiſtimauit per inculta montium iuga laſciuo admodum equo ſe prouehi, eoq; curſum citante inter vallium opaca præcipitatum crebris noctuarū vnguibus laniari. Quod cum mane per iocum ſodalibus retuliſſet, Ericus ea viſione veluti periculi prę monitus, ne eum nauigationis comitem haberet, in aliud ſe nauigium contulit, eoq; tutus ſocijs naufragio pereūtibus permanſit, lætatusq; eſt quod ſalutem ſuam alienæ rati, quàm proprię credere maluiſſet. Forte autē inter ipſum, Roskyldēſemq; pontificem Eskillū inimicitiæ primum, mox ſeditiones adoleuere. Qua in re antiſtes Petri Botyldæ filij collegiū nactus, autoritate quam primam inter Sialandenſes habebat, in regis eos odium concitat, viribusq; publicæ conſternationis adiutus Sialandiæ eum terminis pellit. Quo exacto prouincialē populum in ſocietatē factiōis ſub titulo libertatis adſciſcit, à ſuſpectis obſides petit. Solos vero Skialmōis filios ſeditionis conſortiū detrectantes ad populare conciliū euocat, & ni ſtatuta die obſides tradant, bonis carituros minatur. Illi vero ad concionē puecti, nec minis victi, nec bonorū pœna mulctati, ſolidū tenuere propoſitū. Sed vt ad eos impunitas redundauit, ita ad Eskillum pœna conceſſit. Rege enim cum Iutica claſſe reuerſo, patris ac patrui interuentu vſus, vicena auri talēta mulctæ nomine p ſoluit. Petrus vero fatis ſuis vltionē præcurrentibus, pœnā quæ à rege parabatur, effugit. Per eadem tempora decedente Aſcero Lundenſi, de noui antiſtitis ſuffectione diuiduū regis ac populi ſuffragiū fuit. Siquidē Scanienſes ob egregia Aſceri merita Eskyllum arctiſſima ei conſanguinitate iunctū, ne pontificiū à familia diſcederet, ſuffragijs amplectuntur. Rex vero rubore fugationis ammonitus, neq; ſuorū in Eskyllo dedecorū oblitus, Rikonem Sleſuicenſem, qui nuper Alberto ſucceſſerat, quod in potiendo regno familiari eius opera vſus fuerat, eorū arbitrio præferebat. Nec tamē hæc vota palàm ad litem & controuerſiam progreſſa fuerant, Scanis metu ſententiam occultantibus. Eodem tempore Plogus quidam claro inter Iutos loco natus tametſi regis militiam profiteretur, latentes capiti eius inſidias comparabat. Ad quem Rypam veniens, militię titulo ſtipendium poſtulabat. Quo recepto, datum ſibi cladis eius præmium reputabat. Et fortè Ericus inter quoſdam populares acrius diſſidentes regali iudicatione componere rogatus, publica id concione exequi ſtatuebat. In qua quum Plogus cuidam ex plebe de ſe querenti ſatiſfacere iuberetur, dicendi ſimulatione facta nō ſine lancea progreſſus, auditū ſibi prębeti petiuit.

Magnus Sueoniæ rex non tā continentia quàm corporis debilitate, fit monachus.

Stabat autem & rex haſtæ innixus, turbãtiq; ſilentiũ populo manu ne obſtreperet innuebat. Quẽ Plogus loricam veſte tectã gerere exiſtimatũ diu curioſis ſpeculatus oculis, vt inermẽ deprehendit, lancea tranſuerberauit. Et ne timidius dicere q̃ facere videretur, regẽ à ſe proſtratum vociferãs, cæteros ad militum internitionẽ hortatur. Aulicis itaq; paſſim metu dilabentibus, Ericus Haquini filius, cui ex patientia cognomen obuenit, egregiũ fortitudinis exemplũ præbuit. Diu ſiquidẽ exanime regis corpus gladio protexit, ſocijsq; in fugam lapſis, ſolus ex tot commilitonibus intrepidũ mẽtis habitum tenuit, dignus vt ei in regnum ſucceſſor fieret, pro quo etiam extincto pugnam gerere perſtitiſſet. Iamq; vacantẽ Daniæ poſſeſſionẽ nemo ſanguinis virtutisue fiducia aut petere, aut rapere præſumebat. Quippe Sueno Erici, Kanutus Magni, & Waldemarus Kanuti filius nondum regno tempeſtiui fuere. Chriſtiernus vero Waldemarum paterno cuius vltionem adiuuerat regno digniſſimum prædicabat. Quem honorem mater multis & grauibus periculis obſitum, ac vix quidem adultis geſtabilem pernicioſum paruulo futurum aduertens, poſcenti puerum Chriſtierno tradere recuſauit, maioribus id munus deberi præfata. Poſtremo pertinacius in ſiſtẽtem iureiurando obſtringit, in regem eum eligi nõ paſſurũ. Quo Chriſtiernus ad populum & concionẽ vſq; perlato, patris eius beneficia memorat, vt domi leges & iura ſtabilierit, vt foris hoſtẽ repreſſerit, vt furtis rapinisq; patriam vacuefecerit, vt Daniam pene exhauſtam & exanguem Sclauiæ magiſtram reddiderit, vt etiam vnicuiq; per vim amiſſa ad integrũ reſtituerit, vtq; cunctis his operibus ſanguini ſuo regnum deferri meruerit. Verum eum filius eius nondum maturos imperio annos acceperit, neque Danis ſub auſpicijs puerilibus rem gerere militarem expediat, virum debere circunſpici, qui vſq; ad prouectam pupilli ætatem tutorio regnum nomine procuraret. In quod munus aptius neminem quàm Ericum ſuperioris Erici ex filia nepotem, quod audacia ac pietate prę-ſtaret, maternumq; genus ex regibus duceret, adſciſci poſſe, adulto rerum ſummã pupillo ceſſuram. Ita Erico & populi fauor, & pueri maieſtas vires regias dedit. Hic præter ſolam animi fortitudinem nihil à natura dotis acceperat, ſicut prudentia vacuus, ita parum amœnus eloquio. Cæterum adeò ſalutis ſuæ prodigus eſſe conſueuerat, vt bellum commiſſurus ne ſingulariter in hoſtem procurreret, arctius à ſuis obſeruari ſoleret. Tunc Eskyllus cognito regem apud Iutiam deceſſiſſe, repente in Scaniam maioris ſacerdotij affectatione peruehitur. Ericus vero infectum antedeceſſoris propoſitum circa Ryconem explere cupiens, pontificalis ei dignitatis incrementa tribuere geſtiebat. Scanienſes autem vltima quæque perpeti, quàm pontificium in nouam transferre familiam prę-optantes, bellum aduerſum regem decernunt. Quo ille cognito, ne multorum inimicitias vnius viri familiaritate contraheret, propoſito ſuo cupide ceſſit, Eskylloq; ſedem mutare permiſſo, Rykonem Sialandiæ præſulem mediantibus cleri ſuffragijs, creat. Interea Olauus Haraldi filius Noruagia reuerſus, patrimonium ſuum inter bella ciuilia à patruo occupatum hæreditatis titulo repoſcit. Cuius petitioni Ericus illam antiquitatis legem oppoſuit, qua reis patriæ bonorum pœna decernitur. Patrem ſiquidem eius peregrino milite aduerſum patriam vſum, decretam hac lege ſententiã incurriſſe. Igitur Olauus perinde ac iuſtum belli titulum accepiſſet, cupidius oblatam ſeditionis occaſionem amplectitur. Siquidem acceptam repulſæ contumeliam ad nouarũ rerum licentiam tranſtulit, deq; priuati patrimonij repetitore totius regni inhiator euaſit. Verum diſſimulato odio, per inſidias regem opprimere ſtatuit. Quem in Arna Lundenſi hoſpitio diuerſantem noctu adortus, primum à vigilibus clandeſtinum eius aduentum ſpeculatis excipitur. Qui mox reflexis equis ſepultos ſomno mili-

Olauus ſuffragijs populi promiſſus corruptis regium nomen adipiſcitur.

tes clamore eminus in arma concitant, primiq; portas tueri parant. Auxilijs deinde ſuperueniẽtium ſociorum adiuti, hoſtilem repulere conatum. Olauus perinde ac ſuo propoſito victus in Suetiam contendit, ſed mox Erico Scania excedente reuertit, concionemq; in valle Arnenſi ſub edicto contractam liberioris vitæ promiſſis aggreſſus, regium ſibi nomen illecto popularium fauore conciuit. Quod indigne ferens Eskillus, bellum ei Lundenſi manu cupidius quàm proſperius infert. A quo ſuperatus primum mox in vrbe ad quam ex prælio confugerat ob-

obsessus, postremo necessitate victus, obsidibus datis, fideq; sub sacramẽto ꝓmissa salutem pacisciturSed postmodum ex Olaui discessu competẽtem fugæ copiam nactus, Erici charitatem & obsidum, saluti & iurisiurandi religioni speciosa temeritate præposuit: neq; nefas duxit extortum sacramenti vinculum voluntariæ amicitiæ cultu conuellere. Cuius affectum atq; constantiam rex ad se in Sialandiam venientis amplissimi ruris vicorumq; complurium datione pensauit. Verum Scania impensius Olauum fouente, ipse veluti in antistitis fuga per absentiam victus, reparandę fortunę gratia ad littus more gentis Landora appellatum, expeditionis nomine crebra classe peruehitur. Cuius loci suspectam admodum fortunam habebat, fabulosæ cuiusdam opinionis credulus, qua reges id littus aggressi in annũ duraturi negantur. Sed dum per præsentiam fata metuit, absens victoria caruit. Siquidem tellure perinde ac fatali malo abstinens, neque ferri, sed ruris violentiam in metu reponens, copias in aciem dirigit, easq; Eskyllo proferendas committit. Qui pontificalium sacrorum quàm rei militaris peritior, persimilem priori fortunam expertus, triste regi spectaculum fuit. Cuius mali intuitu discere Ericus moneriq; poterat, plus viribus suis duces, quàm fœmineis debere figmentis. Quibus superstitionum laqueis, quóue credulitatis errore animum tunc eius obsessum putemus, cum ipse qui aliàs adeò manu strenuus existere consueuerat, vt ne temere in hostem se mitteret, à militibus contineri necesse haberet, tunc veluti metu pugnam detrectans, in vicino se per absentiam superari conspiceret? Qua victoria Olauus veluti ipsum iam Ericum delessetsupra modum erectus, pontificales opes æque ac regias absque respectu religionis inuadit, & in cõtumeliam Eskylli, à quo bis se prouocatum meminerat, cuidam eiusdem nominis sacerdoti pontificij gestionem assignat. Deinde tanquam vniuersas æmuli vires superiore prælio contudisset, omnibus corporum munimentis apud Lundiam relictis, aliàs locorum & metu & armis vacuus proficiscitur. Quo accepto, rex contractis vndique leuibus & quæ fors obtulerat nauigijs, noctu è Sialandia traiecit exercitum, amicis è Scania nauigationi suæ ductum eminus scintillarum silicibus excussarum splendore præbentibus, fortissimos quatuor Olauianæ militiæ viros domi interceptos, aquis obruendos curauit. Adulterinum pontificem à veri sacerdotij sacramentis exutum, suspendio finiuit. Arma deinde hostium gratam militibus prædam occupauit. His denique vsus, Olauum apud Glumstorp vicum conserto prælio superauit. Qui in Gothiam confugiens, interiectis diebus per Blekingiam reuertit, itemque ab Erico fugatus cum ad montium angustias peruenisset, eorum præsidio fretus proxime insequentes deleuit. Partem quoque exercitus in ostium terga traiecit, eaque manu propemodum Lundenses absumpsit. Super hæc omnia fugam capessit. Deinde veluti rebus in Scania parum fœliciter prouenientibus bellum in Sialandiam transfert, fortunam loco mutare cupiens. Vbi ab incolis Rykonis ductum secutis, apud Bythingam amnem bello victus in Hallandiam excurrit. Ex qua rursum Sialandiam petens, cum ex agrestibus antistitem in vico Ramlosa moram habere cognosceret, noctu tacitus in vicinia mansit. De cuius cubiculo certior per matutinum eius officium factus, ostio militem inuehi iubet. Ad cuius tuitionem procurrentes cubicularij in limine trucidantur. Antistes ipse extremę necessitatis periculis obsessum se videns, religione saluti postposita, ceruicem scuto subiecit, aditúque hostem insigni pugna prohibuit: clericis interim qui & epistolarum eius & anuli curam habebant, conuulsas penè ianuas admoto puluinorum cumulo reprimentibus. Igitur ædem Olauus quia armis non poterat, flammis attentabat.

At pontifex ense quàm igni consumi speciosius ratus conserendi cũ Olauo sermonis pacem efflagitat, benignaq; eius ꝓmissione firmatus, exserto foribus capite trucidatur. Igitur Olauus vltionẽ parricidio cõsecutus cupide in littus decurrit, vtq; nauigia tacit⁹ deseruit, ita cõcitus eadẽ repetiuit, ante fuga & nauigatiõe vsus, q̃ rex nunciũ facti qui tũc in vicinia morabatur acciperet. Quo cognito Romanus antistes acerbissima aduersus eũ execratione vsus, cęteris ꝑ Europã põtificib. similiter in ipsum ꝓnunciãdi detulit potestatẽ. Mãdatũ quoq; ad vniuersos Iutiæ põtifi

ces dedit, vt ſententias aduerſum ſacrilegam eius impietatem debita animaduerſione deſtringendas curarent, indignum vſu ſacrorum exiſtimans, qui celebrem eorum miniſtrum oppreſſerit. Ericus vero comperto Olauum Hallandiam petere feſtinatò poſt eum peruehitur. Cuius aduentu Olauus apud Aryſtadium nunciato, vicini pontis beneficio fugæ conſuluit, eoq; poſt tergum abrupto, in proxima ripa tutus conſedit. Pauci ex militibus eius quibus ob virtutem aut torporem fuga tardior erat, à ſuperuenientibus occupati funduntur. Tunc Ingimarus quidam vetus Erici miles, æmulum eius non bellorum impendio, ſed leui inſidiarū mōēto tollendum ratus, illectusq; ſiue præmij ſpe, ſiue gloriæ cupidine, transfugæ titulo Olauum petiuit, eumq; tranſitionis ſimulatione ſecutus, tandem in publico pergentem equi pernicitate fretus, telo traijcere deſtinauit: compleſſetq; votum, ni Olauus repente equo delapſus, imminens iaculum induſtria corporis declinatione vitaſſet. Deinde citatum acrius equum, dum incautius fugę compendium quęrit, in paluſtre cœnum pręcipitem agit, eiusq; voraginibus implicatus, opprimitur, propoſito parum reſpondente fortuna. Poſt hæc Ericus nuptiarum ſolicitatus affectu Bremorum antiſtitis Harwici germanam vxorem duxit, natu quidem nobilem, ſed non tam pudicitia quàm parentela conſpicuam. Cuius inſtinctu vetera regum latifundia in eos maxime quorum forti opera aduerſus Olauum vſus fuerat, dono contulit, neque regijs opibus quo minus ſuſcepta pro ſe pericula repenſaret, pepercit: quaſi ad hoc tantum eas recepiſſet vt in alios largitione transfunderet, totasq; ſtipendij loco militibus erogaret. Poſtremo ęmulum apud Thiutā amnem cum maiore copiarum parte bello deleuit. Verum non eadem virtute peregrina ac domeſtica bella confecit. Expeditiones enim quas aduerſum Sclauos ductabat, non tam timori eis quàm ludibrio fuere. Adeo enim apud eum inertia omnia ſolutaq; fuere, vt ne à viro quidem edita putarentur. Infimi cuiuſque in ſoluenda militia arbitrium ſequebatur. Sæpe lixarum redeundum vociferantium clamorē ſecutus, claſſem dimiſit. Ob cuius mollitiem animata Barbarorum atrocitas, non ſolum eum foris peruagantem contempſit, ſed etiam domi conſiſtentem inuaſit. Qui cum in Fyoniam forte è Sialandia nauigatione contenderet, piratas poſt tergum imminere conſpiciens, auide petito littore, armamentisq; omnibus in prædam relictis, non ſine rubore & metu nauigio ceſſit. Interiectis annis cum apud Sialandiam febri ſe implicatum ſentiret, Fyoniam vſque, cuius erat oriundus, conceſſit, ſpiritum vbi acceperat redditurus. Illic deſperato languoris remedio quia corpori non poterat, ſpiritui conſulere cupiens, regiam veſtem cuculla permutat, vocataq; militum cohorte palàm regno renunciat. Creditum enim eſt, & à ſacrorum peritis traditum, nihil abolendis piaculis pœnitentię religione valentius reperiri. Tunc Elyuus à vico Wiſingo, qui & ipſe ægro cum alijs aſſidebat, cunctos de creando rege circunſpectos eſſe ſuffragijs iubet, vtpote præſenti iam militia liberos. Quæ vox vitam regis quantulacunq; reſtabat abſumpſit, ægre ferentis adhuc viuo ſibi ſucceſſorem inquiri.

Salutis conſequendæ gratia rex morti proximus, pro regia veſte monachalem induit.

Defvncto Erico ambiguum plebis de regno ſuffragium fuit. Quippe Kanutus in Iutia, Sueno apud Sialandiam, Magni alter, alter ſuperioris Erici filius, ingenti ambitu regnum petebant. Siquidem hunc paterna, illum auita merita venerabilem faciebant. Suenone itaque Sialandenſium ſuffragia ambiente, ac pleriſque petitionem eius fauorabiliter accipientibus, Olauus cognomine Balbus priſci moris æmulatione permotus, cunctos qui regium ei nomen tribuerent, ipſumque ſi reciperet execratus, adduci ſe poſſe negabat, vt in hanc vocem inconſulta patriæ maieſtate procurreret, aut regium honorem priuato præter publicum regni conſenſum deferret. Siquidem electionis locum Sialandiam eſſe, ius vero penes popularis arbitrij communitatem conſiſtere memorabat. Hæſitantibus cunctis, atq; a ſententia aliquantulum cedentibus, Steno quidam ſpreto veterum ritu, Suenonem occultis à ſe promiſſis aggreſſum, regio primus nomine cenſuit, maioremq; concionis partem ad ſimilem vocis auſum induxit. Itaque ſententiam eius proſecutum vulgus, quod arbitrio ſuo paulo ante permittere verebatur: pari mox ſuffragio comprobabat. Eodem quoque autore populus Sialandenſis creatum

à ſe

à ſe regem finitimorum conſenſu fulciri cupiens, Iacobo Colonis filio ſingularis facundię viro legationem compoſitam & ſubornatam committit, qui Scanienſes adulatione dignitatis ad ſocietatem electionis impelleret. Idem Suenoni comes in Scaniam datus, accepta dicendi copia, docet noluiſſe Sialandos quicquam ſuper regio delectu ſententijs ſuis præter Scanicum arrogare conſenſum, ſed hunc ſequi in cunctis quàm pręcurrere malle, ſine eo nihil magnæ rei executuros: verum Suenonis inſitam animis charitatem habere, eumq; ſibi in regem dummodo Scanica allubeſcant ſuffragia exoptare, quem præter propriæ indolis claritatem, etiam patris auiq; merita commendarent. Meminiſſe deinde monet, vt ſoli cæteras Danorum vires obtriuerint, vt patri eius ad extremam penè deſperationem redacto, nihilq; præter interitum præſtolanti imperium dederint, obſecratq; humanitate qua illum exceperant, filium proſequantur. Ita Sialandenſium affectũ indicans, ſed factum reticens, omniũ Suenoni ſuffragia conciliauit, quos adhunc fauorem non ſolum Sialandenſium legatio, ſed etiam propriæ eorum virtutis memoria concitabat. Kanutus quoq; eodem à Iutis honore prouehitur, indignantibus Suenonem temeraria geminæ concionis audacia regium occupaſſe vocabulum. Inde Sialandiam potiendæ eius libidine ijſdem fretus accedit. Poſt hæc maximum pontificem Eskillum, eundemq; Suenonianæ partis fautorem occultis ad defectionem promiſſis impellit: quibus incenſus antiſtes Kanuto per internunti os mandat, claſſe Scaniam petat, ſeq; belli ſocium pollicetur: vt autem occaſionẽ ſibi trãſitionis cõſciſceret, ac lubricũ fidei ſuæ rationabilis cauſę titulo coloraret, acceptas à Suenone iniurias fingit, & quaſi cum eo controuerſiam initurus, cõtractis colloquij ſimulatione militibus, Lũdiam quæ & Suenonem habebat petiuit. Vbi dum compoſitionis negocia falsò geruntur, Kanutum ex ijs quos ad ſpeculandum eius aduentum præmiſerat, adeſſe cognoſcit. Nec colloquium ſoluere moratus, ignotum cæteris conſilium ſuum eadem hora repente detexit. Siquidẽ elatis ſignis, præcipiti in littus equitatu contendit. Cuius aduentum Kanutus nauigatione præcurrens, littori copias mandare noluit, ſed in altum nauigia reijciẽs damnata promiſſoris fide Sialandiam reuertit. Ita præſens conſilium non cedentibus ex ſententia rebus fortuna deluſit. Sueno vero properantem ab vrbe pontificem ſubſecutus, reuertentem bello ſuperat, captumq; quia publica cuſtodia nõ ſuppetebat in excelſam Laurentianæ ædis partem attollit, eiq; templum ergaſtulo fecit. Eapropter execrationis (quæ ſuprema pontificum vltio eſt) cenſuram metuens, non ſolum eum captione eruit, ſed etiam agreſti vico, magnaq; Burgundæ inſulæ parte, quò ſyncerioręẽ eius fauorem impetraret, donauit. Poſt hæc ſine ipſo apud Slangetorp ruralem Sialandiæ villam bellum cum æmulo facit, eumq; cruentiſſimo prælio ſuperatum inſula pellit, victor in Scaniam redit, Kanutus in Iutiã refugus ceſſit. Per eadẽ tempora Romanus antiſtes Barbaricæ tempeſtatis procella rem diuinam penè obrutam euerſamq; conſpiciens, datis per Europam epiſtolis, vniuerſos Chriſtianæ credulitatis hoſtes ab eius cultoribus oppugnari præcepit. Singulæ autem catholicorum prouinciæ confinem ſibi Barbariem inceſſere iubebantur. Ne ergo Dani priuatæ militiæ rebus, publicæ religionis officia detrectarent, ſumptis ſacræ peregrinationis inſignibus imperium amplectuntur. Igitur Kanutus ac Sueno inuicem obſidibus datis, depoſitiſq; inimicitiarum exercitijs, rei melius gerendæ gratia pacem pro tempore ſtatuunt, reuocatumq; à ſuis viſceribus ferrum, ad ſacrorum vindictam conuertunt. Diſcordiam itaq; à regni æmulatione profectam ſociæ expeditionis fœdere caſtigantes, iunctis viribus Sclauiam petunt, Germanis ex condicto diuerſam eius inuadentibus plagam. Iuti Kanuto duce, Hetbienſes Suenone, hoſtilem occupant portum. Superueniunt extremi Sialandenſes ac Scani, prioremq; claſſem prout cuiq; locus patebat ſua circũincludunt. Occurrunt in littore Saxones & ipſi vindicandæ religionis cupientiſſimi, militiæ ſocij Danis futuri. Mox Dobinum inſigne piratica oppidum, ab vtroq; circunſidetur exercitu, omni Danica multitudine præter paucos claſſis cuſtodes nauigia relinquente. Quorum raritate cognita Rugiam primam obſeſſis opẽ inimicæ claſſis oppreſſione porrigere ſtatuunt. Mox Scanos quos ordo proximos

offerebat adorti, fermè omnes fuderunt. Iutis iocundam eorum cladem ducenti
bus, neq; ſocios computantibus quos duce à ſe diuerſos nouerant. Sed & forenſis
nondum pugnæ memoria exoleuerat, & recens partium odium æſtuabat. Adeò
quos priuatæ iræ agitant, publica nunquam communio fœderat. Aſcerus vero
Roskildenſis qui claſſis à rege curam acceperat, ſuo repẽte nauigio perignauiam
cedens mercatorum cymba aduectus conſcẽdit, eoq; latebram nactus, quos ſpe-
cioſo pugnæ exemplo ad fortitudinẽ incitare debuerat, deformis fugæ ſpectacu
lo territabat. Primum autem Scani ne timidioribus fuga ſuppeteret, cõmunibus
vinculis arctius naues in claſſem ſociãt, mox victi nexus induſtriè procuratos for
tuitis ruptionibus lacerant, parsq; ferro perijt, pars necem ſibi inter vndas præcipi
tio maturauit. Cumq; Rugiani complures ob magnitudinem naues captu diffici-
les animaduerterent, multitudinis ſpecie metum eis ingerere cupientes, claſſem
ſuam abductis cæſorum nauigiis duplicant, eademq; perinde ac remigum plena
tentorijs inſtruunt, vacuitatem vmbraculis obſcurantes. V ſi ſunt & alio non mino
re mentiendæ claſſis ingenio. Noctibus enim tacita nauigatione in altum pergen
tes, diluculo referuntur imaginem recentis claſſis, & ſuperueniẽtium auxiliorum
effigiem præbituri. Sed crebro id agentium fruſtra calliditas fuit. Interea Danis
obſidionem arcẽtibus, eorum claſſis piratico bello nunciatur oppreſſa. Hac fama
reuocati correptis nauium reliquijs Rugianos reſiſtere formidantes, portu pro-
pellunt, ſociorumq; ſtragem fuga hoſtium vlciſcuntur, ob interfectorum cadaue
ra parum adhuc nauigabili ponto. Suenoni vero naui qua venerat ſpoliato, ſuam
cedere Kanutus Liburnicam voluit, ſed ſuſpecta æmuli humanitas erat, oblatũq;
notabatur obſequium. Nam cum eius partes incolumes, ſuasq; propemodum ex
hauſtas videret, alieno nauigio reditum experiri fiſus nõ eſt. Sleſuicum deuectus
interiecto tempore prior Kanuto Sialandiam occupat, Roſkildiamq; mœnium
inopem receptaculi gratia vallo foſſaq; cõplectitur. Cuius cuſtodia Ebboni man
data, in Scaniam pergit. Kanutus vero Scanienſium damnis benigne ſecum à for
tuna actum exiſtimans, eamq; tantum ſibi virium addidiſſe, quantum æmulo de-
preſſiſſet reputans, ne res eius proxima clade corruptas, ocio recreari permitte-
ret, Sialandiam tam ſibi quàm hoſti diuidua ope familiarem, Iutis præcipuè fretus
ingreditur, ei potiſſimum ceſſuram ratus à quo primum occupata fuiſſet. Vbi com
perto Roskildiã deſciuiſſe, portasq; ſibi Ebbone filio Skialmonis autore clauſiſſe,
Sunonem quendam ſola loquacitate inſignem, nec tam conſilio gnarum quàm
amœnum eloquio, qui eam ad deditionem hortaretur præmittit. Is cum ad oppi-
dum perueniſſet, primum ante vallum laſciue & diſcurſim obequitans, mox com
poſiti volubilitate ſermonis propugnaculis inſiſtentes aggreſſus, legationis man-
data facundius quàm fœlicius explicabat. Quem Ebbo de induſtria blãdis ac mi-
tibus verbis excipiens, emiſſis deditionis ſimulatione iuuenibus prendendum cu
rauit. Quorum vnus paulatim ei propior factus, ius fræni violentius occupat, cæte
risq; equum à tergo pulſantibus, captum ciuibus ligatum adducit. Is primo com-
pedum pœna coërcitus, poſtmodum ſuperueniente Suenone luminibus ſpolia-
tus improuidæ exhortationis pœnas pependit. Hęc audiens Kanutus potiendę vr
bis diffidentia, in Iutiam reuertit, vtq; rerum cõmoditas affuit, Sialandiam ſpe re-
parandæ fortunæ, parte qua maris anfractibus interluitur inopinatam intrauit, im
prouidam quoq; Roskildiam capit, & penates Ebbonis ad Suenonẽ elapſi incen-
dio diruit. Vnde ne impenſarum inopia arctatus diſcederet, publico ſtipendio ali
mentorum ei ſubſidia decernuntur. Par Scanienſibus circa Suenonem affectus
inceſſerat. Ne enim labente ſumptu veluti ciborũ penuria afflictus arma deſerere
cogeretur, publicæ eum collationis commeatibus proſequuntur. Tanta inter par
tes virtutis & gloriæ æmulatio fuit. Interea nobiliſſimi Iutorum, & in rebus belli-
cis ſingulari militiæ laude conſpicui, duabus Suenonem Liburnicis petiuerunt.
Quorum viribus ſuccinctus aſſumpto Eskillo, manum in Sialandiam traiecit, ac
prope Thorſtam vicũ bello cum Kanuto concurrit. Vbi inclinata ſuorũ acie timi
diorum fugã ſecutus, fortiorum victoria reuocatur, & dum vinci credidit, victor
repẽtinus euaſit. Kanutũ vero ſui, ſiue qd̃ tenera adhuc ætate eſſet, ſiue quia belli

eum

eum implicare periculis nollent, in aciem descendere passi non sunt, pro duce pugnæ spectatorem effectum. Interiectis diebus Waldemarus diui Kanuti filius, armis tũc primum per ætatem maturus, sed paterna in Kanuto merita perosus Suenoni se iungit, in eius castris militiæ tirocinium habiturus: cuius fauor plurimum Suenoni virium conciliauit. A quo paternæ præfecturæ dignitate donatus, Kanutum quendam Henrici filium sub Kanuto Magni filio eiusdem beneficij titulis inhiantem, crebra belli congressione perdomuit. Nec minor ipsis mediocris rei, q̃ regibus summę æmulatio erat. Semper autem ad Waldemarum victoria redundauit. Erat autẽ Kanutus insignis facundia, sed moribus effusissimus. Sueno & fortunæ fauore, & virium incrementis accinctus in Fioniam excedit, mox æmulum apud Iutiã persecuturus: vbi ab exule quodã Ethlero solicitatus bellum in Holsati os parat, abunde minora ad traijciendum nauigia promittente. Incolæ siquidem quo transitus impeditior foret, pontẽ conuulserant. Veniẽtibus Eydorã, promisso ris incuria binas tantum nauiculas exhibuerat: quarũ altera Sueno suos præcedere cupiens, saniore militum sententia reuocatur, rogatus propositum hostiũ aliena traiectione prẽnoscere, neq; proprijs rem periculis explorare. Siquidẽ haud procul eis latebrã esse, partem copiarũ quãtum à se superãdam crediderint irrupturis. Nec falsa prædictio fuit. Holsatij quippe vicinis se saltibus occultantes, patienter primorum aditũ prẽstolantur: transuectisq; quos à se capi posse confiderent, procursu facto, omnes aut neci aut captioni subijciunt: quanq̃ Danis in propulsando periculo animus non deesset, vtpote qui nec fugere possent, & in regis oculis pugnam edere necesse haberent. Ita nostros ad virtutẽ capessendam & salutis desperatio, & præsens ducis incitabat aspectus. Quorum periculis exturbati scafarũ magistri, circa palos medio amne defixos hærebant, neq; residuos transuehere, neque trãslatos referre ausi. Itaque nec regi ad procedendum, nec victis ad resiliendum opi fuere. Interea Kanutus sumptuosis militiæ impensis oneratus, nec minorẽ occidentis humanitatem inuenit, quàm orientis nuper expertus fuerat. Siquidẽ agrestium placide tractatorũ stipendia contraxit, tali Iutorũ beneficio vsus, quale pridem apud Sialandios acceperat. Huius Sueno congressu vitato, Scaniã reuisit, exiguis militiæ reliquijs integram æmuli manum attẽtare formidans. Interiecto tempore receptis precio captiuis securus Iutiam adiri constituit. Peragranti Fioniam Ebbonis è vita nunciatur excessus. Cuius fato deiectus, relatis in Sialandiam copiis præsens belli propositum deserit, militemq̃ plangere quàm æmulum incessere maluit. Adeo enim familiariter eo vsus, vt nihil in foro, nihil in castris, absque ipsius administratione curaret, inq̃ priuatis ac publicis negocijs prorsus ex eius arbitrio sententiáque penderet. At vbi recens funeris mœror exoleuit, bellum noua turus per Fioniam in Iutiam decurrens, Wibergenses regiorum vectigalium immunitatem pactos, ad bella pro se suscipienda perduxit. Huc Kanutus magnis orientis viribus succinctus aduehitur, victor haud dubie futurus ni suadentibus amicis equestrem militiam pedestri mutasset. Siquidem optimates eius superiorum bellorum admoniti, quibus rem infœliciter equitando gessere, ne fugæ facultas ignauos abriperet, necessitatem sibi inferre tentantes, equorum adminicula submouẽda duxerunt. Kanutum cum paucis equitibus peditũ medium faciunt belli merita æstimaturum, nec aliàs Sueno rebus suis impensius diffidebat. Vt autẽ hostes vltro militiæ expedimentis exui vidit, summa spe extremam desperationem mutauit. Neq; enim ignorabat equitatu uacuos lentam & ignobilem militiam edituros, plusq; sibi præsidij demere quàm duramenti cõscisçere. Et ne ei similis manus deesse videretur, Wibergenses vtpote rei equestris ignaros, pedestri prælio militare præcepit, nonnullos inter sagittarios & funditores dispertit. His leuia tormenta saxaq; iactilia pro armis fuere. Proxime eis ab vtroque latere equites iungit, mox hostium terga pressuros. Committendi taliter prælij præcipuus autor ei Waldemarus extabat, corpus annis tenerum, animum industria præualidum habens. Is siquidem pedites peditibus opponendos, latera autẽ & terga ab equitibus incessenda docuerat. Kanutus dupliciter instructi hostis cõsilium ex apparatu cognoscens, opportunitatem insidijs negare disposuit. Quibus vt copiam demeret,

neque ſuos à tergo circumueniri pateretur, opus impetu ratus, totam manum inconſertiſſimos pedites inducit, eóſque paſſim & varie reſiſtentes penè omnes oppreſſit: nec ea tamen virtute periculum propulit. Quippe Sueno vtrinque ex latere aduerſarios, partito equitatu circumuolat, deturbatisque equis quos retro aciem fugæ metu locauerat, ancipiti incurſu concluſos exagitabat. Quod vbi videt Kanutus tranſuerſis aciem principijs inſtruit, reuocatamq; à peditibus pugnam, ad equites tranſtulit. Quippe à tergo inſtantibus ora aduertere neceſſe habuit. Sueno vero cum & armis diffideret, & equorum pericula formidaret, tranſuerſis eos prælijs fatigare, non manum cum eis acie conſerere, non pugnandi copiam facere, ſed incerto Marte ludificatos, æſtu ac laſſitudine ſuperandos curabat: eos grauiſſime adortus qui communi acie longius excedentes, audacius ſemet propulſandis obiecere periculis. Varijs igitur irruptionibus laceſſiti, crebroq; impetu & obliquis concurſibus lacerati, tandem virium inopia ad tãtam corporis laſſitudinem peruenerunt, vt præter communem belligerandi morem in ipſo certaminis ardore ſeſſione pauſarẽt. Cumq; nec ad fugam, nec ad pugnam vis vlla ſuppeteret, dum ſolicite ſalutis præſidia circumſpiciunt, oppidum cuius paulò antè incolas fuderant, compoſita acie paulatim accedere tutiſſimum dicunt, ſubſidij loco hoſtium tectis vſuri. Eo igitur ſeruatis ordinibus inceſſum emouent, procuratis qui à tergo curarent, hoſtemq; retrogradi pellerent. Tanta plerunq; neceſſitatis fiducia eſt. Tunc Barcho quidam promptiſſimus Suenonis miles ab aduerſarijs vndique circumuentus, innumeram manum admirabili ſolus virtute ſuſtinuit. Tandem obfuſis ſudore oculis, pulſo clypeo ambas bipenni manus inſerere, promiſcue cædem facere, hoſtes ac ſocios iuxta ferire, nulli propius inſtanti parcere. Quo viſo Waldemarus cui multa ſecum ex veteri conuictu familiaritas erat, memoria priſcæ charitatis euectus equo ocius aduolat, extremis amici rebus adeſſe cupiens. Quem Barcho aduerſarium ratus, relata bipenni inſtantem appetit. Sed Waldemarus prærepto eo ictum ocyor anteuenit. Manubrio ſolo ſcapulæ eius vehementer impacto ferrũ excidit. Vix hominem inter tot arma, tot hoſtes obnixius contranitentem ſeruare potuit. Diu tandem obluctatum abducit, inuitumq; ſaluti reſtituit. Qui poſtquam ſe ab amiciſſimo ſalutari captione pertrahi videt, libenter quidem eius opem excipere dixit, ſed non ita vti hac velle vt captiuorum more clunes equi ſequendo, fœdum de ſe ſpectaculum faciat. Verum ex parte Kanuti alij confeſtim fugam facere, pars oppido latebram quærere, nonnulli per medias eius plateas erũpere: Kanutus ipſe per anguſtiſſimas vici partes, equo vectus eripitur. Occupati qui in vicum profugerant, & in vnam ædium captiui tradũtur. Ad quos introgreſſo rege Helias Ripenſis antiſtes circunſpectis omnibus, hortulanum regi æmulandum aiebat, qui vtilibus herbis incrementa conciliat, noxijs locum vacuefacit. Quod dictum ſpecie horridũ, ſi quis altius mente perſpiciat ſumma induſtria procuratum fateatur neceſſe eſt. Abciſe enim rem, ſed copioſe diſſeruit. Cui ſi Sueno obſecutus fuiſſet, profecto omnem æmuli fiduciam ſepeliſſet. Qui licet iniuriarum nomine vindictam à captis exigere potuiſſet, ad mitiorẽ tamen ſententiam ingenita ſibi pietate deflexus, pleriſq; redimendi copiam fecit, aliosq; ſacramento, alios ſponſione in fidem acceptos, morte mulctare paſſus nõ eſt. Ex quibus binos duntaxat peculiaribus flagitijs obſitos, alterum quia tetram latrocinijs vitam egerat, alterum quod optime de ſe merentem virum per inſidias dormientem oppreſſerat, capite pœnas ſoluere iuſſit: in neutro belli, in vtroq; ſceleris negocium puniens. Complures ex ſuperioribus tributæ ſibi ſalutis immemores, acceptum ab hoſte beneficium repetita Kanuti militia neglexerunt, eisq; priſtina fides recenti charior erat. At Kanutus ab Alaburgo Liuthuſium petẽs, apud vitricum Suerconem exul aliquandiu demoratus eſt. Huc ſiquidem occiſo, Magno Kanuti mater coniugio obuenit. Tunc vero laceræ Danorum res diſiectæq; fuere, cum interius ſociali bello flagrante, exterius piratica peſtis ingrueret. Cuius propulſandæ cauſa, Sueno toti Sclauiæ bellum crebrius quàm proſperius inferebat. Neque enim tanta illi in prælijs perſeuerantia, quantus furor atque impetus fuit. Nam cum receptui conſulere debebat, tam auide littus repetere conſueuit, vt par

Danorum propter ſui regis ignauiam ſtatus afflictiſſimus.

vt par fugæ reductio videretur. Neque suorum ei res curæ fuere, dummodo prior ipse nauigium rapuisset. Quæ regis ignauia tantam Sclauis audaciam dedit, vt crebro copias eius reuertentes opprimerent. Ipse quoque Wibergam adhuc munimenti expertem, quo tutiori sibi receptaculo foret, terreis mœnibus clausit, magnisq; eam stipendijs instruxit. At Kanutus apud Suetiam primùm vitrico optatus, mox onustus haberi cœpit, ita vt pro comparandis alimentis quicquid illic prædiorum possederat venditaret. Neq; enim vlla gens exules aut promptius recipit, aut facilius respuit. Sed & filius Suerconis Ioannes, vt plurimum strenuus ita parum facetus, irrisorio carmine fugam eius præliaq; retexuit, & quasi cantilenæ specie pudibundi hominis verecundiam lacessiuit: vt enim hospitem rubore & contemptu perfunderet, fortunam ipsius ludibrio lacessere cœpit, aspersisq; iocis, & ignominioso verborum genere, ignauiam ei bellique tristes exprobrabat euentus. His Kanutus opprobrijs irritatus, nauigio commeatuq; empto, plurimũ in auunculi & materna fisus necessitudine, Poloniam profugit. Quem illi maternæ rei nomine regni consortionẽ appetere rati, cæteris in locis admissum, munimentis excipere non passi sunt. Ad vltimum eum ne placida satis fronte conspiciunt, insontem notantes, cum propinquo charitatem deberent. Augebat hunc metum recens maioris eorum fratris depulsio. Itaq; receptus quidem, sed nullam, vt dixi, vrbium intrare permissus, ad præfectum Saxoniæ Henricum peruehitur. Apud quem minorem spe sua fortunam expertus, Hamburgensem antistitem Hartuicum accedit, iampridem Danis iuridictioni suæ exemptis infensum. A quo humanissime habitus, belliq; tandem subsidia mutuatus, domesticorum militum fidem, tacita legatione pertentat. Responsum est omnes ad eum ocyssime transituros, datamq; Suenoni fidem, pristina mutaturos. Qua promissione securior factus, peregrina manu Iutiam intrat. Sed & suis nec humanitas Suenonis, nec obsidum charitas, nec periurij respectus, quo minus ad eum signa referrent obstaculo fuit. At Sueno vbi de eius aduentu cognouit, virium diffidẽtia apud Wibergam recentibus à se munimentis excultam, obsidionem ferre constituit. Vbi ad sustentandã sumptuum necessitatem, bona eorum qui ad Kanutum conceslerant rapinis exhaurit, prædatuq; stipendia contrahit.

At Kanutus ex proximæ pugnæ euentu, vrbem oppugnare diffisus, formidata locorum fortuna, procul mœnibus castra constituit, operiri volens quoad æmulus protelatis diebus alimentorum egestate vexatus, aut turpiter fugam, aut temere bellum arriperet. Ea Kanuti spes Suenoni victorię fuit. Eodem tempore Bruno quidam qui & Kanutum ipse è Saxonia secutus fuerat, siue Suenonis instinctu corruptus, cum quo vetusta sibi societas erat, siue delati belli tædio satiatus impetrata vtcunque licentia cum aliquot Ripam secessit. Sueno vero cum rem familiarem magnis in vrbe sumptibus exhausisset, neque trahendi diutius belli materiam circunspiceret, audendum aliquid cum periculo ratus, noctu magnis itineribus tacitus ad hostium castra contendit, eosq; mane diuina curantes, improuidos irrumpit. Quibus repentino metu perculsis, vt cuiq; animus erat, alijs fugam, alijs arma capere negotium fuit. Medius horum interfluebat riuus occultis voraginibus frequens, sed vno duntaxat vado meabilis, quod Suenonianis incognitum, Kanuticis notum prior loci inspectio fecerat. Exiguus idem & obscurus olim, nunc belli inclytus fama. Igitur qui irruperant ignorantia loci inuias riui partes aggressi, præcipitatis equis improuidi impetus pœnas dedere. Experti periculum eminus instant, fundisque ac iaculis prouocant congressum, prohibente lacuna. Tunc Saxones ostentandæ virtutis auidi, ne rebus locus officeret, equis vadum insiliunt. Waldemarus postquam id loci equitabile videt tanquam hostes transitu prohibiturus, eò freno conuertit, aduersoq; cum eis equo cõcurrens, impactam vni lanceam ingenuo militandi more perfregit. Sed contra in ipso gurgite ita quaternis simul hastis excipitur, vt equus in clunes consideret, ipse tamẽ ob egregiam equitandi peritiam sella pelli nequiret. Quintam inter frõtem galeamq; defixam, adacto capulo collisam auulsit. His malis liber, arrepto equo cum paucis vadum superat, & ne secuturis angustias faceret, procul riuo secedit, ibiq; facta acie pugnã

capessit. Quinetiam totam hostium turbam quoad omnis sociorum permeasset exercitus, parua manu sustinuit, Suenoniq; certissimus autor victoriæ fuit. Quo opem ferente, Kanuti partes fugam fecere. Grādem quippe ex superioribus prælijs metum hauserant, eorumq; memoriam abijcere nequeuntes, ægris semper, infractisq; animis erant. Adeo enim Kanuticorum animos res aduersæ corruperāt, vt maiore fortitudinis parte defecti, perseueranter hostē ferre nequirent, nimioq; timoris captu hebetatis animis, faciles semper in fugam existerent. Saxones vero quibus agitatio militaris familiarior erat, equestri exercitatione vsi, crebro equorum reiectu victoribus insultabant, ita fugam moderantes, vt eam non sine ordine & regimine dirigere viderentur. Promptissimus horum Folradus eo prælio cadit, neq; captorem reperire quiuit, quanquam obrutus prendi se plurimum precaretur. Cæteri interdiu male fugientes oppido noctu manserunt, vbi à fugæ persecutoribus intercepti, hospitio necantur. Condixerant enim victores nemini parcere deuictorum, tum Saxonum odio, tum quia proximo bello captos & à se redimendi potestate donatos, denuo hostes experti fuissent. Kanuto Saxonia refugio fuit. De cuius fuga Ripenses vti acta erat ab intermeantibus edocti, quo plus victori placerent, confestim Brunonem capiunt, Suenonis in breui iudicio præsentandum. Quem Sueno oblatum aliquandiu familiarius habuit, mox donatū abire permittit. Quæ res ei apud conterraneos suspicioni primum, mox cladi atq; exitio fuit. Fuere enim interfectorum propinqui qui crederent eum pecunia à Suenone corruptum, sociorum salutē iniquissimo subuertisse consilio: declinati belli argumento doli coniecturam trahentes, neq; aliud beneficentiam regis, quàm fraudis præmium extitisse putantes. Cui cum de perfidia diem dixissent, omnemq; accusationis suæ vim validissima eius defensione elusam viderent, inuictū foro insidijs occupant. Sueno perinde ac priuatis periculis liber, ad publica propulsanda animum induxit. Locis marinis natura munitis, complura agrestium præsidia condidit. Bina castra, alterum in Fionia, in Sialandia alterum propter fretum molitur. quæ piratis timori, incolis vero receptui forent. Sed à Sclauis vtrunq; conuulsum proditur. Bellum cum ipsis magna apud Fioniam virtute gessit. Quorum copias ita cæcidit, vt pleriſq; militum palmas ferro præroſas habentibus, media digitorum caro crudesceret. Eo tempore propter incursus qui à maritimis crebri prædonibus edebantur, apud Roskildiam Wethemanno autore piratica cœpit: cuius hæc disciplina, hi mores fuere. Nauigia piratæ magis idonea sibi visa, absq; possessoris permissu assumendi potestatem habebant, octaua acquisitorum parte naulum daturi. Nauigationem orsuri, apud sacerdotes præteritæ vitæ piacula deplorabant, eorumq; religiosa animaduersione puniti, perinde ac statim decessuri, diuina altaris libamenta sumebant, cuncta prosperius cessura rati, si rite Deum ante bella placassent. Paruo viatico sumpto, onera & impedimenta vitabant, armatura ac cibo simpliciter contenti, nihilq; quod nauigationem moraretur amplexi. Multæ illis vigiliæ, multaq; parsimonia erat. Remorum manubrijs considendo innixi, somnum carpebant. Quoties propter littora illis nauigatio erat, eadem antè speculatoribus perlustranda mandabant, ne quid incompertum fortè vel improuisum occurreret. Insulas ad quas vento afflarentur petebant, missis qui loca procellis auersa perrurrerent, quod peregrina classis tranquillis soleat portubus delectari. Crebrum eis cum hoste certamen, sed vbiq; facilis, ac pene incruenta victoria fuit. Prædam ex æquo partiebantur, nec maior gubernatoris portio quàm priuati remigis erat. Christianos quos expugnata classe captiuos repererāt, amictu donatos ad propria dimittebant: tanta eis in cōterraneos humanitas erat. Octogenas & binas piraticas puppes varie & vicissim cepere, nunquam ipsi classem viginti duabus frequentiorem habentes. Stipendijs defecti, impensas à ciuibus contrahebant, præmij loco prædæ dimidium recepturis. Hic piraticæ cultus, vt dixi, Roskildiæ cœptus, ab vrbis gremio etiam ad agrestes manauit, ab omni ferme Sialandiæ parte subsidia mutuatus. Enimuero angustus primum ac tenuis, magna beui incremēta contraxit. Sed neq; ante redditam terris pacem vlla ex parte remissior fuit. Interea Kanutus Frisiam minorem, quæ & ipsa Danicarum est partiū, cum paucis exilij comitibus petit,

petit. Diues agri prouincia est, pecoribus opulens. Cæterum confinis oceano patet humilis, ita vt eius interdũ æstibus eluatur. Qui ne irrumpãt, vallo littus omne præcingitur: quod si fortè perfregerint, inundant campos, vicos & sata demergunt. Neque enim illic locus natura alius alio editior extat. Plerunq; agros ab imo conuulsos aliò loci traiiciunt, locum eorum occupante lacuna, in quorum consederint præsidijs possidendos. Inundationem comitatur feracitas. Gramine tellus exuberat, torrefacta in salem gleba decoquitur. Hyeme cõtinuò celatur æstu, stagni speciem præbentibus campis: vnde & in qua rerum parte locanda fuerit, penè ambiguum natura fecit, cum alia anni parte nauigationis patiens, alia aratri capax existat. Incolæ eius natura feroces, corporibus agiles, anxiam & grauem armaturam contemnunt, ancilibus vtuntur, missilibus dimicant, Agros scrobibus cingunt, saltus contulis edunt. Penates in editum subiecto glebarum aceruo prouehunt. Hos à Frisonum gente conditos, nomine & linguæ societas testimonio est. Quibus nouas quærentibus sedes, ea fortè tellus obuenit, quam palustrem primum ac humidam longo durauere cultu. Administratio deinde prouinciæ sub nostris regibus esse cœpit. A qua Kanutus cum fortè præsidium imploraſſet, prompto omnium fauore suscipitur, pollicitus se eis aliquid de consuetæ pensionis onere laxaturum. Auidi promissionis Frisi, intuitu exilis præmij, immani se negocio onerant. Ac primum mœnia propter Mildam fluuium, quis eum recipiant, condunt, Tantulo stipendio ingens militia stetit. Sueno reditus eius opinione accepta, Iutis in equitatum digestis à Sialandis & Scanis classem adsciscit. Ex qua nonnullas naues Slesuici subductas ad Eidoram vsque solotenus pertrahendas curauit, ne ea pars hostibus elapsui foret. Quæres ei impendio magis quàm vsui fuit. Inde cum copijs ad recens oppidum pergit. Id inter paludes amnemq; situm natura quàm opere munitius erat. A latere ei Milda fluuius fuit angustis alueis, sed placide manantibus aquis. Quod quia rex ob anguſtias exercitu circunuenire non poterat, locis ex copia idoneis castra defigit. Deinde cæsis virgultis, quæ nemus proximum offerebat, ad peragrandas paludes constramenta fieri iubet, quibus cum opportunum foret, velut pontibus vterentur. Interea quidam ex Frisica iuuentute, siue moræ impatientes, siue vegetioribus animis virtutis iactandæ cupidi, prouocandi gratia, riuum qui inter castra medius erat consueta arte transiliunt, vagumq; eminus hostem incessunt. Nec lacessentibus obuij defuerunt. Complures ex vtoque agmine huic se certamini ingerunt, suorum quique pericula propulsuri, neutris communis fortunæ negocium patienter inspectare valentibus. Itaque paulatim crescente pugna, adeò omnium huc animi confluxerunt, vt ex eo belli præsultu, totius victoriæ summa pendere videretur. Quo viso, filius Thorstani Petrus, omnium regis arcanorum particeps, non ignarus Frisicæ temeritatis, confestim armari exercitum, præstolariq; castris paratum iubet. Huius rei inscij Frisones, tota amnem manu repente transuolant, rati sine paratu regem in castris esse. Ita audacius quàm prudentius omnis eorum irrupit exercitus, inopinatum hostem opprimere auidus. Sed Suenonianis non segnius occurſantibus, ad notas sibi refugere paludes. Quas mox equites factorum à se pontium stramentis vsi facile superant, translatique fugam acerrime persequuntur. Aliud quoq; ferro sibi compendium struũt. Nam tanta in fugientes strages exercita est, vt constratis cadaueribus, amnis mox à victoribus permeari potuerit. Fusis Frisonibus, Kanutus cum paucis exilij socijs eques elabitur. Reliquis fugæ expertibus oppidum receptui fuit. Cui Sueno Kanutum inesse ratus, obsessos quàm poterat infensus aggreditur, sperans obtentione eius totius belli finem futurũ. Saucios integris mutat, fessis requietos succedere iubet, diurno prælio nocturnum sociat, omniq; instãtia curat ne lassis quies remedio fiat. Addebat obsessis animũ recens captiuorum occisio, nec cuiquam à victore toties læso venia sperabatur. Contrà rex si pugnam remitteret, neque mox oppido potiretur, Fresos auxilio obsessis futuros timebat, ideoque perseuerantiore prælio opus ducebat. Sic metus vtrinque pugnandi pertinaciam fecerat. Nec interdiu dimicasse contenti, noctem quoque bello contribuunt. Tunc vero anceps prælium erat. Cum fortè Waldemarus cla-

Frisia minor alia anni parte nauigationis, alia rursus arationis est patiens.

Non solum de die, verumetiã de nocte pugnatum.

more cominus orto, Freſos inſtare ratus, in partẽ qua ſtrepitus exaudiebatur cum ſignis accurrit, ſociosq; perquàm ſtrenue repugnantes, errore noctis eluſus oppreſſit. Ita fortiſſimi animi dux temporis habitu circumuentus, quibus opẽ ferre decreuerat, cladem atq; exitium irrogauit. Oppidani aſſiduis plagis & continua laſſitudine exhauſti, nullumq; pugnæ ſupplementum habentes, cum nec vires, nec vulnera vllo momenti ſpacio recreare quiuiſſent, deſperatis rebus dedidere ſe regi. Cuius fidem atq; clementiam, vltrà ac rati fuerant, experti ſunt. Tum vero rex & in Plogo, qui Ericum occiderat, ſingulare pietatis ſpecimen dedit. Neq; enim à patris interfectore pœnas exigere voluit, plus deditionis moribus, quàm vltionis aculeis debiturus. Cæteros quoq; nec morte nec captione mulctatos abſq; redemptione dimittit, præfatus ſe eorum obſequia ac odia iuxtà æſtimaturum. Nihil enim ijs proſpere ceſſurum, qui toties mobili fide & ſacramento fuiſſent. Dimiſſi cum duce exilium amplectuntur. Id enim gratiæ apud ſuos Kanutus habebat, vt nulli vnquam fortuna eius faſtidio eſſet. At Freſones mulctæ nomine duo milia librarũ regi cum obſidibus pendunt. Poſt hæc ſiue rubore fugæ, ſiue naturæ ſtoliditate compuncti, Waldemarũ obſecrant, precetur regem, bellum cum eis hac lege iteret, vt victor æquam priori ſummam recipiat: victus, ex veteri penſione quantũ Kanutus ſpoponderat, remittat. Ille precantium temeritatẽ incertosq; pugnæ euentus ſolertius æſtimans, extremæ dementiæ voces conſilij ſui ſalubritate cohibuit, perquam ſtultum affirmando victos, à victore noxias belli conditiones expetere. Interea Kanutus apud Germaniam Fridericũ Romano recenter imperio functum auxilij imploratione ſollicitat, promittens ſe patriæ procurationem in eius beneficio repoſiturum. Imperator cui & ſumma naturæ calliditas, & maxima proferendi imperij cupiditas eſſet, tantũ alieni in ditionem ſuam redigere auidus, Suenonem veteris amicitiæ & commilitij monitũ, promiſſo honoris incremento ad colloquendũ ſibi ſimulatione charitatis inuitat, eximiã ſibi viſendi eius cupidinem inceſſiſſe ſignificans, ſed Romanæ maieſtatis amplitudinẽ quo minus eum accedat obſiſtere. Quippe Sueno adoleſcentiæ tempore militaris rei perdiſcendæ gratia, Conradi Cæſaris clientelã ingreſſus, cũ Friderico adhuc priuatæ fortunæ, quem & ætate & ingenio æquabat, diu ſodalitatis officia geſſerat. Itaq; nõ quod fallaciſſimi hominis commentis crederet, aut æmulo aſylũ demere vellet, ſed vt ſola ſe Germanis fama cognitum etiam ſpectandum ſubijceret, præſentemq; famæ ſuæ miratoribus exhiberet, cultiore pompa inſtructus mandatum exequitur. Nec parum gloriæ apud curiam magnificentia clientelæ & apparatus oſtentatione contraxit, totiusq; in ſe Germaniæ oculos ob virtutis admirationem conuertit. Merſburgum oppidũ theutonicæ nobilitatis frequentia completũ ingreſſus, ab imperatore primum veneranter habitus, mox vario accuſationis genere vexatus, diſparẽ promiſſis fidem expertus eſt. Cui demũ conditiones huiuſcemodi proferũtur, vt imperatoris ipſe, eius vero Kanutus renuntiata regni affectatione militem ageret, beneficij iure Sialandiã recepturus. Alioqui imperatoris vires Kanuto obtentui fore, expeditãq; cum eo manum in Daniã eſſe mittendam, quæ vel Suenonis præcurreret reditum, vel confeſtim impugnaret aduentũ. Sueno in re tam anxia, aut periclitandum ſibi, aut parendum fore cognoſcens, ſimulata aſſenſione paterna bona quibus in Sialandia abundabat, tanquam peculiaria à conditionis tenore ſublegit, ne violandæ pactionis omnis domi deeſſet occaſio. Quod quia Germanico iuri familiare erat, admiſſu facile fuit. In hoc Kanutus pacti parum credulus, Waldemarũ qui cum Suenone aderat ſponſorem efflagitat, fidem eius integritatemq; tutiſſimum rerum ſuarũ pignus exiſtimans. Neq; enim alium ex regio comitatu, pari conſtantia pro capite ſuo excubiturum putauit. Ille Suenonianæ perfidiæ conſcius, cum vanam ac lubricam compoſitionis fidem aduerteret, ne alienã in ſe labem recidere pateretur, ſponſionẽ pertinacius abnuit. Tandem rege compellente, vix atq; ægre vadimonium dixit, præfatus ſe ſi Sueno pactũ perrumperet, Kanuti partibus acceſſurum: probata vtrinq; conditione diſceſſum eſt. Reuerſus in regnum Sueno, deq; æmulo comitem nactus, remiſſis è veſtigio literis, fidem Cęſaris aperta fraudis exprobratione damnauit: initasq;

Sueno pactũ quod cum Cæſare pepigerat, reſcindit.

tasq; cum eo pactiones, obsequij negatione subuertit, in eas se conditiones fallaci ter adductum affirmans, in quas Danicorum adhuc regum nemo cõcesserit. Prę-terea Kanuto iusta petenti, prouinciali duntaxat administratione cõcessa, regios penates à cætera se conditione secreuisse dicebat. Fraudatus pacto Kanutus, vadem sollicitat. Qui quum regem deserere, vel sponsionem corrumpere, æque fœdum putaret, vtrobique famæ periculum contemplatus, mutare pactum quàm euertere maluit, statuens vt quum rex Sialandiã commeatui suo necessariam duceret, aliud pro ea Kanuto stipendium assignaret, nec fructu parcius, nec spatio contractius, nec honore defectius. Assensus conditioni rex, tripertitam Kanuto præfecturam constituit, eiq; in Iutia, Sialandia, ac Scania, peculiare beneficium tradit, interciſam loco dominationem minus solidæ potestatis gesturam existimans. Huius rei Kanutus Waldemarum denuo prædem exposcit. Quem velut antea repugnantem Sueno condendi fœderis auidus, sponsionem iterare coëgit, negans si pacto obuiam isset, eius Kanutiue defectionem ægre laturum. Hoc fretus pignore Kanutus, cupide conditionibus fruitur. Igitur Sueno perinde ac bellorum metu solutus, in superbiam lapsus patrios mores, quod parum sibi videren tur exculti, tanquam agrestes & inconditos, petita à finitimis vrbanitate mutauit: spretoq; Danico ritu Germanicum æmulatus est. Nam & cultum Saxonicũ sumpsit, & ne eo inuidiosius vteretur, militum studia ad similem vestis vsum adduxit, rustici moris tædio, comptioris famulitij grege palatium instruens. Quinetiã epulandi rusticitate depulsa, externas mensis comitates adsciuit, comessationumq; ritus cultiore ministerio gerendos instituit. Nec solum cultum nouauit, sed etiam edendi bibendiq; facetias tradidit. Idem studij in nouãda clientela, asciscendisq; satellitibus gessit. Honores quippe nobilibus dẽptos, histrionibus deferebat: magnisq; & illustribus viris à latere suo sepositis, in eorum locum turpium & effœminatorum familiam subrogabat, vt abiectu maiorum, minorumq; prouectu, prorsus eximias potẽtiæ suæ vires ostenderet, ditatiq; fortunam suam beneficio regis, non generis imputarent. Nec insolentiæ eius auaritia defuit. Siquidem lucrosa sibi illorum fata, quorum bona auxisset constituit, pupillorumq; parentibus emortuis expilator euasit. Neq; nephas duxit eorum liberos egestati subigere, quorum opera regni opes ipse susceperit. Ipsos quoq; milites prius à se locupletatos, ad vilem paupertatis statum beneficij sui pœnitentia adductus reiecit. Quinetiam ingentis clientelæ voracitate compulsus, prouincialia ministeria, impẽsasq; ab agrestibus arctius exigere cœpit. Itaq; dum militum luxui consulit, plebis fauorem amittit. Præterea controuersiarum iura eatenus sacramenti religione subnixa, ad palæstras & palmas athlethicas relegauit, iudiciumq; rationis speculationi debitum, in sola corporum exercitatione constituit. Et ne quid fastui deesset, in communibus suggestis concionari fastigio suo indignum ducebat. Quam ob rem æqua vulgarium alloquia contemnendo, editioribus locis occupatis, suppositę plebi superne ius dicere consueuit. Crebræ quoque ei cum Lundensi pontifice simultates, maiore fructu quàm iactura fuere. Ea tempestate Karolo Hallãdię præside prouinciam egresso, coniugem eius, sororemq; viduam Suerconis filius Ioannes excellentis earum puchritudinis opinione corruptus, ad libidinis commercium raptas in Suetiam vsque deuexit. Quibus tam contumelioso vsus proditur, vt eas in stupri vices noctibus euocaret alternis, ingenuæ pudicitiæ fœminas, obscœnissima fœditate proculcans: neque aut huius matronalem torum, aut illius cœlibem castimoniam, quo minus voluptatum suarum ignibus indulgeret reueritus. Ad vltimum patriæ & populo tantæ temeritatis facinus execrante, vtranque remisit. Quod flagitium Sueno perinde ac commune probrũ in omne Sueonum regnum vlcisci statuit, publicum ruborem communibus armis submouendum existimans. Sed nuptiarum apparatu præuentus, quippe Saxonum satrapæ Conradi filiam nuper desponsam vxorem ducturus erat, propior priuatæ copulæ, quàm publicæ vindictæ militiam retentabat. Per hanc Suenonem in peregrinos ritus adductum falsa plebis opinio referebat, eiusq; super consuetudinum nouitate consilium accusabat. Per eadem tempora Nicolaus vrbis Romæ cardi-

Impudicitiæ pluriumq; simul concurrẽtium flagitiorum mira narratio.

nalis Britannicum permensus oceanum, Noruagiam Lundensium adhuc ditioni parentem, immunitate concessa, maximi pontificatus titulis insigniuit. Quod in Suetia quoque legationis potestate peragere cupiens, Sueonibus & Gothis devrbe, & persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, certamini decus negauit, rudémque adhuc religionis barbariem summo sacrorum honore dignatus non est. Verum inspecto temporis habitu, cum per oceanum reuerti hibernę nauigationis metu in periculis duceret, Daniam reditui suo percommodam arbitratus, offensam eius ex Noruagiæ promotione contractam beneficij deliniamento sedare constituit. Eskyllum igitur mandatis aggressus, plus nouæ dignitatis quã veteris amiserit, recepturum promittit, definiens se ereptæ Noruagię damna, Sue tici primatus munere pensaturum. Rapuit promissum Eskyllus cupidéque legati copiam flagitat. Qui veniens apud ipsum futurum Suetici sacerdotij insigne deposuit, dandum ei in quem concors Sueonum Gothorúmque suffragium conuenisset. Statuit quoque vt quicunque maximi Sueonum pontifices creandi essent, pallio à curia dato, per Lundensem insignirentur antistitem, eámq; sedem perpetuo vererentur obsequio. In hoc priuilegio dato confirmationem à curia adsciscendã promittit: quod effectu perfacile fuit. Siquidem Romam reuersus, decedẽte Eugenio maximus pontifex subrogatus est, peregitque publicæ religionis præsul quod priuatæ legationis ministeř annuerat. Qui mox vsurpatione posterorum firmatus, sub hoc vsque tempus, antiqui tenoris obseruatione perfruitur. His peractis Nicolaus nondum Dania egressus, Suenonem Suetica meditabundum bella, Romana industria à proposito reuocare conatus, locorum difficilium, inopis regni infructuosæ victoriæ habitum prætendebat. Siquidem eius militiæ negocium ingẽs, fructus exiguos fore, priusq; ei cum vastis & immanibus scopulis, quàm cum hoste certandum. Quo victo nihil præter ignobilem prædam, & sordida spolia victoribus occupandum.

POSTREMO cum stolidam regis perseuerantiam consilij sui sapientia superare nequiret, inertiam eius facetissimè cauillatus est. Nam araneam eum æmulari dicebat, quæ telarum figmentis cum discrimine vitę, & viscerum suorum egestione consertis, quid nisi scarrabeos putres & vilia prenderet animalia? Cuius exẽpli euidentia, araneæ regem, militiam telæ, victoriam venatui conferebat. Ita auidũ ducem exiguę rei cupiditate seipsum viribus exinanientẽ inutili bello delectari monstrabat. Cuius Sueno dignitatem potius quàm monitum veneratus, abeũtemque eum ad regni fines vsq; commeatibus prosecutus, destinati olim belli studium animo reuocauit: quippe quem magis potiendæ Suetiæ cupido, quàm aut iniuriæ dolor, aut pudoris irritamentum accenderat. Maximam siquidem inuadendæ eius opportunitatem, tum ob seniũ imbelliamq; Suerconis, tum ob factiones inter eundem & plebem recenter ortas (nam Ioannem agrestes concionantem occiderãt) arbitrabatur. Spe quoq; tam rata victoriam complectebatur, vt ante militiæ exordium inter milites suos Sueticarum iura prouinciarum, tanquam belli præmia partiretur. Duo quoque ex proceribus eius ad opinionem vnius Sueticæ virginis libidinis æmulatione correpti, magnis inter se iurgijs dissidere cœperunt. Cuius nuptias rex in beneficio suo reponere par æstimans, capta Suetia fortiori connubium pollicetur. Quo promisso libidinis æmulis magnum virtutis certamẽ ingessit. Tanta apud Danos fruendæ Suetię fiducia fuit. Interea Suerco belli metu crebras ad eum de pace legationes direxit, sed nullis conditionibus ad eam impetrandam assurgere valuit. Igitur frustra fatigari se videns, non se prælio offerre, non arma, non expeditionem parare, sed ignotos locorum recessus quærere, summamq; belli Sueonibus credere. Vt autem Sueno difficillimorum itinerum euitaret anfractus, instrumentum belli hyemis expectatione suspẽdit, ab astrictis glacie paludibus profectionis compendium petiturus. Hyberni itaque temporis beneficium nactus, expeditiora legit itinera, rapinisq; & incendio Finniam prædabundus aggreditur. Occurrunt indigenæ supplices, patriam seq; dedentes: nec sic se subtraxisse contenti, etiam commeatibus præbitis, hospitalitatis eum obsequijs prosequuntur. Post hæc Werendiam intrat. Vbi ab incolis neq; Marte neq; deditione exce-

mis omnia, ferroq; peruadit, viris ac fœminis passim solitudinum inaccessa petentibus. Sed & prealtæ niuium moles totis ferme campis incesserant, frigorisq; tanta vis erat, vt vberibus admoti infantes, algore hebetatis membris inter ipsa lactis alimenta decederent, matresq; simili fato propinquæ, extincta pignora moribundis complexibus attrectarent. Dani quoq; eadem aëris inclementia afflicti, non in castris noctes exigere, non militares excubias obseruare, pars foco sibi, pars tecto consulere, aëris non armorum sæuitiam in metu reponere, cuncti plus cœlum quàm hostem cauere. Werendenses autem quoad regis gratiam paciscerentur, iter intercipere cupientes, cęsis minoribus trũcarum arborum coaugmentis, faucium quas permeaturus esset angusta præcludunt. Tantis siquidem circumiacentium rupium anfractibus claudebantur, vt absque ingenti dispendio à latere præteriri nequirent. Quorum ausu rex inter cœnitandum accepto, moræ omnis impatiens, discussis mensis equum inuolat, militibusq; adesse iussis, ad rupem concitus fertur, indigne ferẽs cœptorum suorum cursum vilibus agrestium obstaculis retardari. Rogatus à Nicolao quodam iræ parcere, incertamq; admodum rem curiosius explorare, interpellanti se, vxoratum quemq; timidissimum esse respõdit, ad eius nuptias alludens qui ducta coniuge postridie militiam ingressus fuerat. Ille ob contumeliosam monitorum suorum repulsam ira percitus, facturum se breui quod Sueno non audeat, subintexuit: exprobratamq; sibi ignominiam, inuicem in eum reiecto meticulositatis opprobrio vindicauit. Quæ vox ab iracundia profecta, celerem ipsius obitum ominata est. Vbi ventum ad fauces, delapsi equis milites, quanquam tenui armatura essent, quod eis festinationis ardor periculorum contemptum ingesserat, arboream struem oppugnare cœperũt, indigenis qui ad eam defendendam conuenerant, ingenti pacem clamore poscentibus. Tunc Nicolaus acceptam à rege contumeliam conspicuæ probitatis operibus demere cupidus, ne magis vxorius quàm strenuus videretur, dum conserta truncorum robora obstinato ad pericula gradu superare conatur, ab agrestibus è strue tãquam ex muro propugnantibus caput hasta traiectus opprimitur. Similis aliorum conatus saxis sudibusq; repellitur. Sueno propinquitate noctis, impetusq; præproperi pœnitentia reuocatus, signo receptui dato prope aggerem castra constituit, luce postera maiore vi ac paratu prælium exequuturus. Verum hostibus noctu sibi diffugio consulentibus, mane vacuum propugnatoribus iter nullo negocio superauit. Werendos deinde resistendi fiducia defectos, in fidẽ accepit. Igitur cum pleraq; sibi ex voluntate respõdere cognosceret, fœlicibus fortunæ experimẽtis euectus, in omnem se Suetiã effundere statuit. Sed nimietas frigoris equorumq; exasperitate itinerum inopiaque pabuli coorta debilitas, processum negabant. Tunc qui ex equitibus ad pedites redacti fuerant, commilitonum equos suis oneribus instrauere, eosq; prę se onustos agentes ignaro rege domũ dilabebantur. Qui tandẽ furtiuũ militiæ discessum expertus, clandestinam eius elapsionem data reuertẽdi licentia præcurrit, statimq; compendiaria ad Scanicã via cursum reflexit. Igitur Karolus cum Kanuto fratre receptorum obsidum fiducia spem liberæ tutæq; reuersionis præsumens, cum Hallandiæ propemodum confinijs accessisset, à Finnẽsibus insidias hospitalitate tegentibus conuiuio exceptus, maiorẽ noctis partem commessationibus extraxit. Temulentia grauis in horreum annona vacuum, pariter se & comites sobrietate exutos cubitum recepit. Quibus altiore somno spirantibus, Finnenses foris valuas obicibus obserantes, igni sparsere tectum. Iamq; maior eius conflagrauerat pars, priúsque ædes in cinerem prope collapsa fuerat, quàm pressos mero sensus vis ardoris expungeret. Postremo propiore flammarum feruore correpti, dum nudi valuis erumpere gestiunt, forinsecus eas obclusas cognoscunt. Vrgebat intus incendium, foris hostis vetabat egressum. Sed prę-sens pœna sequentis metum leuabat, instantisque mali periculum futuro tristius ducebatur. Quo euenit vt Dani ferro quàm flammis opprimi præoptantes, validius conniſi præiecta foribus claustra conuellerent, vtq; vnum periculorum effugerent, in aliud ruere non dubitarent. Egregiæ indolis pueri quos sibi in clientelam Karolus respectu propinquitatis adsciuerat, absq; ætatis miseratione sub Ni-

Vxorati reliquis timidiores æstimati.

cæ amnis glaciem nudatis corporibus barbarorum ludibrio mersi, in eodē alueo fatum ac tumulum recepere. Ita paucorum agrestium fraude maximæ expeditionis labor exinanitus est. Interiecto tēpore, plebs Scanica à principibus dissidens, concione lecta in Arnam vallem armata successit. Quoties enim in ea prouincia intolerabilia vulgi onera ducebantur, publica vi iniurijs occurrebatur. Adeò cum intolerabilis plebis seruitus ducitur, publicis armis libertas expetitur. Veritus ergo rex ne is tumultus ad grauiores regni motus progrederetur, coërcēdi eius gratia ad Scaniam è Sialandia traijciens, militaris manus fiducia agrestium concionē accessit. Inermis ipse equitibus vtebatur armatis, vt vim metuere potius quā struere videretur. Cedente de industria vulgo, coronam ingressus multis & grauibus querimonijs exceptus est: sed obstrepente multitudinis clamore, defensionis potestatem dicendiue copiam impetrare nequiuit: flagitandi silētij gratia dextram vulgo obtendens crebros lapidum iactus excepit. Adeo cōsternationis furor in contemptum maiestatis exarserat. Tunc Toko matre Sygne ortus, vir natu & facūdia, iuxta nobilis, primaq; regis amicitia præditus, in medium vulgi se proripit, obtentaq; omnium taciturnitate, imperitum concionis fragorem doctæ vocis autoritate compressit: ita suam temperans actionem, vt & præfectorum partes dissimulāter protegeret, & manifestum patrocinium impertiret. Reuersis ad propria agrestibus, rex tantę contumelię deformitatē summa indignationis molestia prosecutus, complures Scaniæ vicos exussit, eamq; fermè totam perinde ac maiestatis ream, rapinæ subiecit. Ipsos consternationis autores spiritu, vel bonis priuauit, factiosos paupertate aut morte mulctandos iudicans. Nec Tokonem cuius saluta ri eloquio vsus fuerat, tametsi linguæ eius beneficio vulgi iram vitasset mulctæ expertem reliquit, plebem aduersum se occulto eius consilio concitatam affirmans. Ita sæuissimis iracundiæ furijs prouocatus, odia ac familiaritates iuxta pensabat. Ea Suenonis irruptio Kanuto nouandarum rerum spem fiduciamq; restituit. Sed hunc ausum præcipue Suenonis ac Waldemari concordia castigabat. Nam quantum regis odium, tātam ducis apud omnes gratiam intuebatur, alteriusq; flagitia, alterius virtute redimi denotabat. Arbitri quoq; Kanuti prius sodalem regi quàm ocium eripiendum rati, eius cum Waldemaro concordiā connubij affinitate cōponendam duxerunt. Cuius efficiendi gratia vterinam Kanuti sororem Sophiā, apud Waldemarum eximia pulchritudinis laude de industria prosequebantur. Sed Waldemarus quo minus ad hanc copulam intenderet, inopiam virginis obstare dicebat, quod patre Ruteno procreata, nullorum in Dania bonorum hæres existeret. Quanquam enim suasoribus tacite pareret, plus se tamen paupertatem puellæ fugere, quàm speciem ammirari fingebat. Igitur à Kanuto totius patrimonij sui parte tertia sponsalium loco promissa, puellam despondit, eamq; matronæ cuidam Hotildæ adusq; maturam toro ætatem educandam committit. Quam ob rem neglectum sanguinis vinculum, ac diu funestis odijs laceratum, tanta animorum integritate refectum est, vt nulla veterum inimicitiarum macula quas vel ipsi vel eorum parentes gessissent, nouæ societatis habitum infuscaret. Quorum amicitia quo inuicē purior, hoc regi suspectior extitit. Sed eos & tacite cauit, & palàm offendere metuit, quod maximam à se virium partem cum Waldemaro migrasse cognosceret, cuius fortunæ suam incumbere non dubitasset. Itaq; licet amborum fidem notaret, suspicionem tamen ne odium proderet obscurauit. Illi regiæ dissimulationis haud inscij, accepta commeādi licentia, quasi bona sua apud Suetiam inuisitaturi, regem eius Suerconem accedunt. Re autem vera Kanuto Suerconis filiæ postulandę negocium fuit. Quorum præsentiam Suerco tanta affectione amplexatus est, vt prēteritis liberis futuræ affinitatis spe hæredes eos nuncupare proponeret. Quod votum ei siue filiorum inertia, siue excellētis proci nobilitas inseminabat. Reuersi itaq; hoc inuisiores regi, quo hosti concordia iunctiores fuere. Kanuto deinde in Iutiam digresso, Waldemaro vero Ringstadiū inuisente, Sueno post eum contentius pergit, conuentumq; diu perfidiæ & proditionis probris euerberat. Neganti, confictas à se literas tradit tanquam ab amicis porrectas, sed titulo de industria vacantes, quæ eius ac Kanuti initam cum Suercone concordiā

nunci-

nunciarent. Quo commento Waldemarus, quanquam iræ parciſſimus eſſet, ſupra modum accenſus, linguam nimio indignationis hauſtu repletam in contumeliam arguentis effundere non dubitauit: perfidiæ quoq; in eum exprobratione reiecta, non iam redargutione, ſed conuitio agebat, egregios operum ſuorum labores nugaci mendaciorum obiectu penſari vociferans. Adeoq; regem reſponſi ſui libertate permouerat, vt tentus ab eo eſſet, niſi milites operam ſuam in eius captionem negaſſent, quorum fauor impenſius ipſum quàm regem excoleret. Quam iniuriam poſtea apud Iutiam querimonia proſecutus, graues regi inimicitias peperit. Inde cum Kanuto magna totius Iutiæ claſſe in Sialandiam receſſit, non quod bellum regi inferre proponeret, ſed vt nouis conditionibus tutiorem eius circa ſe fidem efficeret. Quo apud Sundby maritimum vicum cum armatis obuio, diali colloquio de concordia actum. Compoſita pace, rex concubia nocte Roſkildiam reuertit. Interea Sclauorum expeditio ad orientales Sialandiæ partes inuſitatæ multitudinis claſſe nunciatur ingreſſa. Qui quoniam rus ante vaſtarent, cuncta prædæ vacua prætergreſſi, inopinatam aggredi Roſkildiam ſtatuunt. Igitur ne fumi indicio proderentur, incendio penitus abſtinebant. Accedebat eorum audaciæ, quod ex ſpeculatoribus ocioſam vrbem regemq; procul ex ea profectum acceperant. Quo nuncio inſtructi, intacto rure, eam contentius petebant. Ex quibus nonnulli pernicioribus equis ſuburbium prope liminaq; ciuitatis acceſſerant. Rex ipſe dum nocturnam vigiliam ſopore auidius redimit, ſero paratu tanti diſcriminis nuncium excipiebat. Primus ex Danis Radulphus equeſtris militiæ apprime peritus, promptioris equi beneficio in hoſtem occurrit. Sed cum ſolitarius eſſet, nunc euitando hoſtes, nunc perſequendo, opem ab exercitio mutuatus eſt. Quoties inculta camporum offenderat, ob armaturæ molem ægrius fugam conficiebat. Nam Sclauos ſimili pondere vacuos liberior equorum pernicitas adiuuabat. Quo viſo, plus viribus equi quàm velocitati confiſus, curſum ad cultiores agros de induſtria dirigere cœpit. Igitur caballi quibus vires parum ſuppeterent, officiente ſtipula præſtantem robore equum imitari non poterant. Ita dum agilitatis equinæ certamen ad virium conamen tranſtulit, ab inſtantibus occupari nequiuit. Quippe denſior ſeges plus vilium iumentorum, quàm robuſti animalis curſum debilitauit. Interrogatus quis eſſet: mercatorem, reſpondit. Percontantibus quaſnam merces haberet: reſpondit, arma quibus equos commutare ſoleret. Sed & eum quem inſideret, hoc ſibi mercimonio obueniſſe ſubiunxit. Regem quoq; Roſkildiæ eſſe, rogatus aſſeruit. Illis eum neceſſarios ſuos allocuturum vrbe nuper exceſſiſſe dicentibus, egreſſum quidem eum ſed reuerſum aſtruxit. Quod quia cum ſpeculatorum affirmatione non conueniebat, in medacijs duxerunt. Idcirco autem Radulphus circa regis ſtatum veris vtendum putauit, quod ſi qua à ſe veraciter ederentur, contrario modo hoſtibus credidit exiſtimanda. Interea regij equites, vt quiſque apparatu velox ac manu ſtrenuus erat, Radulpho admixti in vnam cohortem ſe receperant, incurſaturi ilico hoſtem, ni Radulphus intuitu paucitatis auxilia ſociorum expectanda duxiſſet. Tantam eis victoriæ certitudinem aſſidua bellorum felicitas ſuggerebat. Contrà Sclaui reuocatos à præda ſocios in aciem corrogant. Radulphus vbi primum excitati pulueris indicio regem affore deprehendit, ſuperuenientis auxilij fiducia prælium facit. Cedentibus Sclauis cum pedites necarentur, equites ſeorſum in globum contracti, prius velut ex conſulto terga vertebant, mox imminentem à tergo regem, equitum eius paucitate conſpecta, conuerſi fugarunt. Quos Radulphus intermiſſa peditum ſtrage cum ſuis adortus, in veram & præcipitem fugam coëgit. Sed ab ijſdem longius inſectandis, quod equis præſtarent reuocatus, admixta regia cohorte, ferrum ad pedites retulit. Fugientibus tanta adhuc prædandi cupiditas inerat, vt occiſorum arietum corporibus pellem curſitando detraherent. Quantum in illorum pectoribus auaritiæ clauſum putemus, qui inter extrema pericula, abiectis armis, ignobilem prædam & vilia fugæ impedimenta quo melius ſibi conſulerent, deſerere paſſi non ſunt? Pauciſſimi ex eis in littus elapſi, per lubricum pelagi nando nauigia petiuerunt. Nonnulli fuga cupidius

inita, cæco metu vndas aggressi passim exanimati sunt, præcipitato in mare spiritu, quem ab hoste seruare studuerant. Interea Sclauorum equites velut ex abdito prouolantes, victoriam regi è manibus per insidias eripere conabantur. Igitur Dani, dum ad finem pugnæ peruentum autumant, prælium iterant. Quorum virtute victi Sclaui, fuga auidius sumpta adeò salutem suam ferro subtrahere gestiebant, vt per maritimæ rupis ardua, semet cum equis effœminato pauore præcipitantes, vitam finirent, & inter scopulos spiritum deformi corporum ruina deponerent, quem audacter in acie profundere dubitassent. Abducendis igitur nauigijs ob ingentem nautarum stragem, ægre remigia suppetebant. Iisdem temporibus effusis piraticæ habenis à Wandalicis finibus Eidoram vsque, omnes per orientem vici incolis vidui, ruraq; culturæ expertia iacuere. Sialandia ab ortu & meridie, marcida situ vastitate torpebat. Siquidem agrestium inops patriæ loco prædonibus fuit. Fioniæ nihil residuum præter paucos incolas piratica fecerat. Falstria spacio quàm virtute contractior, incolarum fortitudine paruitatis damna pensabat. Quippe tributarij ignara iugi, aut pacto hostem, aut viribus submouebat. At Lalandia tametsi Falstriæ granditate præstaret, pacem tamen pensione petebat. Cætera vastitas occuparat. Itaq; non armis, non vrbibus confisum, anfractus equorum, quò minus piratas admitterent, prælongis palis ac sudibus exstruebantur. Aduertens igitur rex nutantes patriæ res, & iam penè collapsas, se proprijs viribus à piratica vindicare nequire, Henrici ducis cuius insignes ea tempestate vires fuere, aduersum Sclauos opem pecunijs promerendam putauit. Cui mille quingentas argenti libras mercedis nomine pollicitus, publica collatione summam expleuit. At Henricus cuius vænalis magis quàm vtilis amicitia esset, pecuniam assecutus, vel quia noluit, vel quia nequiuit, parum stabiliter in promisso se gessit. Ita rex non accepta pace, dum patriæ rebus consulere quærit, miseriam eius dedecore cumulauit. Quæ res aduersum eum popularium iram acrius destrinxit, deforme ducentium pacem censu non armis exquiri, communemq; patriam regis vitio esse deceptam. Igitur Sueno desperatis malorum remedijs, à piraticis periculis propulsandis ad ciues vsque cauendos curam retorsit. Renouatisq; suspicionibus, Waldemarum occupare animum intendit, tanquam altero sibi onustorum sublato, facilius reliquum aggressurus. Quod insidijs quàm bello commodius gerendum ratus, perinde ac coniugis dotem exquisiturus ad socerum iter instaurat, interq; delectos comites Waldemarum profectionis sequacem adsciscit: quia domi eum tutò relicturus non videbatur, in carcerem Conrado seruandum tradere cupiens. Quem dolum Waldemarus amicorum sibi complurium literis indicatum, venienti Slesuicum regi, memoratis quæ pro eo fideliter ac strenue gesserat, cum exprobratione perfidiæ palàm obiecit. Neganti in eum à se crudeliter esse consultum, susceptos apices abscisis indicum vocabulis ostendit. Meminisse deinde monet, vt præcipuam ei bellicorum manum conciliauerit, vt corpore aduerso diras pro eo plagas acceperit, vt secum maiorē semper victoriæ partem traxerit, egregijsq; meritis suis gratiæ loco dolum ac fallaciam erogari conqueritur. Comitatum nihilominus pollicetur, præfatus scituru eum peracta fraude, nequitiam sibi non astum effectui fuisse. Contrà Sueno suspicionem leuare summa dissimulatione tentabat. Neque enim ad deponendam perfidiam, tantæ fidei meritis adduci poterat. Irreuocabilis itaque propositi pertinacia, Stadium aduectus, à præsule Bremorum Hartuico domo suscipitur. A quo cum vlterioris viæ ducem exposceret, non impetrato, Waldemarum quem ei perfamiliarem sciebat, preces iterare compellit. Quo pontifex clàm vocato regij consilij commentum aperit, confessus se de industria negare, quod ei pernicioſum aduerteret. Vt autem regi satisfacere videretur, dissimulata potestate, ductum ab Henrico, quod potentia ac dignitate præstaret, commonet expetendum, verum has preces suo Suenonisq;, & Waldemari nuncio committendas. Quibus Henricus auditis cum & regis dolum calleret, & Waldemaro consulere vellet, quod à socero commodius accipere posset, frustra Suenonem à se flagitare respondit. Abductum deinde Waldemari legatum, quam noxia mit-

Pauoris, vt homines timidiores minus malum fugientes in maius incidant, efficientis exemplum.

tenti

tenti precetur, edocet, ipsumq; ni redeat, apud Conradum extrema passurum denunciat. Igitur Suenonis nuncius collegarum vtroque dimisso, Conradum accedens, nunciat suspectos regem habere propinquos, quos pridem inimicitias exercentes, connubij recentis affinitas concordes effecerit. E quibus vnum ei fraudulenter accitum in comitatum cessisse, quem apud ipsum nouarum rerum metu, vinctum haberi cupiat. Præterea procedendi gratia, profectionis ei debere præstari ductorem. Quærente Conrado quo pacto regem æmulus comitaretur, fidem eius secutum asseruit. Tunc Conradus Suenonis consilium execratus, dedecere senem se, inquit, quod iuuenis fugisset, admittere. Nempe deforme vetulo esse, de integritatis duce perfidiæ fautorem euadere, notamq; quam eatenus cauerit, sub vltimum tempus sibi conscisce re. Malle igitur se generum, filiamq; cum nepote ex ea suscepto cruci subfixos videre, quàm fidei & synceritatis opinionem totannis seruatam, extremæ ætatis infamia corrumpere, alienæq; fraudis proposito impijssimi fauoris prosequi nutrimento. Tum demum affuturum se, subsidiaq; laturum, si gener omissa fraude, palàm quos metuat, impetat. Ad huius vocis nuncium, Sueno rubore perfusus, vlterioris viæ tutatore negato, in regnum reuertit. Breui morarum processu, Kanuto & Waldemaro Wibergi moram habentibus, occulto traiectu in Fioniam è Sialandia accessit, confisus inopinatos prendi posse. Detecto dolo mandat vtrique, allocutum se eos non occupatum venisse: suspiciones deponant quas falsò conceperint. Illi indicijs dolum præcurrentibus, eius de se propositum speculati, nihilq; iam bonæ spei ex regis promissu capientes, Iutorum suffragijs, regium sibi nomen consciscunt. Tunc rex apud Othenas (nam eò fortè loci diuerterat) contractis in regiam militibus, nunc singulos, nunc vniuersos arctius percontari cœpit, qua fide præsens bellum ingredi vellent. Respondentibus alacriter, non contentus simplicitate promissi, sacramento fidem efflagitat. Illatis sacris, Suno siue vetusta Waldemari charitate, siue priuato iniuriarum dolore permotus, regia solus excedit. Emissi qui eum reuocarent, causam tam subitæ egressionis efflagitant. Rogatus, regredi ob paternæ villæ ereptionem conqueritur. Rex restitutionem promittit. Suno, seram hanc iusticiam inquiens, in aduersis vsurum se negat, quo in prosperis fraudatus fuerit. Quam ob rem potioris partis amplexu solitariam transitionem non veritus, ab iniurioso sibi rege salutari consilio desciuit. Itaque iustum defectionis titulum secutus, Waldemarum auitæ paternæq; familiaritatis respectu transfugio petiuit. Cumq; Sueno roborata suorum fide in Sialandiam redijsset, consequenter ab æmulis Iutorum classem mutuatis, impetitur. Qui tunc fortè Roskyldiæ situs, Eskillum sæpe dictum antistitem, præsidiaq; Scanorum accersit. Quibus præsentatis, Petrum cui pater Thorstanus erat, omnium consiliorum suorum arbitrum, qualiter rebus consulendum esset, interrogat. Is, consultantem olim regem qualiter tutò regnare posset, iussisse fertur, vt aut equestrem plebeiumq; ordinem, quo se tutius aduersum æmulos gereret, beneficijs impensioribus coleret, aut ab ijs saltem ad propinquos placendi studium transferret, eosq;, sola contentus specie, re uera reges existere pateretur. Si neutrum egisset, haud dubiũ quin breuem regni vsum habiturus esset, edocuit. Rex vero neque salubritatem consilij, neque sapientiam responsi debita animi sententia prosecutus, vtilissimos monitus deliramentorum loco habuit. Enimuero obfusum iracundia animum, salutaris æstimatio subire nequiuit. Concepti itaq; furoris impatiens, quoad vnum sibi scutum suppeteret, id se Petro oppositurum iurauit. Tum Petrus, meum semper, inquit, pro te clypeum gessi, sed vereor ne citò cunctis scutorum tuorum copijs opus habiturus sis. Quod rex auarè dictum existimans, percontatur num adhuc satur esset. Respondit, saturum se, sed vereri ne satietatem parum salubris digeries sequeretur. Tunc quoque quid facto opus esset rogatus, in Scaniam migrandum edocet: tutiores illic vires, in Sialandia pauciores amicos quàm hostes esse. Præterea Iutos haud facile insecuturos, forensis adhuc pugnæ memoria trepidos. Sinautem in Scaniam præuenerint, gentis aduersum eum auxilia contracturos: quam si petere supersedisset, ad æmulos defecturam non dubitaret.

Integritatis cultorem, perfidum fieri, res turpissima.

Quem Sueno secus æstimaturum inquit, nisi Waldemarum, cuius concubinarij filij pædagogum ageret, penatibus suis parsurum speraret. Aliorum vero bonis si patriam hosti cessissent, nullum peculiaris amicitiæ beneficium præsidio futurũ. Ita alieno consilio spreto, proprium amplexatus, Roskyldiæ hostem opperiri cõstituit. Rarescentibus alimentis, regios vicos complures comparandi sumptus gratia venditabat. Tandem multi ruris absumpto precio, cum exercitum nimijs impensis onerosum dimissurus videretur, Eskillus defectionem prouidens, artem excogitauit, qua periculum ad fructum conuerteret. Primum enim ampla defectionis præmia ab aduersarijs occultè paciscitur. Mox cum conterraneis regem accedens, alimentorum inopiam queritur: dimittat precatur, quos pascere nequeat. Præsertim pietatis ac necessitudinis iura violaturos, si in ciues ac propinquos ex aduerso contractos pugnatum issent. His dictis tanquam defensionis ratione reddita, cum cohorte Scanica regia excedit, subiungente Suenone, dignũ eum qui defectionis pœnas capite lueret. Sed hunc regis furorem senior arbitrorum sententia propulit, imminentis belli auspicia scelere, & sacrilegio prohibentium esse sumenda. Iamq; rex maiore exercitus parte delapsa, fugam meditabundus cum reliquijs copiarum, Falstriam versus contentius pergit, ignorantibus etiam arbitris quo proposito tam remotas ab vrbe partes accederet. Quem vbi de fuga cogitare compertum milites habuere, ne sine prælio vinceretur orantes, victoriam si redeat spondent. Præterea scire iubent, eos sibi milites esse qui crebrò parua manu ingentes hostium copias superauerint, neq; paucitatem vereri debere, quam toties in suis victricem aspexerit. Quinetiam vltimi dedecoris esse fortunam suam antè fugæ quàm bello permittere, eosq; qui vinci possent vltro victores efficere, alieno metu quàm suis viribus fortiores. Monent deinde ne ex strenuo rege timidus militum desertor euadat, ne vnius fugæ dedecore tot victorias suas maculare sustineat. Cuius perseuerantiam à proposito reflectere nequeuntes, amaris eum conuicijs insequuntur. Nec deformitatem ei peregrinationis exprobrasse contenti, etiam contumeliæ damnationem iunxerunt. Deinde mutua semet adhortatione firmantes, bello hostibus occurrere statuunt. Fore enim vt eorum multitudo passim ac dissolute instandi cupiditate procurrens, sparsum militiæ genus sequendo, facile à paucis intercipi posset. Præterea arma sibi & equos suppetere, nihilq; tot viris in vnius meticulosi ducis absentia nocuisse fortunam. Ita sibi fortitudinis robur ingenerantes, regij dedecoris notam militari spiritu redimere gestiebant. Diu itaq; expectato hoste, nec viso, Petrus soluendum agmen, salutiq; consulendum admonuit, perquàm stultum affirmans prælium absq; duce capessi. Quippe Iuti Suenonem de industria cessisse rati, insidiarum metu tardius incedendum duxerunt. Tunc Sialandenses quod indigenæ essent, cæteros commilitonum ductu ac commeatibus prosequebantur, nec cuiquam ex tanto grege pernicios us ad patriam reditus extitit. Sed eorum postmodum pleriq; paci transitio fuit. Nam & fides regibus data, & amicitia pariter obsequio quæsita, Vulf & Thorbiornus spectatæ in regem fidei, cum hoc veniæ genus in probris ducerent, domi suæ comprehensi Suerconiq; regi in custodiam traditi, exilio capita quàm hosti dedere maluerunt. Horum siquidem excellentis constantiæ animus, plus gloriæ in vinculis quàm libertatis in defectione constituit. At Sueno continuato apud socerum exilio triennium emensus, ipso defuncto, Saxonum satrapæ Henrico datis vadibus pecuniam pollicetur ingentem, si regno per eum restitui posset. Pactus præmium dux, cum ad aggerem quam Danorum structuram appellant, summis viribus peruenisset, transitu per eum qui portæ præerat, pecunia corruptum, obtento, obsidione censum à Slesuicensibus extudit. Tunc Hartuicus Bremorum pontifex qui & ipse post Henricum expeditionis autor extiterat, meruisse eum, inquit, qui portam patefecerit, cum pecunia simul quam pactus esset suspendi, quatenus ad horrorem consimilis facti in eodẽ laqueo proditor, & proditionis præmium conspicerentur. Illic Sueno peregrinam classem prædatus, direptas Rutenorum merces stipendij loco militibus erogauit. Quo facto non solum aduenarum in posterum frequentiam deturbauit, sed etiam splendidam

didam mercimonijs vrbem ad tenuem anguſtumq; vicum redegit. Saxones deſertum ab incolis rus nullo reſiſtente permenſi, hoc longius quo licentius ruebant. Nam auſtrales Iuti paucitatis ſuæ metu, in ſeptentrionalem partem quæ multitudine præſtabat elapſi, ſub ſpecie fugæ bellum parabant. Et qui prius auxilia Suenoni ſpoponderant, alienorum viribus ſuccincto ſuccurſum negabant, ne peregrinam manum aduerſum patriam iuuiſſe viderentur. Eadem ferè tempeſtate Suerconem regem, ſeruus qui cubiculo eius præerat, noctu dormientem occiderat. Quod ſcelus diuinitas haud ſegnius quàm iuſtius vlta eſt. Nam paruo poſt tempore, Magnus qui occulta regnandi cupiditate ſeruo peragendi facinoris autor extiterat, in eo conflictu quo filium Suerconis Carolum quem patre ſpoliauerat, regno etiam exuere geſtiebat, ſceleratæ machinationis pœnas morte perſoluit. Ea res Kanutum ſolandæ matris gratia Suetiæ ſuperiora petere coëgit. Interea Waldemarus apud Sialandiam Theutonici motus opinione ſuſcepta, ad Iutiam concitus tendit, remiſſo coæuo atq; collacteo ſuo Abſalone, qui reuertentis à Suetia, Kanuti poſt ſe maturaret aduentum. Tantum autem eius apud Iutos præſentia valuit, vt & fortibus fiduciam afferret, & ignauia torpentes ad bellum pro patria ſuſcipiendum erigeret. Idem Henricum nobilem inter Saxones virum cum quo iampridem affinitatem, data ei in matrimonium cognata, iunxerat, per internuncios occultius obſecrat, vti veteris amicitiæ cauſa ad procedendum ſocios incitet, ducisq; reditum modis omnibus interpellet, breui ſe cum exercitu ſuperuenturum denuncians. Tantam illi fiduciam & numerus militum, & alacritas dabat. Huius tumultus nuncio Kanutus è Suetia reuocatus, cum delectis Sialandiam intrat, extemplo Iutiam petiturus. Sed cum coortæ tempeſtatis magnitudine tranſitu prohiberetur, afflicti mora milites, Waldemarum pacem cum hoſtibus pepigiſſe, idq; ſe per agreſtium quendam recenti nuncio cognouiſſe fingebant. Hoc famæ commento Kanutus audito ingrati animi labem exprobrat, parum honeſtum de eo ſermonem habentibus, qui ſuum communi periculo caput obiecerit: hortaturq; ſi dignis eum laudibus proſequi nolint, ſaltem linguas ab indigna ipſius obtrectatione cohibeant. Heſbernus ſolus Skyalmonis Candidi ex filio nepos idemq; Waldemaro ob pueritiæ & educationis ſocietatem percharus, transfretare ſe velle dixit, quæ apud Iutiam gererentur Kanuto renuntiaturum. Igitur vt ſtrenuam, ita periculoſam nauigationem feliciter emenſus, & quaſi cum ipſa rerum natura luctatus, ſæuientium elementorum rabiem incredibili remorum certamine ſuperauit. Nuntiatur interea Saxonibus totius Iutiæ vires ad Waldemarum coiſſe, tantaq; hoſtes manu eſſe, vt ſine periculo & clade excipi nequeant. Hac dux fama attonitus, Henricum quem apud Waldemarum affinitatis iure magnæ familiaritatis locum habere nouerat, vbi nam regulus eius degeret, ſimulato ioco perquirere inſtitit. Quo latebras eum ac ſolitudines circumſpicere reſpondente, dux eludi ſe ſentiens, à ficta & ludicra ad ſeriam & ſollicitam interrogationem conuertitur. Repugnantem illum commiſſaq; tegere perſeuerantem, per debitam Romano imperio fidem orat, obteſtaturq; vt quæ ab hoſte parari ſciat, indicio præcurrat: neq; quod ciuibus pernicioſum aduertat, ſilentio contegat. Hac Henricus adiuratione permotus, verum eſſe quod rumor docuiſſet, aſſeruit. Bellum ſiquidem præ manibus eſſe, quale prius experti non fuerint, ſuperſtitesq; recordationem eius perpetuo narratu proſecuturos. Formidoloſa cunctis Henrici affirmatio fuit. Idem an hoſtes expectandi eſſent conſultus, omnium animos ad prælium virili exhortatione prouexit. Ita fidem ſuam inter amici preces & ducis imperium partitus, vt nec huius mandatum negligeret, nec illius ſalutem ſilentio falleret. Quam ſententiam publico metu refutante, cupidus reuerſionis exercitus, occaſionem à tempore mutuatus eſt. Ne enim ob piſcium raritatem Veris quod imminebat ſtatum, ſolenneq; ieiunium ſolueret, remeandi ſibi neceſſitatem impoſuit: omniq; ſimulatione competentium alimentorum cauſabatur inopiam, ignauiæ ſtudium religionis nomine colorando. Quod quidem in eorum abſceſſu luce clarius fuit. Iter enim quod ſemeſtri ſpacio venientes confecerant, triduo remenſi ſunt, multa poſt ſe onera mul-

Bellum ſub ſpecie pacis parat.

taq; impedimenta nimia festinationis cupidine relinquentes. Tunc reuersus Hesbernus Kanuti expectatiõem summis ambiguitatis curis implicitam, certo rerum nuntio absoluit. Paruo post tempore vi Sclauica tanta apud Fioniam clades incidit, vt si secundam huic similem accepisset, cultu vacua mãsisset, resq; eius non afflictæ modo, verum etiam perditæ fuissent. At Sueno non contentus semel Saxonibus supplicasse, iteratò ad Henricum decurrit, perq; Sclauos eius ditioni parentes in patriam se peruehi laborabat. Quorum classe translatus, in Fioniam lætis ciuibus ad vrbem Othenas se contulit, salutem suam aduersum innumeros paucorum præsidio defensurus. Sed & pax immunitasq; per Sclauos eius fautoribus promissa. Igitur siue impetrandæ pacis, siue amplectendæ maiestatis intuitu tanta tuendi colendiq; eius apud insulanos cura flagrauit, vt passim ad ipsius præsidium virorum fœminarumque turba concurreret, egregium reputantium aduersum eos qui rerum summa potirentur, infractam regis reparare fortunam. Ad hanc cum Kanuto Waldemarus aduersum Fioniam terra mariq; cæteras regni copias contraxere. Quarum multitudine facile Fionienſium paucitatem oppressissent, nisi Waldemarus miseratione reliquiarum afflictis insulæ rebus parcendum putasset, ne post nouæ cladis calamitatem populi residuum exhauriendo, plus patriæ quàm hosti nocuisse videretur. Itaq; æmulum cum pernicie tolerare quàm debile patriæ membrum quassare satius ratus, expeditionem ad consilium transtulit. Nam autore eo res in colloquium versæ, condictumq; vt Sueno cum adscripta sibi clientela Lalandiam concederet, ibiq; propemodum solitarius degeret, quoad inter ipsum & duces de pace plenius conueniret. Die postero Othenas lauandi gratia repetens, Kanuto ob insidiarum metum balnea communicare non auso, à Suenone eius amicitiam ambiente, elatis obuiam sacris religione processionis excipitur. In Albani deinde ædem ab ipso perducitur, arbitrorum nemine præter Absalonem admisso. Tum Sueno intra sacellum residens, sinistra mihi, inquit, iampridem Waldemare fortuna, cõsortium tuæ familiaritatis inuidit, quanquam & animum bene de te semper gesserim, & à patris tui interfectore mens non solum vltionem exegerit, sed etiam suscepto aduersum patruum bello, salutẽ tuam inter paricidales manus sine cuiusquam præsidio constitutam plenis pietatis armis ab exitio vendicauerit. Post quem Ericus iunior ne parentis mei cui diutius militauerat cœptum excidere pateretur, vt regni, ita tui quoq; curam arripuit. Tertius ego puericiæ tuæ propugnator accessi. Nec mea parcius quàm priorum opera seruatum te scito. Pro capite tuo nondum in ætatem producto, aduersum hunc cuius fidem nunc societatemq; exoscularis, arma suscepi. Quę nisi fœlicius auspicatus fuissem, filio Magni immerens pœnas luisses. Qui nisi me tertium extimescceret, haudquaquam te secundum pateretur. Dum viuo, vitam tibi aduersus eius insidias prorogo. Extinctus vt meum ita tuum quoq; diem finio. Igitur eo tutius ad opem tuam decurrerim, quo plus eam beneficio meo debere cognouerim. Et nunc charitatis tuę fiducia, arbitrum te pacis in me faciendę constituo. Contentus ero qua me cumq; sorte donaueris, tantum apud exteros calamitatis perpessus, vt priuatus aut egens intra patriæ fines degere, quàm exul denuò censeri malim. Arbitror quoq;, vt cum singula iustius æstimaueris, inter probra ducturus sis potius parentis tui interfectore quàm vltore procreatum, excolere. Hæc & similia replicantem Waldemarus interpellare non dubitans, frustra meam, inquit, Kanutiq; concordiam cassare pergis, cum & ipse paternæ culpæ affinis non fuerit, & mihi in eius expiationem olim iusta persoluerit. Quod autem vlterius tibi militare non tuli, non meæ leuitatis, sed tuæ perfidiæ crimen reputa. Nonne olim me peregrinationis tuæ comitem in carcerem socero necandum tradere statuisti? Atqui nisi prauitatem tuam eius honestas vicisset, inter vincula moriturus abieram. Quoties meam, quoties Kanuti salutem per insidias attentatam, fraudulentis consilij nisibus obruere voluisti? Qualiter autem pares ferre poteris, quos milites habere passus non es? Verum ne cum reprehensione propinquum auertere videar, res tuas aduersum caput meum restaurare tentabo, plus miseratione fortunæ tuæ, quàm credulitate

promis-

promiſſionis inductus. Quam humanitatem cum ſcelere & fallacia repenſaueris, ſimplicitatem noſtram artibus tuis circunuentam ne exiſtimes, ſed potius fidem, pietatemque periculis locum dediſſe. Tunc Sueno verbis in ſimulationem compoſitis perfide ſe acturum negare, ſyncera fide eorum amicitiam expetiturum promittere, præſertim cum nec ſibi nec liberis conſulturus videatur. Eo enim ſe morbo eſſe, vt annum vix conficere queat. Præterea ſine filijs eſſe quibus regnum parare debeat. Quid igitur niſi culpam & ignominiam perfidia quæſiturum? Malle itaque quantumuis triſtes fortunas excipere, quam maximo famæ dehoneſtamento ſceleratam ſui memoriam per totum terrarum orbem diſijcere, breueſque regni fructus æterna famæ turpitudine comparare. Dimiſſo Waldemaro Lalandiam ipſe conceſſit: vbi paucitate ſatellitum non contentus, nouos quotidie ſtipatores adſciuit, clientelæque grandibus incrementis auctus colloquij diem hoc tutior quo fortior operiebatur, tanquam pacem cum æmulis ex pari facturus. Tempore prænominato, Kanutus & Waldemarus cum omni Danica nobilitate Lalandiam aduehuntur. Tunc Waldemarus quod Suenonem familiarius frequentare ſoleret, cum paucis ad eum viſitandum contendit, Kanuto fidem perpetua ſuſpicione damnante. Cum quo Sueno Kanutum pariter adeſſe ratus, ſubornat ex ſuis qui iurgantium more rem in ſtrepitum ſeditionemque conuerterent, æmulosque pariter ferro violarent. Quem vbi ſine ſocio venire conſpexit conſilium reuocauit, parum proficuam alterius ſine altero oppreſſionem exiſtimans. Waldemarus cognitis inſidijs ſed diſſimulatis, multa Suenonis adulatione vexatus, cum ab eo die poſtero ad familiare colloquium expeteretur, non aliter annuit, quàm vt vterque ſolitarius adeſſet. Eo nanque corporis habitu erat, vt cum nemine viritim congredi dubitaret. Militibus itaque procul abeſſe iuſſis inuicem collocuti, proximo die concilium aduocant. Tunc Sueno ſiue cognationis fiducia, ſiue tegendæ fraudis ſtudio Kanuto conſentiente, Waldemaro compoſitionis arbitrium tradit, probaturum ſe quæcunque per ipſum taxarentur, affirmans. Igitur Waldemarus ipſis ſibique regij nominis vſurpatione decreta, trifariam totius regni orbem partitus, Iutiæ magnitudinem non minus incolarum multitudine, quàm ſpacijs abundantem in vnam portionem ſecreuit: in altera Sialandiam ac Fioniam, in tertia Scaniam cum attinentibus prouincijs locauit. Cumque penes ipſum vt partitionis, ita optionis quoque poteſtas exiſteret, primam ſibi, ſecundam Suenoni indulſit: priorque Iutiam ipſe delegit. Tunc Sueno cui poſt ipſum optio debebatur, ne medium inter æmulos locum acciperet, Scaniam poposcit. Ita minores inſulæ duorum electione præteritæ, Kanuto ceſſere. Fides pacti ſacramento componitur, vt religionis metu perfidia pelleretur. Deinde manus ad cœlum tenduntur, autor rerum in cautionem vocatur. Nec contenti concordiæ pignus humanis ſtabilire conſilijs, Deum ſimul & pactionis præſidem, & temerationis vltorem efflagitant. Pontifices quoque cenſuræ ſuæ partibus interſertis, ijs qui pactum rupiſſent execrationis ſententiam intentabant. Præterea condictum delatores mutuò prodi debere, ne mendaciorum obſcuritate ſynceritatis habitus corrumperetur, concordiæque quaſſaretur integritas. His ita compoſitis, Kanutus in Sialandiam cuius iam poſſeſſionem adeptus fuerat, Waldemaro comitante præcedit, Suenonem breui ſubſecuturum hoſpitio ſuſcipere cupiens. Quem poſtridie Ryngſtadio ſuſceptum expertus, dum in eius occurſum bonæ fidei ſtudio pergeret, Ryngſtadiæ religionis prælatum cum Radulfo equite Theutonico obuium habuit, affirmantem nunciatum fuiſſe Suenoni, cum armatorum multitudine eum venire. Hauſit ergo cum ſuſpitione cautelam, argumentoque perfidiæ ſumpto concionem quæ eo fortè die magna popularium frequentia gerebatur, declinato Suenone petiuit. Waldemarus vero apud quem fides ſuſpitioni præponderabat, pacti fiducia, Suenonem conſtantius quàm cautius petebat. Stabant milites regis gregatim armati, Kanutum & Waldemarum dummodo pariter affuiſſent necare iuſſi.

Speciosa Suenonis, se de crimenibus sibi obiectis excusantis, oratio.

Comperta alterius abſentia Sueno, reuocatis ſatellitibus multa venientem gratulatione proſequitur. Percunctantem illum cur nullo diſcrimine impendente comitibus veteretur armatis, quid rumoris acceperit, edocet. A quo compluribus perfidiæ probris laceratus, conſilium propoſitumq; ſuum ſumma animi diſſimulatione ſuppreſſit. Roſkildiam deinde, Kanuto cui illic hoſpitalitatis ius erat inuitante, procedens, nocte per ludos & comeſſationem exacta, diluculo Thorberni vicum haud procul vrbe ſitum, cum paucis petiuit, perinde ac paruulæ filiæ quæ illic educabatur cernendæ charitate perductus. Ferunt tunc vxorem Thorberni dixiſſe, mirari ſe eum in hanc conditionis vilitatem adductum, vt quod totum geſ ſerat, eius tertia parte contentus habere ſuſtineat. Quod dictum ab indignatione profectum, Suenoni ingens irritamentum facinoris fuit. Veſpera appetente mittuntur à Kanuto qui cœnatum eum accerſerent. Quos Thorbernus perquam iucunde excipiens, cum ſuper regis mora rogaretur, debilitatem capitis ex balnearum fumo & vapore contractam, tarditatis eius cauſam aſtruxit. Sueno vero cum expectationis ſuæ excuſationem afferre vellet, cum filia admodum paruula infantilibus blandimentis iocatum ſe dixit. Diſcors cauſæ redditio percontatoribus notabilis fuit. Quorum hortatu vrbem repetens, inter conſortes quaſi per ætatem honoratior medio ſedendi loco receptus eſt. Menſis poſt epulas amotis, cum munitioribus poculis paſſim & varie diſcurrentibus conuiuij hilaritas augeretur, calculorum ludum popoſcit, gloriatus ſe eius apprime peritum, quod exul hoc maxime iocunditatis genere delectari conſueuerit. Quod dictum iactantiæ ſimile, re vera acerba calamitatis recordatio fuit. Sed tabulato non ſuppetente, ne luſui quidem vacatum eſt. Inter cætera cantor Germanicus fugam Suenonis, exiliumq; cantilena complexus, varias ei contumelias formatis in carmen conuicijs obiectabat. Quem ob hoc acrius à conuiuis increpitum, Sueno diſſimulata moleſtia fortunas ſuas liberius recinere iubet, perquam libenter ſe poſt ærumnas, malorum meminiſſe confeſſus. Crepuſculo appetente, illatisq; ex more luminibus, miles Suenonis Thetleuus, qui paulo antè conuiuio egreſſus fuerat, reuerſus in regiam, occaſionem edendi facinoris oculis, animoq; tacitus perluſtrabat. Cumq; pauliſper attonito ſtupentiq; ſimilis conſtitiſſet, Kanutus eum propaſſo in terram amiculo ſedere ſibi proximum iubet. Ille tantæ eius dignationi gratias habens, æde excedit, eueſtigioq; regreſſus exiguo capitis motu Suenonem accerſit. Quem ſigni tam latentis ignarum, Kanutus à Thetleuo vocatum edocet. Cui cum Thetleuus exurgenti paululum inſuſurraſſet, quotquot Suenoniarum partium affuere eis in colloquium admixti, collatis in orbem capitibus, nemini remotiorum exaudienda tractabant. Tunc Kanutus perinde ac inſidiarum præſcius, Waldemarum brachijs attrectatum oſculo petiuit. Cauſam blandimenti, cum minime ſic ſe aliàs gerere conſueuerit, ab eo cui oſculum tulerat interrogatus, ſuppreſſit. Interea Sueno relictis in æde militibus, per poſticum in conclaue diuertit, præeunte puero luminis gerulo. Mox in Kanutum & Waldemarum à ſubornatis ferrum diſtringitur. Sed Waldemarus ocyus ſede exiliens, manum amiculo obuolutam nō ſolum applicatis capiti ſuo gladijs obiecit, ſed etiam Thetleuum acrius in ſe ruentem pectoris impulſu humi præcipitauit. Cum quo pariter & ipſe collapſus, femur quam grauiſſime ſauciatus eſt. At vbi primum pedibus ſe excepit, recepti vulneris immemor, dum perruptis obſtantium globis foribus exiliret, quidā obſcuro loco obuius, arrepta cinguli ipſius penſilia, retentare eū conatus, abrupit. Interea alijs (ne noctis errore facinus impediretur) feneſtras reſerantibus, Thetleuus humo reſiliens, Kanutum dexteram gladio obtendentem à fronte confodit. Excipit ſemianimem Abſalon, Waldemarum eſſe ratus, fluidumq; cruore caput manibus ac ſinu complexus, inter ipſos armorum ſtrepitus ſalutem ſuam quàm regis curam negligere præoptabat, reliquijs ſpiritus adhuc in eius pectore palpitantibus. Tandem Kanutum à ſe teneri cultus indicio expertus, permixtum mœrori gaudium habuit. Dobicus vir prima audacia, dum regis necem in autores vindicare conatur, occiditur. Itaq; noctis obſcuro neminem diſcerni patiente, in eos qui valuas propius acceſſiſſent, ſtricto ferro proruebatur:

Conuiuium, quod lætitiæ debuerat eſſe cauſa, miſerādæ cædis præbet occaſionē.

batur: quia tenebrarum acceſſio, hoſtes, an commilitones adeſſent, incertos fecerat. Igitur Conſtantinus qui primo inter Kanuti neceſſarios loco fuerat, ne exitu prohiberetur, Abſalonem in cuius iam gremio complexuq; Kanutus ſpiritum depoſuerat, ad vnum oſtiorum accedere quo tutior ſibi in reliquum procurſus pateret, tacite poſtulabat: parenteq; eo ſeorſum elapſus, ab ijs qui foris verſabantur exceptus, opprimitur. Abſalon vero propior eius petitioni quàm ſuæ ſaluti, Kanuti corpore reuerenter amoto, ſecurus periculorum in armatos progreditur, crebrasq; eorum interrogationes confeſſione ſui nominis abſoluere dignatus non eſt. Itaq; conſtantia taciturnitatis adiutus, ſalutarem inter hoſtes egreſſum habuit. Cui Radulphus medio ponte obuius, tam tetri facinoris non autores modo ſed etiam conſcios execrabatur, ab eius ſe culpa alieniſſimum proteſtatus. Hunc Petrus cognomine Thema magno ſecutus impetu, per ludibrium Abſaloni comminando diſceſſit. At ille ad auſtralem atrij portam, quo Trinitatis ædes ambitur, progreſſus, infeſto ſatellitum occurſu præripitur. Cuius caput gladiorum multitudine circunfuſum, quidam fortè cum alijs ſuperueniens, non ſolum ferri, corporisq; ſui pio vindicauit obiectu, ſed etiam quendam à pectore eum confodere geſtientem pœnas ſibi ſi non deſiſteret daturum minatus, ſalutare ei diffugium conciliauit. Abſalon quoq; tempeſtiua corporis declinatione percuſſorem euitans, tunica qua latus eius proxime tegebatur, telum excepit. Ita ne Danicæ reparationis ſpes penitus elaberetur, futurum patriæ columen fortuna ſeruauit. Inde digreſſus cum in Ramſo vicum nocturno itinere peruenisſet, attonitum ſolitario eius aduentu villicum, nunciatis quæ Roſkyldiæ inciderant, penè exanimem reddidit. A quo vegetiore equo donatus primum ſororem, quam Petrus quidam in matrimonio habebat, deinde matrem petiuit. Quæ cum ex eo Kanutum occiſum, Waldemarum vero grauiter affectum cognoſſet, plus mœroris ex eorum clade, quàm ex filij incolumitate voluptatis contraxit. Interea Waldemarus duos duntaxat è ſuis caſu comites aſſecutus, greſſum femoris debilitate negatum, vitæ cupiditate prouexit. Igitur incedendi vſum vulnere debilitatum à neceſſitatis violentia mutuatus eſt. Adeò corporis dolores, animi metus extenuat. Deinde ſequacium ope equo impoſitus, in eum fortè vicum caſu ductante peruenit, ad quem fortunæ eius nuncius Abſalon paulò antè præceſſerat. Quem poſtquam ex villico recenter ad matrem diſceſſiſſe cognouit, præuijs locorum peritis, poſt eum contendit. Adeò corpoream ipſius debilitatem, duratrix infirmitatis humanæ neceſſitas confortabat. Illic procurato vulnere, femoreq; faſcia circumligato, noctis reliquias exegit. Diluculo Sueno collectis ciuibus, nocturnis æmulorum inſidijs appetitum ſe queri, amiculum quod de induſtria confoderat, oſtendere, Kanutum & Waldemarum hoſpitalitatis violatores, periuros, latrones, parricidas appellare, gratias Deo replicare, quod amborum facinus alterius nece propulerit, auxilia aduerſum ſuperſtitem implorare. Aſſertis eius, quia fraus in propatulo fuerat, fides delata non eſt. Deinde ne Waldemaro maritimæ fugę locus ſuppeteret, totius inſulæ nauigijs confodi iuſſis, ſolitudines quoq; quibus eum irrepſiſſe crediderat, exquiſitius indagandas curabat. Igitur Waldemarus tribus duntaxat comitibus fretus, non per abdita nemorum, aut inacceſſa paludum, ſed per tenues admodum ſaltus errabat, tutiora ratus loca, quæ minus hoſti ſuſpecta fuiſſent. Heſbernus quoq; cum aliquot procul in planiciem mittitur, qui ſe patentioribus interdum campis, Waldemarum ſimulaturus, oſtenderet. Complures quoq; duce eo varijs in locis multitudinem ſuam, regiæ tranſitionis ſimulatione conſpiciendã præbebant. Cumq; demũ lutiam accedi placuiſſet, familiaris ei faber nauigium, quo in eam traijceretur reficere iuſſus, metuens ne Suenoni pœnas daret, operam ſuam ſub ſpecie coactionis extorquendam perdocuit. Igitur Heſbernus officinã eius agreſtium frequentia completam ingreſſus, imprimis eum fictæ precis commento ſolicitat. Refectionem abnuenti, injicit manus, nexumq; deducit: abſtractus artificiũ præbuit. Itaq; ſub iniuriæ ſimulatione & amico vtiliter paruit, & apud Suenonem ſibi impunitatẽ ſalubriter conciliauit. Tunc armamentis, commeatibusq; per Heſbernum exhibitis, Waldemarus no-

Suenoni ſe de cæde commiſſa purganti, fides non adhibetur.

ctu cum ſuis nauigationem orſus, coorta ſubitò tempeſtate, inuſitatam maris ſæuitiam expertus eſt. Ipſis quoq; militibus immanium vndarum aſpergine proluitis, tantum algoris inceſſit, vt ſingulis corporis partibus hebetatis, ne velum quidem ad nauigationem commodum circumferre potuerint. Præterea tanta nimbi vis antennam impulit, vt inter vndas effracta decideret, nec minus imbrium quàm fluctuum moles nauigium onerabat. Gubernator omnia freto permittens, abiecto regimine quo proram deflecteret ignarus, ſolum venti imperium expectabat. Aër quoque crebris internitentium fulminum ignibus micans, ingenti nubium fragore concrepuit. Tandem per ſummam nimborum rabiem inſulæ cuidam errore nauigationis appulſi, detractum vndis nauigium, quod ancora retentare nequiret, circunſtantium arborum ramis in foros detortis, quò minus lapſum collideretur, tenacius aſtrinxerunt. Eadem nox Sclauos ad Hallandiam mille quingentarum nauium claſſe appulſos, naufragio obruit. E quibus quotquot viui in littus euaſerant, ferro periclitati ſunt. Diluculo Waldemarus adminiſtrato per Heſbernum viatico, militibus abunde firmatis, ſecundo mari in Iutiam peruenit. Vibergum progreſſus, Suenonisq; dolum pro concione cauſatus, omnium animos ad mœſtitiam lachrymoſa fortunæ ſuæ narratione deflexit. Cuius aſſertioni non minus miſerationis quàm fidei, vulneris præſentia conciliauit. Itaque neſcias miſerior plaga an felicior fuerit. At Sueno fugæ eius opinione accepta, refectis nauibus quas antè quaſſauerat, expeditionem in Iutiam parat.

Mulierum virile facinus.

Tunc mater Abſalonis, & ſoror egregium virilis induſtriæ facinus edidere. Siquidem vt regis tranſitum morarentur, nauigia quibus traijcere deſtinabat, nocturno tempore diſſecanda curarunt. Quarum Sueno refectioni diutius immoratus, cum redintegratis omnibus in Fioniam peruenisſet, Waldemarus ocyus æmulo occurrendum exiſtimans, primis eum Iutiæ liminibus prohibere conſtituit. Quo cognito in Sialandiam ſe contulit, eiusq; & Scaniæ populo per edictum contracto, priuatis armis publica miſcet auxilia. Interea Waldemarus incertum belli ſuſpicatus euentum, repetito Vibergo, nuptias agit, tum vt eos facilius ſibi qui Kanuto militauerant adſciſceret, tum ne pulcherrimæ ſponſæ caſtitatem hoſtibus fortè delibandam ſeruaret. Deinde expeditione coire iuſſa Randruſium petit, Sialandiam, quod Suenoni receptaculo eſſet, armis attentare conſtituens. Ex Suenonis quoq; militia complures ob immane eum ſcelus peroſi, Waldemaro ſe iungunt, tanti facinoris reatum, auxiliorum fomentis proſequi nefas ducentibus. At Sueno qui bellum inferre quam excipere ſpecioſius duceret, magnitudinem animi ſui intra vnius inſulæ fines concludere nequiens, nauigijs è Fionia, Sialandiaq; petitis, ad Iutiam appulit, ijſdemq; intra Dyurſo fluminis alueum recipi iuſſis, cum promptiſſimis equitum ſub dubia oppidanorum fide Vibergum conceſſit. Quod cum Waldemarus per transfugarum quendam expertus fuiſſet, auxiliaribus qua poterat celeritate contractis, ad exturbandam hoſtium claſſem, Saxonem & Iuriſium cum naualibus copijs mittit. Quorum autoritatibus moti Sialandenſes, nauigatione reflexa, plus propinquorum monitis quàm regis imperio tribuendum putarunt, eiusq; deſertores, quàm horum hoſtes exiſtere maluerunt. Verum Fionenſes apud quos plus regis quàm priuatorum reſpectus valuit, ſpreti monitus pœnas vapulando luere, pulſatique dedere fugam, quam ſoſpites abnuerunt. Nec quicquam Sueno malorum ægrius tulit. Poſt hæc, Heſbernus hoſtium conſilia cognoſcere iuſſus, cum prope Wibergum ſuſceptæ ſpeculationis gratia peruenisſet, Suenonis Randruſium petentis obuium contemplatur exercitum. Igitur ne res diligentius quam fortius explorare videretur, præcedentium quoſdam effuſius obequitantes, haſta validius appetitos militari virtute proſtrauit. Quorum equos potitus comitum ope, per deuium abſtrahendos curauit. Tunc Suenoniani propinquas hoſtium copias arbitrantes, armatura propere ſumpta, lectiſſimisq; equorum conſcenſis bello ſe præparant. At poſtquam inæqualia loca Parmenſis proſpectum planicies dedit, ſolum contuentes Heſbernum, poſt eum promptiſſimos dirigunt. Quibus ille volucri fiſus equo, tanto ſemet interuallo ſurripuit, vt interdū quieti deſcendendo conſuleret.

Cumq;

Eesti Vabariigi Raamatukogu Toompea 1088.

Cumq; insecutores frustra se eius occupatione inhiasse conspicerent, alloquium ipsius sub fidei promissione eminus vociferando deposcunt. Negat eorum se colloquia susceperturum Hesbernus, quod lubrica fide serotinis esse temporibus consueuerint, facetissime eis perfidiam quam recenter Roskyldiæ patrarant obiectans. Ex quibus Petrum duntaxat, cognomine Thema, antiquæ societatis fiducia accepta fide, propius accedere passus, cum super Waldemaro pluribus rogaretur, reliqui inter se equis de industria concurrentes, insidias ei sub exercitationis simulatione tendebant. Tunc Petrum Hesbernus quid animi socijs esset aduertere postulat. Ille fidem suam commilitonum perfidia quassandam veritus, obuersa hasta confixurum se, qui in Hesbernum irruisset, exclamat. Quorum fraudem Hesbernus per angustos diuerticuli recessus, præpropere pontis cuiusdam transitu præcucurrit, intentasq; lateri hastas cuspidis suæ frustrabatur obiectu. Quumq; eos identidem dignis perfidiæ conuicijs affeciisset, procul inde discedens obuios fortè commilitones de hostium insecutione edoctos, propinquis viæ fruticibus occultauit, ac protinus ipse equo dissiluit. Qui vero in eius captionem intenderant, nondum hac spe deposita, cursum dirigere perseverabant. Quibus ille procul conspectis equum insilit, eiusq; latera crebris de industria verberibus attundendo, ficto cursum labore confecit. Igitur insequentes conceptam intercipiendi eius spem maiori conamine prosequentes, acrius equos vrgere cœperunt, haud dubie ab hostibus capiendi, nisi insidiantium quidam expectationis impatiens, per nimiam occursandi cupidinem ocyus latebris erupisset. Itaq; ex vnius procursu datum sibi insidiarum indicium existimantes, ad socios impigre relabebantur, aliena impatientia quàm sua prouidentia feliciores. Ita Hesbernus nisi sociorum imprudentia vetuisset, calliditate perfidiam vltus fuisset. Per quem Waldemarus hostes imminere comperiens, nondum se committendi belli viribus abundare confisus, iunctum vico pontem, ne eis peruius foret, partim discindi iubet. Itaque & tutum militi munimentum, & opportunum contrahendis viribus spatium ab amne mutuatus est. Cumq; nec Sueno ni transeundi facultas, nec Waldemaro obuiandi voluntas suppeteret, promptissimi tamen iuuenum reliquijs pontis præter imperium occupatis, iaculis missilibusq; certantes magna fortitudinis experimenta dedere. Quippe quia congressionem locus negabat, ad aliquanto mitius pugnæ genus iuuenilium animorum lasciuia decurrebat. Waldemarus tandem gerendi fiduciam belli quotidianis copiarum incrementis adeptus, amne aliàs superato hostem appetere statuit. Nocte vero quam belli insecutus est dies, frænatos stare equos, pastuq; penitus arceri præcepit, ne satietate graues, cursu hebetes forent. At Sueno castris sata complexus ex ipsa agrorum vbertate abunde equos refici iubet, ignarus stomachi sarcinam cursui impedimento futuram. Cumq; Waldemarus exercitu in aciem digesto procederet, cohortem armis signisq; fulgentẽ è latere conspicatur. Quam primo hostilem ratus, ex speculatoribus cognoscit socios esse quos metuat. Quibus in aciem receptis fidentius in hostem tendebat. Adeò quippe copijs creuerat, vt ne à decima quidem exercitus parte, signorum ordines prospici potuissent. Tunc quibus à Suenone commissa speculatio fuerat reuersi immodicas hostium vires edocent, fatigandam ante multitudinem, quàm sustinendam esse. Fore enim vt multum ex eius numero copijsq; dies detraheret. Cuius consilij salubritatem Sueno admodum gratam Achonis cuiusdam Christiarno procreati temeritas repulit. Siquidem aut pugnaturum regem, aut à militibus deserendum esse dicebat: quippe qui ita sibi consulere nolint, vt rem familiarem proprio spiritu chariorem hosti impune potiendam relinquere cupiant. Ad hæc memorem esse iubet, quoties exigua manus ingens victoriæ decus acceperit. Itaq; si animos suorũ non numerum metiri velit, plus fiduciæ ex eorum paucitate, quàm metus ex hostiũ multitudine concipiendum fuisse. Præterea aciem contemni potius quàm metui debere, quam nõ militum robur, sed vulgus inerme construxerit. Hac exhortatione regem salutari consilio depulsum, pernicioſe parere coẽgit. Ex parte Waldemari iuuentus ferrugineis succincta tunicis, dextrũ aciei latus confecerat. Quam Sue-

Sueno salutari cõsilio repudiato, sequitur id quod euentus ostendit esse pessimum.

nonici ob eximiam ferri similitudinem vario loricarum genere excultam rati, in eam cohortem exercitus sui cuneum destrinxerunt. At vbi specie deceptos se vident, ab his ad regiam phalangem insultum transferunt. Illud quoq; memoratu dignum, quod Waldemari exercitum tam crebri coruorum greges interuolasse produntur, vt complures se erectis militum hastis feriendos obijcerent. Medius acies interequitabat cantor, qui parricidalem Suenonis perfidiam famoso carmine prosequendo, Waldemari milites per summam vindictæ exhortationem in bellum accenderet. Congressuris sepes frugum ambitrix obstabat, quam neutro equitatu propter palorũ eminentia acumina transcendere præsumente, Waldemari pedites disijcere aggressi, pugnæ principium ediderunt. Qua Suenonici lelui negocio victi, ægre fugam moliebantur. Quippe equi nocturno adhuc pabulo onusti perseueranter cursum intendere non valebant, quod saturitatis moles citam eis lassitudinem ingerebat. Primipilus ipse & equo in hostem conuersus, spar sosq; fuga socios ad pugnam capessendam hortatus, tandem circunspectis nusquam auxilijs, signum humi defixum sinistra complexus, dextra propius accedentes obtruncat. Ad vltimum memorabili pugna edita, circumfusæ multitudinis viribus lacessitus obruitur. Sueno cum paucis ad palustria fortè fuga perueniens, cum luto desidente equi vestigia mergerentur, pedes iter arripere conabatur. Sed ne sic quidem cœno onus ferente, etiam arma deposuit. Postremo quanquam suorum humeris anniteretur, suprema victus lassitudine comitibus aufugere iussis, in arboris vnius radice consedit. Adeò quippe eum vires defecerant, vt ne gradum quidem alieno subnixum adminiculo proferre potuerit. A quo quidam suorum per ignauiam discedere omni fato tristius ratus, ab agrestibus indagandæ prædæ gratia superuenientibus, ante pedes regis appetitus, occubuit. A quibus & Sueno captus, cum quis esset interrogaretur, regis scribam profitebatur. Agnitus tandem, equoq; ob reuerentiam maiestatis impositus, siue metus, siue spei instinctu Waldemaro se præsentari poscebat. Hæc orantis caput agrestium quidam subitò aduolans securi præcidit. Corpus eius nullis funeris impensis honoratum, ignobili sepulturæ popularium cura mandauit. Vluonem bello captum, Wibergiq; custodiæ traditum, Hesberno duntaxat quò minus puniretur obstante, capitali supplicio Kanuti milites affecere, sanguine eius ducis sui manibus parentandum putantes. Prænsus quoq; Thetleuus cum ad eculeum abstraheretur, primo culpam apud captores excusare pergebat. Postremo cum sine effectu preces esse cognosceret, adeò effœminate se gessit, vt virum exuere visus ne lachrymis quidem abstineret aut planctu, muliebremq; animum virili corpore clausum confiteretur. Itaq; prius dedecore, deinde morte multatus, geminam interfecti à se principis manibus pœnam persoluit. Magnus vero posterioris Erici ex pellice filius, qui & ipse Suenoniani nominis acrior quàm iustior defensor extiterat, cum captus vltima se passurum arbitraretur, supra vota propitiam victoris clementiam expertus est. Quem Waldemarus sibi à captoribus præsentatum, sub respectu cognationis non spiritu modo, sed etiam honoris ac potestatis incrementis donauit. Cumq; abundè esset impunitatem tribuisse, etiam liberalitatem adiecit: ne districtum vltorem agendo, plus iræ quàm necessitudini indulsisse videretur. Itaq; tametsi iniuriæ supplicium deberetur, propinquitati salus tributa est. Igitur non minus in aduersario affinitatem, quàm in fautoribus fidem atq; obsequium veneratus, hostem amicis præmio æquauit, Burysium etiam vt sanguine sibi, ita animo obsequioq; coniunctum, quod optima ipsius opera aduersum Suenonem vsus fuerat, tum opibus, tum etiam honoribus prosecutus est. Cuius fratrem Kanutum pari munificentia ad præfecturæ fastigium recenter euexerat. Tum vero qui Kanuticæ militiæ comites fuerant nondum hostium cladibus contenti, communiter regem adeunt, vt eos qui Suenoni interficiendi Kanuti consilium dederant proscriptione prosequeretur, orantes. Inter cæteros autem, Thorberni pœnam cupidius expetebant, quanquam is cum apud Randrusij pontem dimicaretur, præsentibus quorum consilio Kanuti cædes commissa fuerat, huic se perfidiæ affinem negabat, autores eius acerrime deuouens.

Muliebris animus, est in virili corpore quãdoq; clausus.

At rex

At rex metuens, ne si tot gentis suæ nobiles exilio multaret, Kanutum, Burysiũq; dubia fide suspectos, proscriptorum aduersum se armis instrueret: veniam sontibus, quàm æmulis opem afferre maluit. Ad vltimum instantium perseuerantia victus, ne à Kanuti interfectoribus remissius vltionem exigere videretur, proscripturum se quos iussissent promisit, nec alio pacto patriæ redditurum, quàm si eorum precibus reuocarentur, quorum sententijs exilio adacti fuissent. Sciebat enim facilem humani animi ab odio ad gratiam deflexum existere, ac plerunque mortales affectus, cum ipsa rerum varietate consentire. Nihil enim in his tam asperum reperiri, quod tempus aut casus lenire non possit. Cæteris eiusdem gregis, vt ijsdem potius bonis militibus vteretur quàm in eos animaduerteret exoratus, ignouit, tantoq; se eius amicitia propiorem exhibuit, quanto ipsos ab illius parricidalis commenti conscientia remotiores agnouit. His ita compositis, vt regni initia strenuis militiæ operibus auspicaretur, patriamq; tot annis piratica laceratam, ac fermè tertia ex parte ad situm & vastitatem vsq; redactam iniuriarum vltione reficeret, publica classe Masnet insulam, bellũ Sclauis facturus, accedit. Vbi dum populum in concione exhortaretur, seniores quibus pro rostris dicendi mos erat, classem tutò processuram negabant. Nam & suos commeatibus defici, & hostes compertum regis habere propositum. Aucupandæ ergo opportunitatis gratia dilatu opus existere, quoad melior gerendæ rei facultas incideret. Cęterum non paruæ temeritatis esse, aduersum prouidos & præmunitos armorum experiri fortunam. Præterea in eam classem Danicum penitus coisse robur, quod si periclitari contingeret, profectò Sclauos vnius victoriæ beneficio, Dania potituros. Nam si res parum ex sententia cederent, nonne patriam penitus in eorum funere perituram? Minime igitur vni prælio tantæ nobilitatis vires impendere debere, dummodo victrices parum gloriæ, victę dedecoris plurimum sint laturæ. In hanc sententiam totius concionis suffragia consonabant. Cuius arbitrio rex expeditionem remittere coactus, proposito suo celerius quàm cupidius cessit. Apud quẽ Absalon in nauem regressum, desidiam eius eludens facetissime cauillatus est. Nam cum solutæ expeditionis causam perquireret, dixissetq; rex, ne tot fortes periculo obiectarentur, Ergo, inquit, cum ignauis & ignobilibus cœptum exequere, aut proficue victor futurus, aut parum damnose vincendus, quum nullo in momento vilium internicio ponenda sit. Ita lepidi ingenij adolescens, indignationem suam ad inertię exprobrationem sub ioci specie conuertit. Quæ tam faceta eius vrbanitas, tacitum regis conuicium fuit. *Faceta vrbanitas, est sæpè tacitum conuicium.* Per eadem tempora Ascero Roskyldensium antistite decedente, super subrogando pontifice plebis à clero suffragia dissidebant. Eadem etiam tempestate diuidua Roskyldensis populi coniuratione, cum mutuis cædibus ciuitas exundaret, aduenis partim cæsis, partim vrbe eiectis, non contenta indigenarum sodalitas alienigenæ coniurationis partes protriuisse, etiam in eum qui regium numisma administrabat, non tantum ædes eius solo æquando, sed etiam bona omnia diripiendo vesaniam suæ consternationis exercuit. Tunc rex ob maiestatis suæ contemptum acrius ciuitati infensus, cum ad excidium eius magna prouincialium manu niteretur, missis ad se deprecandum legatis, ne armis quæ pro patria ferre debuerat aduersum patriam vteretur, incolumitatem vrbi, suscepta pecuniæ pactione donauit. Quam continuò placida mente ingressus, Trinitatis ædi inseruientium penates intrauit, eorũ de creando pontifice suffragia, suo prosecutus assensu. Quanquam autem ei in ecclesia à maioribus condita ac dotata, iuris aliquid competere videretur, nihil se tamen aduersum eam aut illicita affectatione, aut insolita consuetudine præsumpturum dicebat: sacris siquidem legibus cautum nosse, ne clerus peculiare eligendi ius regali imperio obnoxium habeat. Itaq; præsentiam suam haudquaquam impedimento futuram, quò minus electoribus libera suffragiorum arbitria maneant. Tunc clerus religiosam eius iustitiam summis gratiarum actionibus prosecutus, concilio excessit, delectum curiosius habiturus. Cumq; tres spectatæ opinionis viros, quibus quartus ob virtutem Absalon adijciebatur, circumspexissent, vt ex eorum numero potissimus assumeretur, Waldemarus tacita singulorum suffra-

gia in vnius tabulæ ſegregata volumina referri iuſſit, ſyncériorem electionis habitũ ratus, ſi vniuſcuiuſq; voluntas antè manu quàm lingua proderetur: euenitq; vt omniũ ſcripto in vnam coëunte ſententiam, honoris culmen Abſaloni decerneretur. Quimox antiſtes creatus, non minus piratam ſe quàm pontificem geſſit, parui ęſtimans intus religionem tueri, ſi foris eam periclitari pateretur. Neq; enim minus ſacrorum attinet cultui publicæ religionis hoſtes repellere, quàm cerimoniarum tutelæ vacare. Itaq; pontificalibus tectis maiore ex parte ſolo æquatis, quò patriam firmioribus vallaret excubijs, maritimam aſſidue ſtationem peragens, habitationis vſum interdum à ſyluis, frondibusq; mutuari ſolebat. Cuius tam humilis manſio, conuulſos patriæ penates erexit. Eloquentiæ quoq; eius præſidia, Sialandenſes ſalutaria ſenſerunt. Nam domeſticas conciones ad vim & rixam vſque litigioſas, moderatione ſua ad pacatiorem habitum perduxit. Tantaq; facundiæ eius ornamenta fuere, vt eos ſemet ſtoliditatis damnare cogeret, qui eum inertem elinguemq; crediderant. Nec penſi duxit duratos gelu fluctus hybernis ſulcare nauigijs, ne vllum anni tempus ſalutaribus vacaret excubijs, aut inſignis eius erga patriam pietas neceſſitati cedere videretur. Itaq; non minus patriæ parentẽ quàm pontificem egit, militiæ & religionis ſociato fulgore conſpicuus. Prima illi pridie quàm Palmarum ſolenne inſtaret, apud Borlundam vicum aduerſum Sclauos congreſſio extitit. Nunciata nanq; eorum irruptione, clientela duntaxat ſua quæ decem & octo militum numerum explebat, inſtructus, aduerſum quatuor & viginti nauium copias, vt periculoſo, ita felici certamine dimicauit. Compluribus ſiquidem aduerſæ partis equitum fuſis, pedites fermè omnes oppreſſit. Nec in tanto diſcrimine quempiam ex ſuis præter vnum amiſit, pontificatum & militiã pulcherrima victoria auſpicatus. Paucos ex hoſtibus arma ſpoliaq; fugæ liberius ineundæ gratia per ignauiam abiectantes, iuncta campis ſylua ſeruauit. Eodẽ anno ciuitas Aruſyenſis acerrimis piratarum incurſibus afflicta proditur. Tunc quoq; Falſtrenſibus paucitatem ſuam aduerſus infinitam Sclauorũ claſſem publica munitione tuentibus, cum fortè pincerna regis ad alia negocia obeunda in eam prouinciam miſſus communi obſidione premeretur, prouincialium quidam arbitris regis ſegnitiem exprobrando dixiſſe fertur: priores reges in talis, præſentem vero in prima pedum parte calcaribus aſſueuiſſe. Quod dictum pincerna deſidiæ conſcientia prouocatus, maligna animi interpretatione regijs auribus modo quo nõ debuit inculcauit, & quod ſuæ contumeliæ erat, in maieſtatis opprobriũ tranſtulit. Alia quoq; haud leuiori criminatione aduerſum Falſtrenſes aſperatũ regis animum inflammabat, vnius præcipitis linguæ vehementiam vniuerſorum excidio multare cupiens. Siquidem impijſſimam eis proditionis noxam affixit, quaſi conſiliorum omnium aduerſum Sclauiam conceptorum indicia ad eam tranſmittere ſolitis, familiaritatemq; quam interdũ conciliandæ ſibi ſalutis gratia ad hoſtes habebant in crimẽ deducens, obſequia timori potius quàm charitati erogabat, perfidiæq; deputabat. Nam & captiuos à Sclauis ſibi cõmiſſos in cuſtodia aſſeruare, & plerunq; patriæ arma metu potius quàm beneuolentia adducti, lato hoſtibus nuncio præcurrere conſueuerant, ſcilicet vt ſalutem ſuã quam viribus protegere nequibant, ſaltem beneficio munirent. Huius itaq; peſtifera rex exhortatione corruptus, reliquias Falſtrię ferro penitus exhaurire conſtituit, atq; ad id peragendũ, Sialandiæ duntaxat miniſterium ſufficere credidit. Abſalone ergo Orientalibus inſulæ copijs præeſſe iuſſo, Occidentales ipſe ductare ſtatuit, ingentibus paſſim, exiguisq; nauigijs exercitũ traiecturus. At Sialandenſes quod cum Falſtrenſibus diutinas ac vehemẽtes inimicitias geſſerãt, acceptas iniurias communibus armis penſare cupientes, vltrò imperiũ obſequio præcurrebant, lætati regem ſibi aduerſum æmulos belli ducem, autoremq; futurũ. Sed hunc eius errorem ſiniſtris monitis concitatũ, fortunæ violentia felici remedio præcucurrit. Nam cum rex magnis viribus ſuccinctus, iter ingredi vellet, apud Ryngſtadiũ ſubita febri implicitus Abſalonem remiſſis copijs ocyus ad ſe venire iubet. Ita peſtiferæ regis molitioni opportuna valitudinis conquaſſatio remedio fuit. Nec minus Waldemari innocentiæ, quàm inſontis populi ſaluti, miſſo cœlitus languore, conſultũ. Quàm porrò

Vnius præcipitis linguæ gratia, ſæpius vniuerſi periclitantur.

porrò tunc non ſolum deformem, ſed etiam miſerabilem rei Danicæ ſtatum fuiſſe credendum eſt, cum foris hoſtilibus, intus regijs armis appeteretur? Quis vero diuino numine effectum ambigat, ne patriæ Imperator futurus in ipſo penè fulgoris ſui primordio regnum, quod ex hoſtium manibus erepturus erat, obrueret? Quia patriæ habenas tenenti, difficillimo morbo quàm maximo facinori implicari ſatius fuit. Itaq; languore indies acrius graſſante, Abſalon pro ſalute regia votis excubare nõ deſtitit. Ad vltimum veluti remedij deſperatione perfuſus, cum vnicum in virtute diuina auxilium reſtare animaduerteret, ad eam propitiandã ſumma cum examinatione vota pro ægroto nuncupaturus acceſſit: diuinamq; rem ſacerdotali veſte amictus rite peregit, ſacrificia deinde legitimis verbis confecta ad ægrũ detulit, ac penè exanimi delibanda porrexit. Quibus ille refectus, continuò oborto ſudore, bonę valetudinis habitũ recuperauit. Antiſtes tamẽ adhuc de eius conualeſcentia dubius, languore ex moleſtia cõtracto, repente corporis firmitate defici cœpit. Ac niſi cœleſte remediũ affulſiſſet, ſpes tantæ indolis in ipſo ortu ſuo occubuiſſet. Sed nec illi ſanitatis alienatio impedimento fore potuit, quo minus curã regis quam ſoſpes geſſerat, æger exſequeretur. Ratus ſiquidem emendatam ipſius valetudinẽ triſti nuncio corrumpi poſſe, affectionem ſuã ei nunciari prohibuit, ne ſubita animi triſtitia implicatus in priſtinã peſtem relaberetur. Soſpitate reddita, ambo tam exitialis propoſiti interpellatori Deo ſaluberrimæ admonitionis grates ſoluebant: erroriſq; eos non ſine rubore pœnitentia ſubijt, cogitatæ impietatis effectũ, diuinæ animaduerſionis beneficio ſublatam eſſe gaudentes. Salubriori itaq; ſententia animũ amplectente, à ciuium periculis ad hoſtes vſq; laceſſendos ſtudiũ traduxerunt. Tunc rex, Abſalonis, Petri, Sunonis, & Heſberni, qui potiſſimũ conſilijs eius præerant prudentioribus monitis informatus, citiore quã maiore exercitu, occultoq; magis incurſu quàm aperta claſſe expeditionis in hoſtem agendæ conſiliũ cœpit: cum multo facilioris ſit negocij inopinatos quã prouidos oppugnare: & plerunq; præualidæ multitudinis ſententia ſalutaribus maiorũ iuſſis obniti ſoleat, apud quam plus virium Sclauici nominis terror quàm regiũ poſſideret edictũ. Idcirco autẽ perpaucos huius rei arbitros adſciuit, quod ſciret quæcunq; ferro geruntur, publicis viribus, ſed priuatis conſilijs adminiſtrari oportere. Et quoniam de Sialandenſiũ nihil obſequio dubitabat, Scanicæ claſſis ducẽ agere præoptauit. Cumq; nondũ integra valitudine, Scanienſes Lundiæ contractos expeditionis ſolicitaret edicto, maximus pontifex Eſkyllus (nã ei cæteri proloquiũ deferebant) negabat in expedito naues eſſe, quibus tam ſubitò iuſſum perageretur. Cumq; rex obtemperantibus gratiam, ſuperſedentibus iram ſe repenſurum dixiſſet, tantaq; propoſiti cupiditate perfuſum, vt vnico proficiſci nauigio quàm expeditionem remittere mallet. Eſkyllus indubitatæ voluntatis eius firmitate comperta, nõ ſolum conſilium probauit, ſed etiam qui regi comites deeſſent admodũ execratus, ſua eum naui, impenſaq; excepit. Iampridẽ enim regem expeditionũ diſſuetudo nauigio ſpoliauerat. Poſtremi Lalandenſes ac Falſtrici in claſſem coire iuſſi, ne longa præſciẽtia edocti, furtim ad Sclauos imperatæ rei indicia deferrent. At vbi Landoram claſſe peruentum, rex ſpectandi exercitus ſui auidus in campo copias explicare conſtituit, vt totas vires oculis ſubijciendo, an ea manu tutò bellũ commiſſurus videretur, aſpiceret. Ab huius littoris continenti longior arenæ tractus breuibus abſciſſus, curuatis anfractibus portũ nauigijs facit, humilis ita vt veniente æſtu lateat, abſcedente viſatur. Nam vadoſus eius introitus diffuſiore ſpacio opacæ altitudinis vndas includit. Sed quoniam hunc locum cuncti Danorum reges vaniſſimi erroris deliramento ſuſpectum, perinde ac fatalem cauere conſueuerant, proximo portu vniuerſi agminis apparatum curioſiſſime contemplatus eſt, adhibitis qui militiæ rudes rei bellicæ documentis imbuerent, quatenus vires ſuas potius ſolida oculorũ fide, quàm cæco æſtimationis augurio metiretur. Huic militiæ ſpeculationi quatuordecim diebus intentos, maior commeatuum pars ocio conſumpta defecerat. Egreſſis portu, tranquilla toto mari nauigatio incidit. Sed vt taciti improuiſiq; appellerent, remigijs eã quàm velis inſtruere maluerunt, Abſalone cum ſeptem nauibus præmiſſo, qui Rugyani littoris excuſ-

Quæ ferro geruntur, publicis quidem viribus, at priuatis expedienda ſunt conſiliis.

sius indagaret accessum. Siquidem Arcon oppidum vetusto simulacri cuiusdam cultu inclytum, ignaris incolis incendio tentare, cunctosq; eius præsidium petitu ros ex improuiso opprimere statuerunt: munimentum quidem habitatore vacuum ferarumq; duntaxat claustris firmatum existimantibus, indigenis parum humanæ tutelæ egenum, quod præsentis numinis excubijs esset vallatum. Summa vero contractæ classis ordine digesta, ducẽtarum & sexaginta nauium numerum reddebat. Absalon exequendæ speculationis gratia, cum propemodum ad Rugiam peruenisset, indicantibus nautis, cognoscit regiam nauem subito remigium velo mutasse: miratusq; quid ita cętera classis incederet, quæ paulo antè velis quò occultior nauigatio gereretur, abstinendum condixerat, postquam eam à statuto declinare cognouit, & ipse non suppetentibus propositi socijs, per summam animi confusionem puppim vltimus vertit, regemq; Monensium in portu receptum mœstior quàm libentior comes petiuit. Quippe quia cœpti comitibus deficiebatur, indignatus optimam gerendæ rei facultatem omitti, cum & aëris fauor & militum arridebat alacritas, ab inchoata nauigatione ægre proram auertit. Hunc Petrus, Suno, & Hesbernus, cũ quibus rex consilia sua participare solebat, rate egressum excipientes, tam deformem regis ab vtili illustriq; consilio defectionem anxie querebantur. Quos tandem rex obuiam sibi venire iussos, vbi tristes animaduertit, admirans cur eo vultu essent: visum sibi, inquit, ne tarda & intempestiua nauigatio proferretur, cursum eius ad insulam fuisse flectendum, mane cuncta commodius executuro. Quippe dies labori, noctes quieti familiares existere. Cumq; nullum ab amicis responsum daretur, taciturnitatis admiratione permotus proferre eos quæ sentiant imperat. Illi quæ inuicem contulissent Absalonem proponere iubent. Tum ille, quid miri est, inquit, segnes hæsitare voces, quas ingẽti mœroris pondere obtrutas quasi fauce obclusa latens animi strangulat ægritudo? Enim uero vicem tuam ad ignominiam vergere conspicientes, interno mẽtis luctu perfundimur. Quippe imperij ius obsequio mutas, paresq; quibus præesse debueras, vtilissimis consilijs spretis, eorum monita consectando qui in æquo ponunt, pulchérne rerum tuarum cursus an deformis existat. At postquam sine collega aut æmulo regnare cœpisti, altera nũc expeditio geritur, nec illius remissio quàm huius fœdior apparet. Siquidem summa rerum opportunitate contempta, paruulas commeatuum reliquias habentes ociosis nauigationis excessibus excusabilem reuersionis titulum quærimus: & cum nullis vrgeamur obstaculis, ignauiam nostram necessitatis nomine censeri cupimus. Hiscéne patriam operibus vindicandam, talibúsue regnum ingenijs auspicandum duxisti? Si vero maris sæuitia nauigationem interpellari contigerit, quid supereſt nisi vt necessitatis imperio cogente domos inglorij petamus, teterrimis effœminatæ mentis opprobrijs insectandi? Hæc & similia tum molestiæ stimulis, tum fiducia familiaritatis euectus, per summam verborum acerbitatem apud regias aures eloqui non dubitabat. Quanquam autem rex aduersum dictorum eius libertatẽ acrius exarsisset, tamẽ ne monitorẽ impudentius auertere videretur, magnitudinẽ iræ quam vultu teste conceperat, moderatione sua ad leue & tolerabile responsum deflexit, dicendo complures operum suorum testes extare, nihilq; tam fortiter ab Absalõe gestum, quod si nondum virtute æquauerit, adhuc satis æmulari non possit. Nec plura eloqui passus cymba nauigium repetiuit, subiungente Absalone haudquaquam eum vtilia suadenti succensere debere, cum aliquanto satius sit apertis amicorum monitis instrui, quàm occultis amaræ fugillationis morsibus obtrectari. Postera nocte concitatum acrius mare eò tempestatis excessit, vt regia classis non portu, nõ anchoris quo minus sparsa pelago disijceretur retentari potuerit. Nulla ex parte remissior eodem aëris habitu quatriduo perseuerauit. Quæ res iram regis aduersum Absalonem accensam magnopere deliniuit. Sed quod iam corde salubre deprehenderat voce fateri erubescebat, pudore serum animi eius intellectum celante. Nam interim nulla ad amicos communione habita, postridie prędictos viros fortè littori insistẽtes accessit, comitibusq; propius accedere vetitis, cõcitationẽ animi sui, inquit, tametsi dissimulatiõe vti vellet, iracundis oris notis prditã esse: dicebat

Dies labori, nox autem quieti destinata.

bat, parum quidem admiratione dignum, cum consultãtis vocem monitis potius quàm contumelijs excipi deceat. Quædam tamen ab eis sapientius, quàm tempestiuius dicta, quæ si ante triduum prolata fuissent, ingentis mali materiã præcurrere poterant. Seras quidem monitoris partes esse, quæ rem dum in arbitrio est negligentius obeunt, exactam solicitudine prosequuntur. Inemendabilia autẽ corrigere velle, proximum amentiæ errorem esse. Fruſtra igitur se conuitijs attentatum fuisse, cum & irreuocabiles præteritorum euentus existant, & plerunq; animi commotio parum cum ratione consentiat. Orturæ vero tempestatis sæuitiam absq; cœlestium monitis humano præsagio cõprehendere nequiuisse, neq; quin ea delictorum pœnas lueret dubitare. Quam ob rem aut naturæ ignorantiam, aut improuisæ necessitatis violentiã vitio sibi verti non oportere. Omissis igitur præteritorum querelis ad tempestiua rebus cõsilia, animum operamq; deuocare par esse. Malle enim se spiritum specioso exitu, quàm expeditionem deformi reditu finire. Tunc Petrus Absalonis sententiam aliquanto leniori monitorum genere prosecutus, docet neminem regum fidas amicorum voces infensis auribus excipere conuenire, cum sæpe clari illustrésq; viri spreti salutaris consilij pœnas pernicioſa morte pependerint. Cæterum aura dum faueat vtendum esse, quod eius anceps incertaq; varietas existere soleat. Sustinendum itaq; donec tempestatis immensitas ad tolerabilem remigijs habitum concidat. Adhuc enim tridui commeatus superesse, exiguoq; traiectu hostes accedi posse. Quod si præsenti alimentorum ope deficerentur, alia armis esse poscenda. Oportere ergo mox vt vndas remigio habiles viderint, sparsam ocius vniri classem, inceſſuramq; sociali remigio progredi. Quippe nauigationem omnem hoc alacriorem, quo æquabiliorem existere. Rex monitore laudato Absaloni speculandæ tempestatis officium mãdat, sibi cumprimum eam remigij patientem aduerteret, indicaturo. Absalon cupide præcepto quod suis monitis extuderat obsecutus, nocte postera aura sensibiliter impetum remittente, euentu gauisus antelucano tempore peractis diuinis ad regem peruenit, nunciando tempestatem ex parte collapsam possibilem quidẽ profectioni, sed difficilem fore, nec nisi summa cum remigij difficultate nauigationis capacem existere. Respondente rege moras esse rumpendas, per ludibrium subtexuit, pulchre se operam impensuros, si nauigationis medietate confecta vnde soluerant sint reuersuri. Cuius dicti procliuitas tametsi ioco mordacior videretur, ingens regi capessendę virtutis præbuit incitamentũ. Lepida tamen irrisione non caruit, subiungente rege, reuerentẽ se, ex eo quæ in Sclauia gerantur posse cognoscere. Principio classis lætam alacremq; nauigationẽ pleno fiduciæ remigio proferebat. Nam intra propinquæ telluris anfractus auræ vis quæ aperto mari licenti us incumbebat, latẽtium vndarum habitum asperare non poterat, terreni tractus obstaculis vndique secus incitatiorem fluctuum allapsum arcentibus. At vbi in altum dirigi nauigia cœpere, intolerabili pene tempestatis occursu excipiebantur. Antistes ne fortissimos monitus suos parum iusto conatu prosequi videretur, ingenuo pudore firmatus perseuerantissima remigij obluctatione quasi cum necessitate certabat, regemq; virtutis æmulatione prouectum, cœpti sui comitẽ existere coẽgit. Itaq; lenta & inhabilis ac pene inconcessa nauigatio hinc sæuiente mari, inde claudicante remigio fuit. Ea freti repugnantis violentia regiam nauẽ aduersis vndarum molibus implicatam, per summam procellarum asperitatem laxatis propemodum compagibus disiungi coẽgit. Quo viso rex tum vitandi periculi, tũ etiam complendæ nauigationis gratia, tutiore excipi cupiens, Ingimari Scaniensis ratem propius adesse iussam, ensem dextra, signumq; læua corripiens, vt temerario, ita prospero saltu inuolat, eamq; remis acrius citari iubet. Eskyllum virtutis pertinacia aliquandiu subsequi conatum, affectumq; regis quàm debilitatem nauigij sui propensius intuentem, partim regiæ vocis prohibitio, partim referta periculo necessitas reuerti compulit. Eo viso, complures reuersionis occasionẽ ab erroris simulatione mutuari ignauia docuit. Quibus tamẽ erroris commentum patrocinio fore non debuit, cum regem nauigium non iter mutasse translati signi indicio liquere potuerit. Nonnulli quoque conquassatioribus nauigijs inuiti relabe

Ea, quæ corrigi non possunt corrigere velle dementis est.

bantur, quod hisdem compagum firmitate defectis, concitati maris incursum sustinere nequibant. Qui vero procedere perseuerabant, vt viribus corporis laboris continuati sufficere possent, edendi nauigandiq; pariter officio fungebantur. Ne enim nauigationis cursum vel paruula remigij intermissio moraretur, dextra remos, læua cibos tractabant. Exigua classis pars Absalone duce virtutis & gloriæ æmulantior, inusitatæ tempestatis sæuitiam incredibili remorum certamine supe rauit, obluctatumq; pelagus infatigabili permensa nauigio, hora antelucana ad in sulam Hythim ipsa quoque necessitate superior appulit. Tunc Absalon ne quid inexcussum omitteret, per Wethemannum piraticæ operibus clarum officio spe culationis addictum, & portus hostilibus nauigijs vacuos, ad Rugiam nihil hostile metuentem cognoscit. Nam armenta securis custodibus propter littus errantia, inopinatos incolas esse fidem fecere. Rex languido remigio seram nauigationem emensus, obtento portu protinus in Absalonis nauem se contulit, fatigatumq; tę dio ac vigilia corpus somno excepit. Reliquiæ quæ cum eo fretum superauerant annumeratæ, sexaginta duntaxat nauigiorum classem explebant. Duo tunc Hallandēses natu quàm animis nobiliores, paucitatem suam indubitato periculo ob latam rati, nauigio quo communiter vtebantur, Absalonem petebant, seq; prępro pero regis alloquio opus habere dicentes. Postquam somno eum acquiescentem audierant, ocyus excitari poscebant. Absalon salutarem eius quietem importune rumpendam negans, quæ afferrent regem ex se cogniturum affirmat. Tum illi conquassationem nauigij, inopiam commeatuum, longinquitatem reditus præ tendentes, optimam sibi nauigationis facultatem prosperantibus ventis incidisse dicebant, quod quibus aduersis ægrè processerant, secūdis facile reuerti possent. Quam ob rem eorum se beneficio vti malle, quàm cassam & inutilem expeditio nem agendo, aut nauigij vitio, aut inediæ malo perire. Quos Absalon non solum deformitatem propositi specioso cōsilio mutare, sed etiam quo minus se probris obijcerent, honesto silentio supprimere iubet, ne tam pudendæ voces alienis au ribus exceptæ, inexpiabilem eis timiditatis notam inurerent. Itaq; eneruis & ef fœminati animi trepidationem, falso causarum commento colorare eos asseuera bat, docendo facilia refectu nauigia fore, & opima commeatuum supplementa per prædam late patentem leui negocio conscisci posse. Cæterum ipsos famam & opinionem suam grauissimo crimine corrupturos, si regem apud hostes in tanta suorum paucitate, sine respectu pudoris deserere sustinuissent. E quibus alter do mi se negocia regia quæ summa cum celeritate exequi necesse haberet, manere subtexuit. Contra Absalon simulationem eius quia blādimentis nequibat, minis discutere cupiens, eos qui in expeditione soluenda plus arbitrio suo quàm regiæ indulserint reuerentiæ, non tantum bonorum, sed & lucis ac spiritus ereptionem patria lege meritos astruebat. Sed ne ea quidem periculi denuntiatione quo mi nus fauentem nauigationi ventum velo colligerent, imbecillitatem eorum dura re trepidationémue corrigere potuit. Discedentes itaque execratione & conui tio per summam verborum acerbitatem insequi perseuerauit. Quod cum exper rectus rex ex Absalone cognosceret, tam impudentes & improbos desertores pœ nas sibi luituros iurabat. Conscensa deinde insula, accersitos nauigiorum recto res, agendorum percontatione sollicitat. Compluribus vt redeatur expedire vi sum, quod tutò hostem lacessere nequeant. Placituram rex sibi sententiam affir mabat, nisi ea res & grauis patriæ rubor, & ingens hostium incitamentum existe ret. Nam & eos Danicæ expeditionis præsentiam ex castrorum vestigijs comper turos, & clandestinam eius reuersionem timiditati duntaxat imputaturos. Huius rei causa periculo se quàm rubori patere malle, haudquaquam proram nisi laceſſi to hoste versurum. Præterea se eorum qui simulata nauium fragilitate defecerāt ignauiam æquaturos, si quos labore vicerant virtute non superarent, domosq; im pensa male nauigatione repeterent. Tunc Wethemannus incautas Rugiæ res re centi speculatione expertus, admouēdas littori copias suadet: si ignari incolæ fue rint, impune prædam cædemq; facturas: sin prouidi, confestim absque discrimi ne redituras. Vtro autem modo se gerant, per arantium morem deprendi posse

Remigii continuandi causa, remiges dextra remos, læua cibos tractant.

asseue-

assẽuerabat: qui cum primam diurnæ operæ partem exegerint, quò ad laborandum fiant vegetiores, sopori se prosternere soleant. Hunc vero non nisi metu vacuis, altaq; securitate firmatis obrepere solitum. Cæterum nemine talium dormiente reperto, præcautæ gentis indicium accipi. Quem rex piratico potius muneri consentanea, quàm magnitudini suæ conuenientia docuisse dicebat. Nunquã enim Danorum reges à Sclauis fugatos memoriæ proditum fuisse, sed ne se quidem primum regiam dignitatem hoc deformitatis genere maculaturum. Tunc Gnemerus Falstricus quanquam aliàs vegetioris quàm sapientioris animi ęstimaretur, siue ingenio suo, siue regis fortuna monente summam omnium hęsitationẽ ancipiti studio fluctuantem, salutari exhortatione discussit, incertamq; consilij cõcionem ad suam sentẽtiam perduxit, affirmando temeritatis esse exiguam manũ cum immenso hoste conserere. Cæterum Barcam prouinciam à Rugia breui freto discretam ob paruitatem sui quocunque paratu esset, populatu perfacilem fore. Denique regem quiescendi gratia cubile petere, exhaustasq; vigilijs vires, & attritum curis animum somno reficere iubet, vespere quo minus prouisus irrumperet classem applicaturum. Præterea vadosi fluminis angustias intraturos, sparsam nauigationem tacito conficere remigio iussit, ne aut obstrepentium remorum fragor securitatem incolis demeret, aut ipsimet impactis arenę nauigiis circa incertæ altitudinis vada diutius hærere cogerentur. Cætera se exploraturum promittit. Rex cupide consilio obsecutus, vespere signo nauigationi dato destinatũ amnem occupat. Cuius expeditius permeandi gratia ternis nauigijs iunctis, classem incedere iubet, ne confusa fluuialibus tardaretur angustijs. Cui Gnemerus rate obuius opportunitatem inuadendæ gẽtis aucupatus, interceptos incolarum speculatores adducit. Lætus eo rex, diluculo peragratis syluis, rura ac vicos hoc acrius quo latentius irrupit, incolasq; adhuc somni securitate torpentes, repentina incursione protriuit. E quibus complures perstrepentis equitatus fragore perculsi, patrios duces aduentare credebant. Sed hunc eorum errorem adacta repente corporibus iacula discusserunt. Complures eorum exertis per ostia capitibus, Kazimarus ne an Bugisclauus aduentaret, rogabant. Quorum percontatio proprijs eorum funeribus excepta est. Antistes cum parte copiarum longinquã regiõis plagam diuerso complexus itinere, eo locorum peruenerat, vt à regia cohorte eximiæ paludis interiectu distaret. De cuius admodum incessu dubius ne direptos à se vicos exuri pateretur, illustri consilio prouidit. Tandem procul ignes à rege editos conspicatus, sibi quoque consimilis facti potestatem suppetere, confestim illato tectis incendio declarauit, socijsq; sui prosperitatem excursus, respersо flammis rure nuntiandam curauit. Cumq; prædã abunde actam existimassent, iter ad naues remensi, quanquam grandi inuicem à se interstitio discessissent, vestigia tamen sua quo minus clandestinos reditus captasse viderentur, néue alter alterum impetuosa festinatione præcurreret, mutuis ignium fumigijs prodiderunt. Interea Skyalmo quidam cognomento Barbatus in asseruandæ classis officium relictus, ne hostili remigio præueniente amnis exitu prohiberetur, ad mare nauigia reducit. Vbi dum Rugianorum nauali incursatione peteretur, in paucas rates totius classis præsidium transfert, instructioribus quàm frequentioribus nauigijs hostibus occurrere præoptans. Quibus obuia nauigatione fugatis, ne sociorum reuersio tardius nauigijs exciperetur, omissa fugitantium insecutione portum reuisit. Iterato lacessitus, eodem ausu inuasoribus restitit. Sed & compluries attentatus, crebra hostium irritamenta occursationis perseuerantia superauit. Ita pertinaci magis quàm acri incursatione vexatus, opportuna hostem agitatione premebat. Inter hæc regi in littus superuenienti non paruæ admirationi fuit, nauigijs custodia vacantibus abesse Skyalmonem, quem tandem ab agitatione redeuntem cætero prosecutus exercitu, Rugianos fugam à remigio mutuantes, velorum intensione prosequitur. Sed interuallo præcessionis, & volucritate nauigationis adiutos instando magis quàm occupando vexabat. Tunc quendam vicinæ ratis rectorem in anteriorem nauigij sui partem fortitudinis simulatione progressum aspiciens, verbísque magnam præ se laudem ferentibus

Hosti potius instructiori quàm frequentiori occurrendum præsidio.

proſecutus, ad vltimum quæcunque viro forti erogarentur, egregie & laudabiliter impenſa aſſeuerabat. Ad vltimum vento obliquante prohibitus, quantum velis emenſus fuerat, conuerſa nauigatione remorum obſequio penſat. Sed quo proſperiorem velificandi, hoc difficiliorem remigij vſum habuit. Itaque Danis aduerſa cum mari nauigatione certantibus, Sclaui quos locorum habitus non fallebat, ignotum noſtris profundum compendiaria nauigatione ſulcantes, ſubitò fugam in inſidias vertunt. Quos Abſalon per occultos pelagi receſſus proſilire conſpiciens, ſocijs metu nauigationem citantibus ſubſequi quàm antecedere maluit, præuiæ claſſis terga plenis pietatis excubijs tutaturus. Pudet referre quod ſequitur. Maxima Danorum pars rubore poſthabito, quanquam hoſtes imminere conſpiceret, deſerto rege velis malos onerare ſuſtinuit. Rex cum paucis admodum nauigijs relictus, aliquanto deſertores ægrius quàm hoſtes ferebat. Tunc etiam militem quem paulò ante in prora aſtantem probauerat, breuitatem veli ſui quo maior nauigationis curſus exiſteret, pannorum additamentis producere conſpicatus laudem conuitio mutauit, amorem timidis erogatum imprudenter impenſum affirmans. Ita abſque ſupremæ neceſſitatis diſcrimine, veræ ac ſolidę fortitudinis habitum explorare promptum non eſt. Enauigantium diſceſſio, non clamore, non ſignis, denique nullo exhortationis genere reuocabilis fuit. Adeo omnium aures pauor concluſerat. Cúmque rex intermiſſo pauliſper remigio à præſentibus quid factu opus potiſſimum eſſet inquireret, cunctantibus cæteris Abſalon inſulam Hythim petendam, ibiq; ſecunditatem aêris expectandam hortatur. Quod Petrus fieri oportere non ſine rationum aſſertione negabat, quod perſeuerante tempeſtate, nec reditum, nec ſupplementum claſſis habituri viderentur, Sclauis aduerſum ſe quotidiana copiarum incrementa ſumpturis. Pandenda igitur vela, eamq; nauigationis æqualitatem habendam eſſe, vt naues volucritate præſtantes complicata velorum parte tardiores operirentur, & quas celeritate præcurrerent, ſocietatis iure conſequi debeant. Ita ſtrenua Abſalonis adhortatio eximiæ Petri prudentiæ ceſſit. Vterque ſiquidem annis ſuis ſimilia cogitabat. Ille etenim iuuenili animo condigna, hic canis ſuis conſentanea proponebat. Ita ſeptem ſolis nauigijs ex omni Danorum claſſe reſiduis, Sclaui multitudine freti incitatiſſimo remigio acerrimoq; clamore, cum contemptu paucitatis irrumpunt. Sed maiore impetu quàm audacia rem exequebãtur. Quippe cum primum excepere ſagittas, propius ferre remos auſi non ſunt. Paulo poſt deſtrictorum enſium laminis nunc ceruices ſuas, nunc ſcuta pulſare cœperunt, rati ſe Danos hoc minarum genere territuros. Remigium deinde magno clamoris ſtrepitu proſecuti, horribiles latè ſonos edebant. Hic quoq; procurſus priori perſimilis fuit. Obuijs nanque Danorum miſſilibus repulſi, continuo remigium retulerunt. Tertio vt hoſtem apparatu terrerent, contactos ſole clypeos aqua perfundere, genibusq; ſuperpoſitis in pugnæ vſum extricare cœperunt, veluti in dubtatum noſtris prælium illaturi. At tum demum ſeu cupiditate prædæ, ſeu vi pudoris accenſi, vehementius nauigia concitant. Quæ ſpecies vt initio acris, ita exitu inanis apparuit. Telorum enim obiectu velut antè deterriti, inuictam paucitatis conſtantiam vlterius laceſſere deſtiterunt, quãquam Danorum prouocatione admodum ſibi inſultari conſpicerent. Rex cum ad aſpectum patriæ peruenisſet, concidente paulatim vento tam remiſſam & languidam nauigationem agebat, vt quãquam propaſſo velo vteretur, eo ferè loci diem opperiretur, vbi noctem ingreſſus fuerat. Sed cum Zephyris deficeretur, proceſſum à remigio mutuatus eſt. Tandem obuiam Eskylli ratem ingreſſus, Scaniam repetiuit. Qui nouiſſime eum proſecuti fuerant, Sialandiæ partibus aduehũtur. Tunc Petrus Ranonis eloquentiſſimi viri imperitam calliditatem eludere cupiens, non ſolum nexos, ſed etiam remiges ſuos vt prædæ ſpeciẽ augeret in eminenti nauigij parte conſtituit, captiuorum imaginem præbituros. Quem cum Rano Liburna prætereuntem videret, diſſolutionem nauigij ſimulare deſiderans, ſentina aquam egeri increpitis acrius remigibus iubet. Tunc quodam reſpondente eo triduo ſentinam aqua vacaſſe, non ritè inquit Petrus remiges tui quibus te reſponſis excipere debeant, callent. Tunc Ra-

Quomodo Sclaui Danos eminus perterrefacere ſint conati.

nó paucis intra Petri nauigium remigio occupatis, ocioſæ iuuentutis multitudinem exerto capite conſpicatus, prædam exiſtimabat, quietisq; ſuę pœnitẽtia permotus, non ſimilitet ſibi vt Petro fortunam affuiſſe dicebat, quod naufragij periculo interpellante expeditionis comes exiſtere nequiuiſſet. Autumno rex crebra Sialandenſium ac Scanorum, rara vero Iutenſium manu prouinciam Arcon vrbi confinem adortus, cum ingenti præda acta ad littus reuerteretur, Rugiani repetentem naues exercitum, hiſdémque ſcandendis intentum à tergo per inſidias circumfundere geſtientes, magnis viribus in inſulam è continenti traijciunt. Per idẽ tempus coorta nebulæ vis, ſpiſſam cœlo caliginem intendit. Quæ res incertos viæ Danos atque errore nebulæ implicatos, aliquandiu ſubſiſtere coëgit. Crediderim hunc aëris habitum propitiæ fortunæ interuentu, futuræ eorum victoriæ paruiſſe. Iámque Sclaui, quia nubium obſcuritas proſpicere non ſinebat, caliginis errore protracti in medios ferme hoſtes inciderant, cum ſubito diſcuſſa ſole nebula, exercitus propemodum conſertos aſpiceres. Tunc Priſclauus olim è Sclauia profugus equo prouolans, adeſſe Barbaros, factamq; Danis optatæ pugnæ copiam nuntiat, exhortans omnes inuictam Danici nominis æmulari virtutem. Reſponſum à rege eſt, reperturos hoſtes qui fatum fugæ præferre cupiant. Igitur Dani quorum animos præceps belli cupido axagitabat, præter vſitatum pugnæ morem confuſis copiarum ordinibus, conſpectos hoſtes incurſare cœperũt. Nec tardior victoria quàm impetus fuit, pugnam fuga præcurrentibus Sclauis. In quo procurſu duo regij milites ita inter ſe fortuitis equorum impulſibus cõcurrerunt, vt vterq; excuſſus proſterneretur. Super quos rex corruente equo ita præcipitatus eſt, vt læuus eius cubitus pertuſo clypeo terræ altius infigeretur. Abſalon itaq; erigendi eius gratia deſcendere cupienti, manu ne ſubſiſteret innuit, fœliciter ſe lapſum reputans, ſi modo hoſtium cladibus attolleretur. Sed his euentus triſtior ſpecie quàm omine fuit. Regis nanq; lapſus, hoſtilis ruinæ præſagiũ edidit. Quippe ſuperati ſine prælio Barbari impune obterebantur. Quorum magna pars ſinũ per quem traiecerat auidius repetẽs, ſalutem in vndis quam quærebat amiſit: nec minor fluctibus quàm ferro periclitantium numerus extitit. Pars quo tutius hoſtem vitaret, ore tenus de induſtria aquis corpus immerſerat. Nec hoc quidẽ auxilij genus quo minus à Danis in eadem vada deſcendentibus interimerentur, latebram eis præſtare potuit. Cumq; cæteris intra aquam proſtratis, vnus adhuc occultum pedibus ſaxum complexus ſociæ ſtragi ſuperesſe videretur, Abſalon militibus ad opprimendum eum deſcẽdere profunditatis metu cuctantibus, non hic, inquit, ea proceritate eſt quam veſtra milites æquare non poſſit. Neque enim vadabiliorem ſibi quàm nobis gurgitem occupat. Quam vocem frater eius Eſbernus exhortationis loco ſuſcipiens, quanquam Barbarum latentis ſaxi beneficio vti non dubitaret, ſaluti fraternæ ſuæ voluntatis imperium prætulit. Alijsq; renuentibus, aquas hoſtili cruore infectas armis onuſtus intrauit. Cúmque emiſſa in Barbarum lancea ſolum repetere vellet, vndis verticem inuolutus, profundo ſe excipiente demergitur, periſſetq; niſi ſociorum præſentia auxilio fuiſſet. Enimuero Olauus vndis eum abſtrahere cupiens, ſtimulatum calcaribus equum in illud profundum egit: exceptúmque brachio leuare conatus, penè ſella pronus excutitur. Igitur vrgente fato ſuæ quàm alienæ ſaluti propior extitit, ſibiq; cœptam amici curam poſtponendo conſuluit. Cuius propoſitum Nicolaus quidam fortius q̃ fœlicius æmulatus, non temperauit quo minus concitato equo gurgitem peteret. Sed ab incœpto ſe pari periculo reuocatus abſtinuit. Igitur equitum ope defecto, peditum opera ſeruari contigit. Cumq; littori reſtitutus fuiſſet, extinctus ab intuentibus putabatur, adeo illapſus corpori humor anhelitum occultabat. Tandem ſocijs corpus ſuum diutius agitantibus, vomitu vndam egerere cœpit. Cuius onere liberatus, ſuſcipere magis quàm eloqui valuit. Itaq; qui aderant, corpus eius frigore obſtupefactum applicatæ veſtis fomento proſequebantur. Quibus percalefactus, non oculorum modo ſed etiam vocis vſum recuperauit. Cæterum ipſo die adeò exanguis permanſit, vt vix eum funebris otis notæ deſererent. Nec ſilentio oblitterandam alterius Danici equitis virtutem exiſtimo, qui cum nemine ſo-

Danici cuiuſdam equitis potius mori, quã ſe hoſti dedere volentis, magnanimitas.

ciorum comitante fugam hostium auidius quàm cautius insecutus fuisset, Barbaris qui effugerant, vt se eis capiendum præberet rogantibus, spreta prece equo desiliuit, mortemq; dimicans quàm deditus lucem amplecti maluit. Igitur ingenti hostium caterua ad se opprimendum nitente, quotquot propius accesserant interfecit: ac sine vlla specie metus pugnans, super factam à se stragem plenis gloriæ vulneribus corruit. Itaq; non solum innumeros fati comites habuit, sed etiam superstites fortitudinis suæ spectaculo attonitos reliquit. Cuius excellenti virtute tantum promotum est, vt deinceps Sclaui manum cum Danis acie conserere non auderent. Anno postero Danis expeditionem parantibus, Rugyenses ob recentem cladem suscipiendi belli fiducia defecti, Domborum quendam præstanti facundia ad pacem ab ipsis petendam decernunt. Quo Absalon excepto, nauigium eius expeditionis sibimet vsui vertit, nautis vero quoad reuerteretur, hospicia cum impensis expedienda curauit, ipsoq; Domboro secum assumpto regiæ classis conuentum petiuit. Siquidem legatos hostiũ expeditionis tempore susceptos, ad reditum vsq; eius mutua Rugiensium, Danorumq; consuetudine retentari fas erat, ne ad suos exterarum rerũ nuncij reuerterentur, speculationis potius quàm legationis officia peracturi. Sed contrariæ tempestatis perseuerantia nauigationem morante, cum Iuti labentibus alimentis expeditionẽ soluturi viderentur, eorum egestati Sialandenses ac Scani impensis liberaliter commeatibus affuerunt, ne tanta virium parte maligno necessitatis obstaculo fraudarentur. Fionienses vero tametsi commeatibus abundarent, ne minimam quidem eorum partem ad sustentandam sociorũ inopiam contulerunt. Quod videns Domborus pacẽ quam antè supplex petiuerat, sub æquis tantum conditionibus offerebat. Cæterum Absalonis apud regem interuentum poscebat, à quo oblationem suam liquida fide prosequi rogatus, pignoris loco lapillum se aquæ iniecturum asseruit. Siquidem icturis fœdus Barbaris religioni erat calculũ in vndas conijcere, seq; si pacto obuiam issent, mersi lapidis exemplo perituros orare. Sed contrà poscente obsides Absalone, fucosaq; superstitionum mendacia in rebus serijs recipienda negante, haudquaquam Domboro mutua petendorũ obsidum fiducia defuit. Quod Absalon indigne ferens, Rugianos non solum obsides Danis, sed etiam pecuniã cum supplementis classis transmittere solitos asseuerabat, cum Dani nihil tale Rugianis vnquam à se concessum, solutúmue meminerint. Tunc Domborus, si sapientia, inquit, qua te præditum existimas, viges, quæ à me proponenda sunt docili animo excipies, tenaci memoria apprehendes. Quisquis rite se gerit, circa tria tempora maxime cogitationem expendit: ex ijsdem duo leuiori cura complectens, tertij præ cæteris habitum intuetur. Siquidẽ præterita meminit, futura prospicit, præsentia colligit. Stolidus vero inter spem futuri, memoriamq; præteriti præsentium facultatẽ omittere, & quod in manibus retinet, excutere consueuit. Quo pacto tu quoq; vanissimis sollicitudinis ambagibus implicatus, adeò scrupulosa cura præteritorum imagines recolis, futurosq; meditaris euentus, vt ad ea quæ præ manibus sita sunt, & oculis obuersantur, aspicere nequeas. Quippe dum prioris æui recordationi animum inseris, felicitatis eius exemplo futura metiris, teq; spem ex memoria adeptũ quid instans ætas afferat, præterit. Fateor olim Danos gente nostra potitos, sed præsens fortunæ benignitas ijsdem nunc fauoris blandimentis partes nostras prosequitur, quibus quondã vestras excolere consueuerat, sortemq; nostram ad hanc felicitatis summã perduxit, quam vestræ quandoq; rei status attigerat. Quippe quanto vobis inferiores extitimus, tanto nunc viribus successuq; præstamus, eò rerum fortuna ductante progressi, quò Danicæ quondam prosperitatis incrementum excesserat. At dum temere votis extenderis, noua ac recentia stolida vetustatis simulatione prætergrederis, eisq; me conditionibus adigere conaris, quas pro præsentium habitu præstare potius quàm postulare debueras. Fines vestri armis & exercitibus vestris miserabiliter obtriti, situ marcidi, culturæq; inopes iacent, nostrarum diffusio partium vix alendæ quam genuit multitudini sufficit, & tamen quos omnifariam potentiores aduertis, non superiores modo, sed etiã pares habere fastidis. Tunc demũ tributi nos exactione sollicita, cum

Barbari fœdus icturi, lapillũ in aquã coniiciebant.

Prudentiæ præcepta.

& sortem

& sortem nostram successibus æquaueris, & eam malis quibus tua nunc premitur adactam conspexeris. Hæc Domborus. Sed Absalon dissimulato indignationis conceptu, paucis eum responsis excipiens, ad regem quæ acceperat, perfert. Verum pertinax freti sæuitia nauigationem interpellendo finem expeditioni fecit. Rex quanquã superius Sclauos secundis successibus attentasset, plus tamen negotij in eorum expugnatione quàm vt proprijs viribus exequeretur aduertens, Saxoniæ satrapam in armorum militiæq; collegium ingentis præmij pollicitatione sollicitat. Ille tum amplissimæ mercedis captura, tum etiã potiendorum finitimorum spe inuitatus, expeditionis societatem spopondit. Sed superius Waldemarũ rex Noricus per summum amicitiæ cultum, nauigio draconem simulante donauerat. Quod Absalon mira arte effigiatũ Roskyldensi remige exornare, & ad conuentum vsq; Danorum dirigere iussus, cum in portu Isrensi parum secundantibus ventis voto diutius moraretur, nihil ægrius tulit, quàm quod alijs in expeditionẽ proficiscentibus tardior ipse superuenturus videretur, qui cæteros & velocitate apparatus, & procinctu nauigationis aliàs præcurrere consueuerat. Itaq; cũ mente, tædio, & pudore sopita in puppi iaceret, futuram maris tranquillitatem nocturnis imaginibus speculatus est. Existimauit enim ab homine se accersiri: accessoq; lit tore cum Burgalanensi pontifice Tokone aliquandiu spaciatum, iussumq; ab eo quæ audiret sagaci mente comprehendere, & tenaci mandare memoriæ. Tokonem deinde melos quod in diuini natalis peruigilio ritè recini assolet, semel iterumq; & tertio replicuisse, ipsumq; ad ea quæ canerentur sollicitis auribus esse iussisse. Expergefactus adeò præsentes visorum imagines animo repræsentabat, vt rem veram non somnium fuisse arbitraretur. Et quia crastinæ egressionis opem per quietem sibi promissam meminerat, tam certam commodæ nauigationis spẽ animo præsumpsit, vt conscensa cymba, quanquam nihil adhuc tempestati detractum erat, malum regiæ nauis, cui Astradus præerat, ocyus attolli iuberet, cibũq; capere properaret. Epulanti, superuenit Astradus indicans tempestatis occasum. Et quid nam fieri expediret interrogans, iussus est illico erecto nauigij malo fauces Isricas penetrare, eisq; præteritis insulã quà ventus iuberet ambire. Quod eo exequi pergente, expeditionaria classis quæ in eundem fortè portum appulerat, subito tranquillitatis incessu gauisa, velorum vsum nauigationis auida præparabat. Verum effectus minor impetu fuit. Siquidem modo orientem, modo occasum incerto ventorum flatu ludificata vicissim petebat, nauigationemq; mutabilis auræ varietas optato cursu fraudabat. Diuinitus consultum crederes, ne aut solitaria Absalonis nauigatio, aut alijs incessu tardior haberetur. Quod etiam ipsius liquidò comprobauit aduentus. Siquidem adnauigante eo omnium nubium errore discusso, certus pelago flatus incubuit, tantaq; propitij venti stabilitas incidit, vt nauigatio quæ antè dubijs velis incertum cursum tenuerat, continuo prosperitatis ordine frueretur. Ita naturæ rerum temperies, quæ se cæterorum vsui inuiderat, Absalonis respectui tributa est. Qui etiam cum nauem regis sibi creditam validis tempestatis incrementis contusam, extremoq; naufragij periculo propinquã aduerteret, continuò in littus subductam necessariæ trabis vinculo refecit, lacerãq; ac penè confractã pristinæ firmitati restituit. Sed & prorarum eius cacumina quò cultior incederet, aureis apicibus texit. Quo rex apud Mansuetam exceptus, Polam prouinciam comite classe petebat. Itaq; communibus sed discretis viribus, alterum Sclauiæ latus Dani inuaserant, alterum Theutones lacerabant, interdumq; exercitus alter ab altero inuicem spectari poterat. Cumq; Theutonũ fortè satellites petendi pabuli gratia latius euagatos Sclaui per insidias adorti interemissent, equites recentis iniuriæ vltionem audaci calliditate quęsierunt. Siquidem militię insignibus occultatis, loricisq; quibus corpus munierant, familiari ac sordida veste tectis pabulantium more fruges metere aggressi, Sclauos Nucleto duce ad se opprimendũ ex abdito prouolantes ocyus ascensis equis, falcesq; gladijs mutantes trucidauerunt. Caput Nucleti abscissum ac pilo affixũ, sicq; in castra perlatum gratum vtriusq; exercitus oculis spectaculũ præbuit. Quod cum filio eius Priszlauo, qui ad Danos, & Christiani ritus amore, & paganæ superstitionis odio patria

pulsus transierat, cœnitanti nunciatum fuisset, aliquantisper manum ab escis retractam demisso capiti subijciens, dei contemptorem tali exemplo interire par esse dicebat: reuocatoq; à cogitatione animo, consuetam oris ac mentis hilaritatem cœnæ consortibus exhibebat. Magnus potentia, sed maior diuini cultus memoria. Neq; enim sibi parentem iudicabat, quem publicæ religionis æmulum nouerat. Itaq; ambiguæ æstimationis esse potuit, vtrum magis fortem animum gesserit, an piam vocem emiserit. Sed neq; patriæ plus solito misertus, eam ductu & incitamentis suis duarum gentium prædam existere coëgit. Interiectis diebus Henricus Waldemaro sermonis inuicem conferendi gratia se accedenti, cum Absalone solo in tabernaculum suum perducto epulum præbuit, ingenti magnatum frequentia administratorum officio fungente. Quæ cœna licet multigena ciborum varietate splenderet, aliquanto tamen plus luxus in obsequijs quàm epulis habuit, præsertim cum gloriæ non vsui seruiretur. Clientela vero seorsum discubitu excepta. Post reditum suum Waldemarus nouarum rerum casibus sollicitatus, intento ad sciendum animo, vbinam Henricum necessariæ collocutionis gratia obuium habere posset, atq; ad id negocium explicandum prudenti viro opus asseueraret, alij sibi claudicare equos, alij parũ cultis vngulis esse fingebant. Cunctis itaq; metum excusationis astutia protegentibus, nemineq; tam periculosam legationem suscipere audente, Absalon fortè lignis ex more per ocium cæsis, è nemore superueniens interrogatusq;, an regiarum partium legatum agere vellet, iturum se pollicetur. Igitur legendorum comitum optionem habere iussus, potissimum necessarios ac sanguine semet contingentes adsciuit, consanguineam fidem alienæ præferendam existimans. Prislauus quoq; potentissimi Sclauorum principis Nucleti filius, quem quod Waldemari sororem in matrimonio haberet, Christianæq; disciplinæ sacris initiatus esset, pater iampridem perinde ac insidias sibi nectentem conspectu suo submouerat, localis peritiæ fiducia propositæ viæ conductorem agere pollicetur. Huic siquidem tum rex ob bonæ fidei experientiam, tum ob connubij affinitatem magnam nobilium insularum partem fruendam concesserat. Profectus Absalon, affatusq; ducem cum apud eum pernoctare rogaretur, regem anxia suorum expectatione sollicitum, longioris moræ interpositione molestari oportere negabat. Præterea classem sine portu esse asseuerabat, vndiq; ventorum impulsui patentem. Cumq; festinationis ratione reddita propinqua nocte equos abiturus scandisset, quidam claro Saxonum loco natus vltrò adito duce, perituros Danorum legatos nisi comitatiores abscederent, querebatur. Obiurgare quoq; eum vehementius ausus, quod illustrium virorum paucitatem, tot ingruentibus periculis incomitatam à se dimittere sustinuisset. Reuocatis itaq; comitum offeruntur auxilia. Sed non minorem se Absalon in reuocando comitatu gessit, quàm in pernoctationis egerat obsequijs respuendis: gloriosius ratus suam ac sociorum salutem dubijs casibus credere, quàm alienis armis protegere. Cumq; haud procul tentorijs abesset, Prislauus omnibus frænos succutere iussis, si meo, inquit, ductu res expedienda foret, comitum supplementum nostra paucitas non refugisset. Siquidem aduersum pericula abundare industriæ potius argumentum est, quàm timoris indicium. Hoc enim probabilior est fortitudo, quo minus cum stoliditate consentit. Illa vero reprehensionem meretur, cui vires temeritas administrat. Sed nunc exigere perquã deforme est, quod paulò antè oblatum acceptare contempsimus. Restat igitur vt vnicam salutis viam in pectorum ac virium nostrarum fiducia reponamus, spemq; ex desperatione certissimam capiamus. Æmulanda itaq; Danici sanguinis & nominis virtus, omniq; studio enitendum, vt aut nobis victoria reditum, aut speciosa mors æternum famæ pariat monimentum. At minime dubiũ quin de transitu nostro hostes equina fecerint vestigia certiores, nec magis ambiguum eorum reditum insidijs excepturos esse, quorum aduentum adesi callis indicio peruiderunt. At mori vobis commilitones quàm capi præstat. Capti enim occisi parentis mei pœnas perinde ac eius interfectores crudeli morte pendetis, fratresq; mei paternis manibus per summam cruciatuum acerbitatem nostro sanguine parentabunt. Aliquanto ergo satius

Aduersus pericula abundare, industriæ potius quàm timoris argumentũ uideri.

go satius est propriæ virtuti spiritum impendi, quàm alienæ violentiæ miserabiliter puniendum relinqui. Hæc non proprij periculi metu, sed vestræ potius charitati consulendo monuerim. Eo enim sanguine oriundus sum, quem nulli Sclauorum attentandi vnquam ausus incessit. Per patrem vos optimum maximumq; perq; illud Danorum celebre cunctis gentibus nomen, obsecro obtestorq;, ne fiduciæ & fortitudini imbecillitatem atque ignauiam præferatis. Hæc Prislauus. Denique læta omnium acclamatione exceptus, nihil se de victoria ambigere asse uerauit, cui militum alacritas præsagio fuisset, præsertim cum omnis Sclauorum irruptio specie, quàm re formidabilior existere soleat. Circa incessum vero id ordinis obseruari debere, ut iuuenes parum armati medium inter milites equitandi locum tenerent, eorum vtrinq; præsidiis muniendi. Cæterum militarium turmarum per binas acies distinctarum alteram ab altera auxilijs inuicem tutandã esse. Quippe geminæ cohortis specie hostiũ animos labefactari posse. Præterea clamabundos incedere, varijsq; cantibus obstrepere iubet, fiduciãq; quæ plerunq; multitudini ineſt, simulaturos. Nec fortunæ expers consilium fuit. Siquidem in portũ eis vbi classis acquiescebat nullo incessente perductis, rex expectantis more sollicitus, prolixamq; legatorum absentiam curã ac mœstitia prosecutus: dolorẽ ex temeraria suorum emissione contractũ, religiosæ lectionis officio leniebat. Quibus rediſſe compertis, soporis blandimentis ob tristitiam dilatis ocyus aditum dedit. Inde ad Gudacrã amnem nauigatione discessum. Cuius vadosus aditus haudquaquam magnarũ nauium capax extabat, exiles duntaxat transmittere solitus. Itaq; rex propter fauces fixa anchora sedem nauigio consciuit, magnitudinẽ eius paruitate amnis admittere nequeunte. Habilior classis, & quam fluuiale profundum ferre poterat, Absalone duce angustos amnis attentabat anfractus. Quo autore eo loci peruentũ, vbi gurges ingentis stagni diffusior speciem præfere bat. Has faucium angustias Barbari crebra classe præstruxerant, hostem transitu prohibituri. Quos nostri deturbare gestientes profunditatis ignari, imperitæ nauigationis errore, vadosis locis affixere puppes. Quas dum profundo defectas, ad loca nauigatu facilia reijcere cupiunt, cum minus remigio liceret, passim in vada desiliunt: manibusq; foros complexi, remorum vices corporum viribus exequuntur. In quos Sclaui nauigijs suis tanquam propugnaculis vtendo, supernè tela libr abant. Nec sic eos attentasse contenti, & ipsi saltim in vada delapsi cominus dimicandi locũ petebãt. Sed nostris strenue occurrentibus, pari celeritate deserta ac repetita sunt nauigia. Ante alias binæ Prislaui rates subiere stagnum. Quarum alteram qui vado institerant, tam frequentes insiluere, vt media fractis penitus lateribus findere tur. Quippe dum auidius se ingerunt, multitudinis onere mediam rupere puppim. Subsequente classe deserta, fugiẽtium Barbarorum nauigia capiuntur. Vicorũ quoq; ripæ iunctorum incendia peraguntur. Noctu redeunte Absalone, rex adhuc insomnis diutinam eius moram angore & vigilia prosequebatur. Quo exceptogauisus, Liburna sua quod ob granditatẽ nauigationis inhabilis videretur, domum remissa in aliquãto minorem se contulit: eaq; ad lacum deuectus, Sunonem binis instructum nauigijs in longinquos paludis recessus prædatũ mittit. Vrbem quoq; Rostock oppidanorũ ignauia destitutam, nullo negotio perussit. Statuam etiã quam gentis profana credulitas perinde ac cœleste numen diuinis honoribus prosequebatur, incendio mandauit. Post hæc Henricũ cum exercitu suo conserendi secũ sermonis gratia venientẽ, præparato ponte traiecit. Eodem tempore Nucleti filius Prislauus ripa altera superueniens, cum fratrem Prislauum Bernardo, cuius manu Nucletum occidisse fama fuerat, nauigio communicantẽ aspiceret, conuitio lacessiuit, impietatem obijciens, quod cum parentis sui interfectore amicè conuersari sustinuisset. Contrà Prislauus bene de se meruisse eum, per quem patre sacrilego careat, affirmabat. Sed neq; se eius filium censeri velle, quem maximi sceleris parentem extitisse constaret. Interea dum hæc geruntur, subitò fama pertulit Rugianam, Pomeranamq; classem ex dispositio conuenisse, Danos amni includere auidam. Igitur rex per Henricũ necessariæ discessionis admonitus, ne se locorum angustijs implicari pateretur, protinus amne excessit. Cumq;

Iuuenes haud satis armatos medium inter milites equitãdi locum habere conueniit.

Sclauicæ collectionis famam nulla adhuc indicia confirmarent, insidiarum suspi
cione permotus, hostium calliditati inuicem occurrere statuit. Qui in occultos
littorum sinus collati, si rex rura diriperet, classis eius incursandæ copiam explora
bant. Quos vt opportunitatis simulatione protraheret, Magno cuidam exuren-
dorum littoralium vicorum curam demãdat, militibus intra nauigia latere iussis:
sciens profecto Sclauos ab vniuerso Danorum exercitu incendium peragi puta-
turos, sicq; promptiorem exercendarum insidiarum ausum capturos. Nec secus
ac ratus est, hostile propositum fuit. Quippe Magno oppidis facem subijciẽte, Ru-
giani vniuersas Danorũ vires eo negotio occupatas existimantes, auidius edendi
propositi fiduciam rapuerunt, perinde ac eorum classem defensoribus vacuam re
perturi. Sed quorundam regis imperium ignorãtium occursu maturius excepti,
incursandi studium repente fuga mutarunt. Quos cætera Danorum classis certa-
tim magnis remigij nisibus insecuta, velocitate nauigationis æquare non potuit.
Cumq; releuandę lassitudinis gratia æstum vmbraculis leniret, Lundensiũ ponti-
fex cæteris portum tenentibus superueniens, postquam medio fermè diei tempo
re nauigia velaminibus obducta conspexit, cunctis segnitiem exprobrãs: his, in-
quit, tumulis cõmilitones cum animi exercendi sint, corpora sepelire gaudemus?
Quo dicto militibus diurnæ quietis ruborem ingessit, & regem desidia obsessum,
torpentes militiæ suæ vires excitare perdocuit. Qui etiam ad pontificis vocẽ mo-
desto indignatiõis genere permotus, simulq; iusta desidiæ suæ reprehẽsione com
monitus, citò hos tumulos relinqui posse aiebat: statimq; discussis tegminibus ho
stile solum petere properauit. Post hæc circa australem insulæ plagam prædæ in
biduum actæ: inde Walungiam nauigatum. Vbi nuntiato Rugianorum occursu,
cum quidam è Danis hastam suam quo commodius ea in acie vteretur, in conspe
ctu sociorum aliquanta parte curtasset, cæteri ipsius factum secuti cõgestis in vnũ
locum putaminibus, ingentẽ breui cumulum extruxerunt. Sed interim apud ho-
stes pacis non belli studia agitabantur. De qua acturus Domborus, ad Danos di-
rigitur. Quibus ad naues digressis, ignem in littore accendit, cuius indicio se lega
tionem afferre monstraret. Sed Absalon ne quis eũ naue exciperet vetuit, ne pax
quam petere venerat, inuicẽ à Danis affectari videretur. Ita Domborus aliena ra
te non habita, propria classem petiuit: Absalonemq; per interpretem aggressus, vt
se inter regem & Rugianos faciẽdæ pacis autorem exhiberet orabat, obsequium
cum obsidibus spondens. Contra Absalon perinde ac eorum quæ ab ipso posce-
bantur ignarus, respõsionis loco, desertas Danorum insulas numerabat, earumso
litudinem nuper sibi ab ipso exprobratam acri memoria prosecutus. Dombor us
orationem suam parũ cõpetentibus responsis excipi per interpretẽ cognoscẽs: ra
tione, inquit, non vacat pontificum optime, quod tuam cæteris opem in aduoca-
tionis petitione præferimus. Siquidem eo nunc iustius ad tui nominis opinionem
votis decurrimus, quod quondam ad promerẽdam Danorum concordiã aui tui
præsidijs nitebamur, eius nutu perinde ac regalibus edictis cõtenti fuimus. Quia
vero filiorum eius nemo supereſt, supplices ad nepotis genua manus tẽdimus, ne
extra consuetæ familiæ seriem auxilia circumspexisse videamur. Nec pari indu-
stria in fratre tuo prætereundo, quanquam natu præstet, vsos nos esse constat. Ti-
bi enim autoritatis prærogatiuam honores non animi nec ætatis priuilegia, sed di
gnitatis ornamenta conciliant. Ante verò quàm pacem domesticam bellis ciuili
bus fœdaretis, constantem Danorum imperio fidem præstitimus. At postquã in
vestra Republica seditiosa suffragia adoleuere, regniq; affectatores armis instrue
re cœpistis, ppriæ libertatis quàm alienæ factionis studiosiores euasimus, nostriq;
nominis quàm pietatis desertores esse maluimus. Sed & bellum vobis inferendo
quid aliud quàm ingeniis vestris finiendarũ simultatum causam præbere tentaui-
mus, idq; efficere, vt nostra arma exceptũri, mutua cõcordia indigeretis? Itaq; se-
cures vestras ciuili sanguine madentes in nosmetipsos cõuertimus, bellaq; vestra
alienis q̃ patriæ pernicioſa fore maluimus. Siquidẽ aduersarios vestros specie, re
vera amicos egimus, charitatisq; partes hostilitatis simulatione præbuimus. Etenim concordiã vestrã magis quàm spolia piraticam à beneuolentia profectã exer
cendo

cendo quæsiuimus. Et nunc quidē opera nostra cœptorum deuijs ac parricidali bus bellis abstracti, meritò tāti beneficij autoribus gratulari debetis. Cur ergo cūctis inter nos amicè compositis, soli communionis vestrę ianuas intrare non possu mus, quarum ipsi claustra reseruauimus, aditum patefecimus? Cur ea factorū nostrorum prudentia delicti vestri saluberrima correctrix, à viris sapientia claris parum grata æstimatione colligitur? Cumq; finisset, adhuc Absalone vastatas Danię prouincias supputāte: nil factū est, inquit, quod homines patrocinij tui indignos ab illius clementiæ sinu repelles, quam nemo supplicū vnquam difficilē habuit. Etenim repulsi identidem tuis genibus aduoluemur, puerorum perseuerantiam imitaturi, qui quo atrocius iratæ matris verberibus lacerātur, hoc auidius eius gremijs allabi nituntur. Quod si parum supplicij de nobis sumptum creditis, iram vestram quoad libet cladibus nostris impune exsatiare poteritis. Vastētur licet agri, exurantur uici, euertantur vrbes, trucidentur populi, precibus vobiscum non armis agemus, pro bello veniam quæsituri. Si sanguinē sititis, vltro iugulum gladijs vestris feriēdum præbebimus. Si seruitium affectatis, quid deditione maius præstare poterimus? Quis autem tam efferæ mētis, qui eius oblatoribus parcere præsto non sit? Extremæ autem dementiæ est velle laboribus adipisci, quod ocio possit acquiri. Scio autē illud tibi succurrere, quod priore colloquio patrię tuę vastitatem inter probra posuerim: ideoq; te tā pertinaciter eius solitudines æstimare, ne prius de pace agatur, quàm totidem apud nos vestris armis effectæ fuerint. Ego vero iampridem sapiētibus monitis insipienter vsus, aduersarij partes secus ac expediret edocui, ignarus quod auditori tam attēto præceptor extiterim. Nam rem puerilibus deliramentis consentaneam dixisse satius fuerat. Quod vero locutum me nunc pœnitet, te etiam audisse piguit. At si tunc intellectu digna tuis auribus deprompsi, quæ nunc quoque dicturus ero, pari mentis ratione suscipito, eodem ingenio præsentia hauriens, quo prioris alloquij documenta sumpsisti. Quo maiorē de nobis stragem egeritis, hoc minorem subiectorum numerum militię vestræ residuū facitis. Quid ergo aliud cladem nostrā exercendo agitis, quàm quod viscera vestra viribus exinaniendo consumitis? Quod si parum adhuc nos punitos ducitis, hostibus vestris bello proterēdos obijcite, aut morte nostra vindictæ satietatem sumpturi, aut victoria rebelles sub iugū missuri. Victi nanque parum mœroris, victores multum alacritatis vestris animis ingereremus. Vtralibet ergo fortuna vestris successibus obsequeretur. Præterea si nos armis lacessere perseuerabitis, casus efficere poterit, vt stragem nostrā alicuius vestrum fato luatis, cuius capite totius Rugiæ subiectionem emisse difficile fuerit. Talibus Absalon monitis inuitatus, Rugianorum vota apud regem sua prece compleuit. Rex acceptis obsidibus redit. Eodem ferè tempore de Vrbis pontificatu controuersia inter cardinales orta, variè prouinciarum suffragia ferebantur. Nam Gallia Alexādro obtentui fuit: Germania, autore Cęsare, Octauiani partibus obsecuta est. Sed iustior religioniq; propior Gallorum sequacitas fuit. Quod postquam in Dania percrebruit, Lundensis pontifex, qui & ipse prædictæ expeditionis comes fuerat, ne feruente religionis tumultu depositō fraudaretur, pecuniam quam in Gallia collocauerat, per ministros reportandam curabat. E quibus vnus monachicæ professionis apud Stadium oppidum inter cœnitandum ligneo fortè calice non suppetente, aureo quem in custodia habebat arrepto, nitidius quàm tutius cœnam exegit. Cuius facti irritamento ijs quorum hospitio receptus fuerat, tacitam latrocinij cupidinem ministrauit. Maioris nanq; pecuniæ conscium animaduertebant, quem præstantiori poculo priuatas mensas exornantem videbant. Cæterum hospitij reuerentia palàm facinus exequi veriti: quoniam intra penatium limina hospitalita tis sacra violare nefas ducebant, in Holsatiā eum subsequendo sarcinis exuerunt. Quo Eskyllus dum ab expeditione reuerteretur audito, regem super earum recuperatione sollicitat, ratus autoritate eius restitutionem à prædonibus fore. Nec iā precibus sed pactione agendum existimans, portionem pecuniæ dummodo per eum reddita foret, in præmium pollicetur: tantoq; eius auxilium instantius expetebat, quanto eum in annuendo tardiorem aduertit. Rex petitionum eius perse-

Pulcherrimū perseuerantiæ inpetendo, per egregiam liberorum castigatorum similitudinem illustratæ, exemplum.

Hospitalitatis sacra violare, nefas.

uerantia fatigatus, ægrè operam pollicetur, quod & raptor incertus, & pecunia repertu difficilis videretur. Cęterum eam requisitu promptiorem, si à potentibus quàm si à plebeis occupata fuisset, arbitrabatur. Igitur antistitem Slesuicum secũ petere iubet. Vbi dum fortè per iocum inter familiares amissoris auro bibentis iactantiam elusissет, interfuere qui regis dicta siniſtrè excipientes, clãdestini sermonis mordacitate pontifici illusum putarent. Quorum obtrectatione Eskyllus ad deserendam regis amicitiam adductus, eo dementiæ prorupit, vt opes quas amisisset, ab eo obtentas suspicaretur, eumq; rapinæ sibi inflictæ cõscium assеueraret. Ita se conceptæ vesaniæ moles falso regis conuitio patefecit. Igitur nescias vtrum antistes insaniæ maioris, an rex patientiæ fuerit. Quorum alter integerrimum virorum teterrima suspicione notare sustinuit, alter conscientię puritate syncerus aduersum innocẽtiæ suæ criminatorem æquo lentius iram distrinxit. Inter hæc Occo, cui superioris schismatis contagio deponendi pontificatus causam præbuerat, tanquam recepta ab Octauiano dignitate, conciliato regis fauore Slesuicẽsem sedem sacrilego occuparat regimine. Quem Eskyllus catholicæ partis æmulatione inter rei diuinæ actionem cum suis fautoribus execratus, magnopere regem permouit. Ita contentione paulatim ad inuidiam simultatemq; progressa, accito apud Sialãdiam Absalone, querimoniam suam à rege tum spretam, tum etiam irrisam conqueritur. Quippe eum erga pecuniam amissam parum honesta cõscientia esse, restitutionem in facultate habere si velle suppeteret. Quinetiam cum Occone schismaticarum partium comite criminosum iunxisse collegium, inq; eius excolenda societate catholicę pacis aduersarijs execrabilem obtentum prębere: quam ob rem se belli aduersum eum suscipiendi infinita cupiditate flagrare. Sæpe enim numero consimilia ausum, potiusq; præesse regibus quàm obsequi solitum. Præterea ad hoc audendum se non infimis amicorum præsidijs abundare. Veritus Absalon palam tanti viri sententiam obiurgare, temperato reprehensoris officio, impatientiæ eius errorem modesto genere castigationis excepit, regis integritatem deformi notatu perquàm indignam iudicando, eiusq; conscientiam collatis innocentiæ rationibus ab omni suspicionis turpitudine alieniſſimam cõprobando. Cæterum non tam catholicarum partium odio, quàm eius regisq; litigio Occonis susceptionẽ imputandam docebat. Ad hæc si litem ingrederetur, quos auxiliares sperauerit, hostes censurum, Quippe homines inter aduersa plerunque parum iusta constantia amicitias colere. Sibi potius ad ipsum legati partes mandari precatur, discordiarum pericula compositionis officijs auertere tentaturo. Eskyllus tanti consilij documento parum salubriter æstimato, percontationibus eum fatigat, num sibi in eam rem auxilium sit laturus, quem non tam gerendorum arbitrum, quàm belli socium deposcat, dicendo iam non se cõsultorie cum eo, sed precarie agere. Absalon antistitis sublimitatem regis charitati componderans: quem, inquit, me tibi iampridem iurisiurandi religio fidei debitorem effecit, malo simplicitatem tuam verioribus monitis obiurgare, quàm blandioribus fallere. ne rebus in perniciem vergentibus vacuum promissorem egisse videar. Sed neque ceruicem meam eousque sponsionis titulus obnoxiam facit, vt amantissimum mihi herum, cui tum fidei, tum etiam amicitiæ stipendijs obligor, neglectis charitatis officijs, attentare sustineam. Præterea reges de rerum summa certantes lacessere, iampridem haud difficile fuit. Huic vero cum regnum sine æmulo gerat, vim inferre temeritas est. Quem si communibus viribus adorti fuerimus, communis iacturæ pericula sentiemus. Sed tuos quidem conatus sæpius consimilia ausos, res ipsa minore cum vituperio admittit, meum vero facinus nullis excusationis præsidijs nixum hoc magis reprehensionem meretur, quod summam beneuolentiam perruptis amicitiæ vinculis, iniquissima præsumptione reponderem. Eskyllus speciosissimis sapientiæ responsis ad summum iræ stridorem euectus, per sacram obeditionis religionem eum adiurat, mandata ad regem ferenda suscipiat. Absalon mandatorum latione promissa, responsorum nuncium abnuit, quod inter illustres viros inimicitiarum autor haberi nolit. Huic Eskyllus ægre legatione credita, Gerardum Esromensis domus prælatum associat, scitu-

Amicitiæ violatæ facinus, ab ipso violatore, venia dignum non esse iudicatum.

rum

rum an Absalon fidus mandatorum ministeꝛ existeret. Quorum tanta asperitas erat, vt non solum simultates augere, sed etiam amicitias odijs conuellere potuissent. Hanc austeritatem Absalon quoad licuit temperare conatus, specioso verborum delinimento truces mandatornm sententias castigabat. Rex audita legatione præter morem accẽsus, Eskyllum superiorum regum cruorem combibere solitum, nunc & suum sitire respondit: multaq; in hunc modum per summam verborum asperitatem remandanda curauit. Quibus Eskyllus ex Gerardo cognitis impatientiam metu mutauit, tantumq; pauoris surrepsit, quantum prius furoris incesserat. Igitur euitandi periculi gratia longinquas Werundiæ partes accessit, salutem secessu non bello quæsiturus. Tunc rex vrbem in solido Letricæ paludis ab eo constructã obsidione tentat, captu quidem difficilem, quod & naturæ præsidio munita & cõmeatibus affatim instructa fuerat. Cuius custodes animis quàm mœnibus debiliores, expugnationem deditione præcurrere cupientes: ni pax ab Eskillo quamcitissime cum rege componeretur, nepote eius qui apud Esron educabatur obside dato, vrbem se tradituros promittunt. Pactus conditionẽ rex, adolescente suscepto obsidionem amouit. Hæc cum Eskillo nunciata forent, respondit maiorem se vrbis quàm nepotum solicitudinem gerere, haudquaquam huius incolumitati, illorum capita prælaturum. Igitur rex iterata obsidione, aliam sibi munitionem per quam obsessis arctius immineret ædificat. Quoniã in absentem aduersarium sęuire non licuit, aduersum nominis eius defensores acerrimos iræ suæ conatus exacuens. Maxima siquidem potiendi castelli spes in hyemis auxilio reponebatur, aditum quem vnda negaret glacie paratura. Inter hæc iuuenis parum cognitus à nescio quibus subornatus, literas adulterinis notis obsignatas tanquam ab Eskyllo transmissas Gerardo obtulit, iubens vt per eum obsessis porrigerentur. Quas ille continuo nulla doli suspicione cõcepta, per familiarium quendam vrbi inferendas curauit. Harum series habebat maiore Eskyllum nepotis quàm vrbis charitate teneri, parumq; sibi milites placituros si rei ignohilis curam pertinacius gerendo, nobilissimi adolescentis salutem periclitari paterentur: quam ob rem iubere se exitium eius matura deditione præcurri. Quod vero superiore mandato tutelam vrbis incolumitati nepotis prę̃ferendam decreuerit, irę non deliberationis fuisse præceptum. Perlectis literis oppidani, liberandi obsidis consilium circumspiciebãt. Incertum quis commẽti huius autor extiterit, regem tamen complurium suspicio notauit. Interea rex erecto magnæ arboris trũco, ad motum obsidem, defensæ vrbis pœnas suspendio sibi luiturum simulabat. Quo audito Gerardus cum domestico religiosorum cœtu ad regem processit, ei eiulabundis vocibus deprecans municipij sibi ingressum permitti, suppliciumq; quoad inde reuerteretur differri. Rex alienissimam sibi crudelitatem simulanter amplexus, tandẽ rogatui cessit, præfatus ni vrbe potiretur obsidem periturum. Conuentis oppidanis, Gerardus quid mandati literis receperint perquirit. Vt cognouit adolescentis capiti deditione consulẽdum iuberi, parendum hortatus effecit, vt oppidani sua ac rerum incolumitate pacta, vacuum regi municipiũ traderent. Ita religiosissimi spiritus circumuenta simplicitas, finem prælio fecit. Hæc audientem Eskyllum, nihil ægrius vnquam tulisse proditum est. Qui tamen postmodum præmissa pacis legatione in Scaniam reuersus, eodem præcipitio mentis ad recuperandam regis amicitiam procurrit, quo ad deserendam prolapsus fuerat. Siquidem beneficia quæ superiores reges sacris ædibus religiosa liberalitate detulerãt, regiæ potestati præter fas potienda restituit. Quod parum licite gestum postera regũ vsurpauit autoritas. Inde ne schismatis contagio implicaretur, Hierosolymitanæ peregrinatiõis iter ingreditur, satius ratus à suis penatibus quàm à Romanæ amicitiæ liminibus exulare. Eodem tempore Christiarnus quidã adhuc priuatæ sortis, antequam Maguntiæ pontifex creatus esset Daniam legationis titulo petiuit, qui eam exhortationibus suis ad societatem Octauianæ factionis impelleret. Cæterum multæ adulationis conatibus aliqua ex parte regis conniuentiam assecutus, obseratas Eskylli aures habuit. Interea Nicolaus quidam Razi filius recenter Slesuicensium satrapa cõstitutus, cum eorum antistite Esberno inimicitijs ve-

hemẽtius geſtis, per ſummum temeritatis excurſum celeberrimum eius fundum ſpecioſiſſimo ſpoliauerat ædificio. Quod cum plauſtris deuehendum mandaſſet, à militibus Esberni deportationem inhibituris occiditur. Cuius facti pœnas Esbernus dare metuens, perinde ac curiam petiturus vltionem exilio vitauit. Sed dum apud Saxoniam moraretur, morbo periclitatus eſt. Quod audiens Otho ſedem quam olim falſo antiſtitis titulo occupauerat, Octauiani nixus autoritate recuperat. Poſt hæc Rugianis ex pacto comitatum præbentibus, caſtellum Walogustum obſidetur à rege. Quod quanquam in Sclauia ſitum foret, à communi tamen eius ditione ſecretum, proprijs ducibus regebatur. Ab huius incolis Pomeraniæ ſatrapa Bugiſlacus in auxilium euocatus, pacis magis quàm belli conſilia circunſpexit. Quam etiam pro eis apud regem hoc modo compoſuit, vt non ſolum ipſi regi parerent, ſed etiam ex piratis ſui fluminis oſtijs excedere ſuſtinerẽt, eamq; pactionem obſidibus firmarent. Illic fortè Rugianis ad concionem vocatis, cum Bernardo quodam Henrici filio, qui quod neptem regis in matrimonio habebat, duobus eum nauigijs ſecutus fuerat, iurgium incidit. Interrogati enim ab eo cur illuſtriſſimi Saxoniæ ducis gratiam amplecti ſuperuacuum ducerent, cũ ſe nullo in momento Saxonici nominis reſpectum ponere reſpondiſſent, quid virium duci eſſet breui agnituros ſubiunxit. Tunc quidam principis quẽ tanti æſtimaret potentiam floccipendentes, Bernardi percunctationem ac minas ludibrio inſectabantur. Ea altercatione per regem ſedata, Maſco quidam inter Rugianos natu atq; autoritate p̃ſtãtiſſimus, luminibus orbatus, ſed ingenij ſagacitate perſpicuus, nec annis quàm animo viuacior: Concitatioris, inquit, petulantiæ equis mos eſt, quo arctius retinentur, hoc vehementius habenas tendere. Laxentur itaq; Saxonibus freni, ne retentationis nimietate rumpantur. Siquidem & nobis ipſorum, & ipſis noſtra perquàm nota eſt virtus. Quæ vox apud ducem vulgata, inter eum ac regem ſimultatum ſeminarium fuit. Per idem tempus ſchiſmaticorum legatio, confictis iuſtitiæ argumentis, Danorum ſuffragia pertentabat. Quorum rex, aſſertionis dubius, cognoſcẽdæ veritatis gratia ſcribam ſuum Radulfum origine Britannum, lingua quàm animo promptiorem, ad Cæſarem deſtinat. A quo per ſummam venerationis ſimulationem exceptus, nõ minus ab Octauiano honorificentiæ expertus eſt, ita vt inter eos, quaſi quoddam culturæ eius litigium atq; officiorum contentio foret. Octauianus tamen cui iniquiſſimorum ſuffragiorum conſenſus, autoritatis vmbram tribuerat, Cæſarem quem maieſtate anteire videbatur, etiam adulandi comitate vincebat: nam ſacerdotem qui cum Radulfo quotidie ſacras preces decurreret, prouidit, ne diuina ab eo ſine ſocio parum celebriter agerentur. Nec officijs eum coluiſſe contentus, obſequijs beneficia ſociauit. Siquidem in re diuina agenda, anuli vſum ei indulſit, pontificalis ordinis inſigne aliquanto obſcuriori gradui tribuens. Ita neſcias dantis an accipientis beneficium ridiculoſior dementia fuerit. Huius audita legatione Cæſar, dolenter ſe diuiduæ religionis ſtatum ferre aſſeuerabat: neutri tamẽ parti acclamaturum, quoad publicum eccleſiæ decretum acceperit: tunc demum ei, quam vniuerſorũ ſententia probauerit, aſſenſurum. In cuius rei ſpeculationem, nuper à ſe totius Italiæ maiores concilij nomine contractos fuiſſe: Octauianũ æquitatis fiducia, cauſam ſuam humiliter generalis eccleſiæ iudicio ſubſtrauiſſe: Rodlandum vero prauitatis conſcientia retuſum, non ſolum contumaciter ſuperſediſſe, ſed etiã dixiſſe maiorem ſe eſſe, quàm vt cuiuſpiam cenſuræ parere debeat. Cuius controuerſiæ finiendæ gratia, terrarum reges ſecum adeſſe oportere, publicæ religionis negociũ cõmunibus ſtudijs inſpecturos. E quibus penè omnes in aduerſæ partis præſidiũ cõceſſiſſe, ſibi vero neminem ex his ſuffragiorum ſocietatem præbere. Quam ob rem ſe magnopere prudentiſſimi Danorum regis alloquium affectare, partium ſuarum moderationem eius potiſſimum ſentẽtiæ crediturum: quippe quem animi virtus, & generis ſanctitas tantæ rei iudicem depoſcant. Præterea attendendum eſſe quantum pietatis opus ederet, ſi tot animarũ ſalutem ancipiti iudicio fluctuantem, ſententiæ ſuæ ſagacitate ſeruaret. Super hæc omnia ſi tam religioſi itineris laborem ſuſcipiat, ſe ei in præmium fatigationis vnam ex Italiæ prouincijs cum totius

tius Sclauiæ præfectura daturum. Talibus Radulfum Cæsar hortamentis aggressus, non paucioraliteris quas per eum in Daniam destinarat complexus est. Regressus inde Radulphus, Cęsaris Octauianiq; charitatem in regẽ vberrimam prædicabat. Rex promptius quàm prudentius familiaris assertione susceptа, nec tam religioni consulere quàm exterarum gentium mores cognoscere auidus, petendi Cæsaris cupidinem concipit. Ea tempestate Bernardus quidam ab Octauiano legatus in Daniam profectus, pontificum suffragijs inhiabat. Verum paucorum fauore exceptus, vt vniuersos adscisceret, datis per prouinciam epistolis concilium simulat. Quod tenui frequẽtia habitum, maiore ludibrio quàm gloria celebrauit. Eo rex apud Slesuicum dimisso, eximijs Cæsaris illectionibus captus, Absaloni in i sulis excubanti propositum aperit, eumq; viæ comitem deposcit. Tunc Absalõ fidem Cæsaris astutiamq; damnando, fallaces eius promissiones fideli spe excipiendas negabat. Quinetiam sine religionis violatu familiaritatis eius vsum haberi non posse, quod schismaticæ factionis acrior quàm iustior defensor existeret. Se vero tum commeatuum inopem, tum etiam lõginquæ peregrinationis laboribus imparem memorabat. Rex quoad sibi commeatus suppeterent, ei non defuturos respondit. Absalon quantiscunq; commeatibus abundaret, haudquaquam se salutem spiritus sui neglecturum affirmat. Rex non se minus animæ suæ studiosum testatus: ob hoc maxime eius comitatum affectare respondit, vt si iustitia poscеret, per eum ab Octauianæ partis societate faceſſeret. Adhuc Absalone profectionem abnuente, publicæq; religionis hostes adeundos negante, hactenus eum à se præ cæteris cultum asseuerabat. Cuius si nunc ope deficeretur, se nihil vlterius ex eo commodi speraturum. Tunc Absalon exprobratam sibi ab eo ingratæ mentis labem iudicans: ad deserendam, inquit, tui nominis amicitiam nullis corporis periculis adduci potero. At cum de animę negocio agitur, humano timori diuinum præferre fas est. Ego vero tametsi circunstantia damna peruideam, tamen vt animæ tuę vestigium ab errore prohibeam, meam periculis implicare non metuam. Tunc rex assumpto eo, viros genere & honestate iuxta nobiles, scilicet è Sialãdia Sunonem & Esbernum, è Fionia Takam & Esgerum comites adsciuit. Burisius duntaxat, ne quid interim in patria nouaret, ex necessarijs assumptus. Nec defuere quos ex Iutia profectionis participes legeret. Attingentibus Eidoram, principis Holtsatiorum Adulfi ignotus eques obuius extitit: interrogatusq; an ipsos prosecuturus venisset, dominum suum huius rei præstandæ gratia transitum eorum in vicino præstolari denunciat. Cuius ductui fidendũ vetantibus arbitris, rex perinde ac ingenuo duce fretus, primus pontem equo transgreditur, profectionis auiditate metũ pariter monitusq; contemnens. Hunc cæteri subsequentes, sententiam suam q̃ regem deserere maluerunt. Procedentes paululum Adulfus excepit, salutatumq; regem benignissimis verbis, amicissimoq; vultu prosequitur. Cui cũ occursum suum ob vetera odia onustum magis quàm gratum sentiret, vt iram ob sequijs flecteret apud Ekeho oppidum suis eum impensis excipere statuit. Sed rege beneficium spernente, ne quis ei necessaria venditaret edixit. Tunc Danis domesticos cibos sumentibus, confectas epulas per ministros inferendos curauit: sicq; demum verecundia superatos munificentia sua vti coẽgit. Interrogatus tandem an regis processum tutari posset, posse se quidem quoad Bremam veniatur asseruit. Albia pertransito cum Bremam versum contenderetur, Esbernus profectionis stoliditatem animaduertens, quamq; vanum iter caperent non segniter contemplatus, fratrem Absalonem, aliosq; Danicæ nobilitatis proceres consilio illustres, clam cæteris accersitos obsecrat, regem arrepti itineris emensione prohibeant, quod præsertim sine duce conficiat, neq; eum tam periculosi propositi executorem existere patiantur. Quod Absalon inane tentatu iudicans, proposito regem cessurum negabat, dicendo monitorem non solum operam perditurum, sed etiam sensurum quantum odij pertinax error piæ monitioni referre soleat. Tunc Esbernus tametsi me, inquit, grauissimas monitorum pœnas euestigio daturum prænoscerem, quæ ad regis salutem pertinere deprehenderim, silẽtio dissimulare non paterer. Adestote ergo mecum, & in regis admonitionẽ si linguam abnuitis,

Offensa principis profutura suadẽdo potius contrahenda, quàm fauor aucupandus suadendo nocitura.

aures præbete. Enimuero cum honestatis periculũ obuersatur, offensam principis vtilia suadendo quàm amicitiam inaniter blandiendo contrahere malo. In his etenim melius ex reprehensione ira percipitur, quàm ex adulatione gratia conciliatur. Absalon haud fratrem rege faciliorem intelligens, cum neutrum à proposito reuocabilem cerneret, fratris tamen adeũdo rege socium gessit, si quid iræ ex dictis eius conciperetur mitigaturus: cæteris ne interesse quidem tutum ducentibus. Tunc Esbernus mirari se inquit, quo impetu rex tantum iter duce vacuus ingrederetur, suam autem patriæque salutem in vnius Cæsaris perfidis præcordijs depositurus: videri enim quod liberam gentis suæ ceruicem, nullisque Barbarorum obsequijs assuetam per fœdam & ignobilem seruitutem miserabili Theutonicorum iugo subigere cupiat. Quid autem stultius esse, quàm nullo impendente periculo vltro ad deditionem procurrere, summamq; libertatem extrema seruitute, mutare, insuper regno precario quàm potẽter præesse malle? Itaq; Cæsarem cum Daniam suę ditionis effecerit miraturum, quod tam validam gentem antè promissis superauerit q̃ armis tentauerit. Rex paucis iram exprimere solitus: quippe raras voces turbatus edere consueuerat. Et si te, inquit, adeò metus perurgeat vt viæ comes esse non audeas, me quidem trepidationis tuæ sociũ non habebis. Virtute enim quàm familia comitatior, sine te propositum exequar, nec adduci potero, vt teterrimis ignauiæ tuæ monitis cõsentire sustineã. Ita salutares Esberni monitus, regiæ festinationis impetus aspernatus est. Quos si imitari voluisset, supplices Cæsari manus deformiter non dedisset. Adeò quem temeritatis incursus transuersum abripit, rectæ rationis æstimatio deserit. Ingressos Bremam ciuitatis antistes omnibus humanitatis numeris instructissimus, clementiaq; & liberalitate cõspicuus, impensioribus hospitalitatis officijs prosequendos suscepit. Idem de ductu dando solicitatus, comitandi sibi regẽ non ductandi fas esse respõdit. Complures quoq; Saxoniæ principes quo tutius curiam peterent, regijs se sodalitatibus deuinxerunt, adeò vt de Danorum familia ac grege existere putarentur. Itaq; crescente eius comitatu, cum multitudo speciem hostilis exercitus reddere videretur, perterrefacti incolæ, cum vxoribus ac liberis diuinis semet penatibus intulerunt, à sacrarum ædium hospitijs auxilium quæsituri. Eo cõperto rex præmisit qui gentis trepidationem pacis denunciatione corrigerent, sibiq; cõmeatuum emptionem fieri iuberent. Cum ad vrbem Methis veniisset, oppidanis ob aduenarum frequentiam emendorum precia aggrauantibus, iniuriam senatui conquestus, effecit vt necessaria tum sibi, tum etiam comitatui tolerabili precio vẽderentur. Igitur synceritatis & iustitiæ eius rumore increbrescente, Germanicæ matres paruulos suos in eius aduentum offerendos curabant, ratæ eos regio contactu perinde ac cœlesti aliquo beneficio fœliciora naturæ incrementa sumpturos, ac prosperioribus educationis auspicijs nutriendos. Nec minus superstitiosi agrestes, qui iaciendorum seminum grana quo melius adolescerent, dexteræ eius disijcienda præbebant. Quo curiam ingresso, præses Saxoniæ Henricus veteris amicitiæ recordatione castra sua maiore ex parte eius aduentui cessit, hospitalitatẽq; ei suis sumptibus erogauit. Die postera Absalon cum Radulfo missus, apud Cæsarem latinæ vocis admodum rudem, per interpretem Colonienſis antistitis mandata prosequitur. At Cæsar inprimis moram regis tarditatemq; causatus, iniuriosum quod antè non venerit aiebat, asserendo eum ob regnum quod Romani imperij beneficio gerat sibi seruitiorum debitorem existere. Tunc Absalon decuisse, inquit, Cæsaris fidem vt hæc potius ante itineris ingressum regi proponeret, ad quod tantis eum promissionibus impulisset. Cæsar simulata admiratione, per quem regi promissa fecisset, interrogat. Absalon demonstrato Radulfo, hic est, inquit, qui credulam regis simplicitatem promissorum tuorum commentis illexit: eoq; negationem Cæsaris repellere non audente, seriem totius promissionis edisserit. Inficiante id Cæsare reducem regi dari deposcit. Ille plus se negocij eius reditui tributurum quàm aduentui impenderit negat. Simili modo die postero regis legatio excepta. Quo agnito, rex salutaris monitus spreti pœnitentia

Superstitiosa credulitatis, historia sanè perquàm lepida.

tia afflictus, tametsi mucronem ceruici suæ applicatum aspiceret, ante se eam ferro quàm patriam seruituti subiecturum asseuerabat. Æstuante eo opisq; modum impensius disquirente, Absalon liberationis viam à se repertam professus, non amplius illic regi quàm in patria trepidandum asseruit. Siquidem trans pontem quo Gallorum regnum à Germanico secerneretur venatiõis simulatione sæpius eum obequitare debere, ac demum cum consuetudine suspicionem vicisset, cum potiore familiæ parte aliquod è finitimis Galliæ oppidis petere, haud dubitaturum quin à rege Francorum ornatius in patriam dimitteretur. Cuius consilij executionem Cæsar arte præuenit. Siquidem vim regi inferre veritus, cum eius famulatum coactionibus impetrare nequiret, beneficio mercari tẽtauit. Vniuersos quippe Germaniæ principes sacramẽto adactos, iurare compulit se eius ditioni Sclauiam substraturos. Quod si parum perficerent, seipsum id cum primum ex Italia reuerteretur executurum spopondit, eaq; fraude ad obsequia sibi paciscẽda ambas regis manus pertraxit. Cæterũ ei non curiam communi principum more petere, non in Romani imperij præsidium copias ductare, solaq; specie, non re Cęsari parere concessum. Filio vero post eum proxime regnaturo liberum fore paternas conditiones abijcere, ne ad omnem Danorum gentem hæreditarium manaret obsequium. Cuius seruitij pudorem minuere videbatur, Gallorum ditioni in cõsimili famulatus genere Btitanniæ regis inclinata maiestas. Post hæc Octauianus vocato concilio, quàm iustis suffragijs in adipiscendo sacerdotio vsus fuerit, loquacius quàm verius astruere conabatur, Rodlandum vero honorem quem oblatum repudiasset, vetitum occupasse: seq; causam suam generali pontificum cognitioni inspiciendam præbente, illum impietatis conscientia canonicæ discretionis iudicium formidare. Præterea ad conciliandos sibi pontificum animos eorum dignitatem benignis decretorum sanctionibus adornauit, haud prius Romanam ad sedem prouocandum constituens, quàm si lis ipsorum pronunciatione finiri non posset. Finiente eo, Cæsar prouinciarum reges huius controuersiæ finiendæ gratia ad colloquium à se inuitatos dicebat, eorum sententię repugnare nefas ducturo. Quos ideo non adesse, quod in Romani imperatoris iniuriam Romæ pontificem creare cupiant, alienæ ciuitatis ius suis suffragijs administrare conantes. Post hæc Regnaldus Coloniæ vrbis antistes religionis causam dicere adorsus, quanto iniuriæ pondere Romani imperatoris æquitatem prouincialium regum temeritas attentaret, argumentando demonstrare pergebat. Nam si controuersiam in eorum ciuitatibus de põtificatu ortam, Cæsar suis suffragijs finire vellet, haud dubie id grauium iniuriarum loco ducerent, cum ipsi simile in vrbe Roma perpetrare conentur. Quam assertionem tam valido rationis præsidio subnixam putauit, vt nunc Latialiter, nũc Gallice Germaniceq; fando, ternis actionem vocibus iteraret. Sed quantum hac oratione gentis suæ fauorem illexit, tantum nostræ suffragia deturbauit. Assensis itaq; pontificibus, cum Octauianus qui sibi falsum victoris nomen inscripserat, accensis luminibus aduersum Alexandrum, eiusq; suffragatores solenni execratione vsurus videretur, Waldemarus hortãte Absalone, ne sacrilego eius facinori interesset concione excessit, aduersæq; partis iustitiã æmulatus, præsentis curiæ errorem quàm absentis rectitudinem postponere præoptauit. Cuius egressum secutus Absalon, cum ab Octauiano supersedere rogaretur, ab eius vestigijs se cuius comitandi gratia aduenerit nullo iure prohiberi perdocuit. Eoq; responso execrabili pontificum collegio liberatus, ne schismatis errore laberetur, effecit. Die postero Octauianus Liuonem Othonienſium electum, vehementer ab Absalone prohibitum, falsa põtificis vnctione prosequitur. Inde ad oppidum Bisuntium concessum est. Vbi equorũ pabulo non suppetente, regeq; emendæ eius facultatem sibi non fieri conquerente, Cæsar eum qui stabulo præerat, necessaria Danis expedire præcepit. Qui mox eorum satellitibus secum eductis in vico eminus sito, quibus egerent capienda demonstrat. Qui cum earum cõsuetudinum ignari equorum alimenta ab oppidanis inermes deposcerẽt, vocesq; suas sagittis ac iaculis repelli conspicerent, depositis precibus prælium ordiuntur.

In Romani imperatoris iniuriam Romani Papam creare cupierunt.

Capto itaq; vico, cum latius crebrescẽte fumigio facem oppidis subiectam agnoscerent, similia sibi licere rati confestim expugnationi incendiũ addiderunt. Quę res incredibili regem angore permouit. Interiectis diebus, cum Cæsar quem vindictæ modum à Maguntinis proprij pontificis interfectoribus exigere deberet in concione perquireret, Waldemarus iterata superiore querela equis annona defectis, venalium alimentorum subsidia postulabat. At Cæsar circumiacentem prouinciam coniugis suę patrimonium esse testatus, frustra eum emptu affectare dicebat, quod raptu petere licuisset. Contra Waldemarus regem se non prædonem esse proclamans, commeatus latrocinio quæsiturum negabat, aut quod domi iniquum duxerit apud exteros approbaturum. Quanquam enim eiusmodi violentia necessitate excusabilis videretur, permissis vti passus nõ est, ne domesticæ æquitatis mansuetudinem peregrina austeritate corrumperet. Cuius sanctitatem vniuersi Germaniæ principes maximo plausu cõprobantes, seq; mutua admiratione inuicem contuentes, beatos aiebant quos tanti viri integritas regendos curaret. Qua laude tacitum morum suorum vituperium ediderunt. Dimisso itaq; rege, Cæsarem Henricus hortari cœpit redituro regi impensas expediat, neque eum hospitalitatis suæ expertem dimittat, cuius patria quasi commune aduenarum hospitium existere soleat. Quod Cæsar facile pollicitus parum executus est. Pontifex vero Maguntinus humanitatis specimẽ maioribus experimentis quàm promissis exhibuit, geminæ pernoctationis impensis regium iter excipiens. In Hẽrico quoque crebris regem commeatibus prosequente, clarum amicitiarum indicium patuit. Lodouicus autem Thuringiæ princeps, non solum liberalitate vacuus sed etiam habendi cupiditate refertus, impudenti precatione effecit, vt equus regis sibi daretur. Post hæc Adolfus Holsatiorum præfectus, Absalonis officio primum amicus regis, mox miles solenni fidei datione effectus, obsequiorum principium officijs hospitalitatis expleuit. Ita patriæ parens prosperum reditum emensus, exoptatam aduentus sui copiam ouantibus ciuium animis obtulit. Insignem hunc annum filij eius Kanuti ex Sophia suscepti natalis effecit: qui etiam pontificali Absalonis ministerio, stato lauacri tempore regenerationis sacramenta suscepit. Quod religiosæ executionis officium, Sueonum ducis Guthormi, qui neptem Waldemari eorundem regi Karolo despõsam abducendi causa legationem attuletat, præsentia venustabat. Peridem fortè tempus Noruagiensium legati regem petiuerant, obsecrantes vt Noruagiæ regimen tot ciuilibus bellis corruptum, ac teterrima tyrannorum dominatione distractum, iámque exsangue & ruinæ propinquum eius occupatores incessendo tentaret. Et quoniam externa nostris hoc loco connexa sunt, quædam de re Noruagica summatim cognosse fastidio non sit. Siuardus quidam summæ audaciæ post multa & præclara facinora bellis edita, ab Haraldo Hybernienſi cuius hostis extiterat interceptus, cum naui in alto mergendus veheretur, quasi funus suum inferijs præcessurus, empta de industria potione remiges onerauit. Quibus exhilaratis, gubernandi potestatem supremi beneficij loco popoſcit. Ea re impetrata nautas impensius edere remigium hortatus, cum vehementissimum nauigij cursum animaduerteret, proiecto gubernaculo præceps vndas insiluit, priúsque se littori quàm concitata ratis impetum correxisset restituit. Ita & suo acumine & hostium socordia seruatus, periculóque cui destinabatur ereptus, Haraldum amandi gratia noctu castra latenter egressum, in amplexu pellicis per insidias interfecit: dantem pœnas, & sibi quem ceperat, & Magno quem regno luminibúsque priuauerat. Igitur vt belli titulum apprehenderet, ipsum protinus Magnum monachalibus septis abstractum, tametsi virilibus careret virum induere perpulit, deiectámque regis fortunam ad pristinum regni fastigium erigere statuit, ne deesset cuius auctoritate & titulo bellum aduersum Haraldi sobolem susciperetur. Huius itaq; nomine & auspicijs fretus, cum tribus Haraldi filijs, Ingone & Siuardo, & Osteno paternum regnum affectantibus, nauali certamine dimicauit. In quo partim cæsis, partim fugientibus socijs, incredibili & præstantiori humanis viribus fortitudine solus aliquandiu nauigium ab hostibus vindicauit. Ad vltimum compluribus eorum

Lodouicus Thuringiæ rex non duntaxat illiberalis, verumetiam simul auarus extitit.

rum proſtratis, omniq; ſuperſtitum multitudine ad ſe vnum opprimendũ vndiq; concurrente ſingulari nandi peritia fretus, quãquam hybernum tempus inſtabat armis militaribus tectus profundo ſe credidit. Atq; ſub vndis quas hoſtiũ cruore conſperſerat, enatans, dubium effecit maioris audaciæ ſpecimen in puppi præbu erit, an inter vndas agilitatis ediderit. Siquidẽ loricam qua corpus munierat quò liberius enaret cum reliqua armatura ſub vndis ſibi detraxit, ac demum cum capeſſendi ſpiraculi gratia fluctibus emerſiſſet, à quodam familiari ſuo per habitum hoſtibus indicatus, tunicã qua ſe prodi ſuſpicabatur rurſum corpus aquis occultando depoſuit. Sed cum ne ſic quidem proditoris notitiam fefelliſſet, ad extremum ſuprema ſe veſte nudauit. Nec adhuc tamen indice ludificato, cum ſolus ex ſocijs ſupereſſet, ſeq; hæc omnia quæ & callide & animoſe tẽtauerat fruſtra expertum animaduerteret, tandẽ fati ſimulatione profundo diutius immorãs, inſidiatoribus an viueret dubiũ reliquit. Ad vltimum cum humanæ reſpirationis conſuetudine ſupernè aërem capeſſere debuiſſet, cuiuſdam fortè nauigij gubernaculum pertinaciſſimis brachiorũ amplexibus apprehendit, eiq; aliquãdiu tacitus inhæſit. Plura tamen elapſionis genera animi firmitate tentaſſet, ſi non eum hyberni frigoris ſæuitia obſtupefactum corporis robur deſeruiſſet. Tandem cuiuſdã altũ curioſius contemplantis indicio deprehenſus, intercipitur, interceptus vincitur, & in concionem hoſtili ſententia damnandus abſtrahitur. Vbi nemine ſacerdotũ adhibito, qui delictorum eius confeſſionem exciperet, eam aſtantibus modo quo licuit explicauit, præfatus ſe emendationem ab eis decretam pœnitẽtiæ nomine prębiturum: memor ſanè ſacerdotali copia non ſuppetente, & ad priuatorũ cognitionem commiſſa referre licere. Magno quoq; quem Haraldus Hybernienſis patrẽ adſciuerat ſe genitum memorabat. A cuius generoſiſſimo ſpiritu etiam inter adhibita ſibi ſupplicia non deſciuit. Primo ſiquidẽ verberibus affectus, ac deinde malleorum ictibus artuatim contuſus, ſcilicet vt à cũctis corporis partibus pœnæ exactæ viderentur, non gemitum, non ſuſpirium edidit, non ſupplicẽ aut triſtem vocem emiſit. Denique nullum doloris indicium præbuit, ſed quaſi in ocio Pſalterium relegens, inter ſacras preces & ſolennium verborum nuncupationem ſpiritum poſuit. Fœlices profecto religionis alumni forent, ſi cuncti eo animo mortẽ amplecterentur, quo eam vir bellicus amplexatus eſt. Fuerit ille inſidioſus, pacem patriæ corruperit, bellumq; ciuibus intulerit, fortitudini tamen eius impunitas ab hoſtibus donanda fuerat. Sed homines vindictæ cupidi plus ſuas vlciſci moleſtias, quàm alienæ virtutis inſignia venerari meminerant: nec in viuum ſæuiſſe cõtenti, tanquam parum eius exitio ſatiati mox extinctum patibulo ſuffixerunt: eadem crudelitate fatum prementes qua ſpiritum torſerant. Nihilq; à ſe actum exiſtimantes, ſi ſæuitiam ſuam ſaltem ab vmbris & cineribus continuiſſent. At Magnus eodẽ prælio quod à Siuardo ſub eius auſpicijs geſtum fuerat periclitatus eſt. Quem prius oculis deinde vita priuatum, bis luce defunctum crediderim. Poſt hæc ſumma penes Haraldi filios fuit. Equibus Ingo duntaxat iuſto matrimonio ortus, fratribus quorum alter Noruagica, alter Hybernienſi pellice editus fuerat, vt ingenuitatis ita & morum ornamẽtis præſtabat. Erat enim omnibus honeſtatis numeris inſtructiſſimus, cum eorum alter auaritiæ maculis reſperſus, alter luxuriæ ſordibus obſitus haberetur. Sed infantiæ ſuæ tempore per incuriã nutricis fortè ſinu delapſus, ita humo inflictus eſt, vt confracto dorſo reliquum vitæ tempus gibbo oneratus exigeret. In quo quidem homine excellentis animi venuſtatem, corporis deformitate affecti ludibrio fœdatam putares, neq; diſcernere queas, maius fortunæ beneficium receperit, an opprobrium ſenſerit. Contigit autem vt eius ſatellites apud Berginum oppidum iurgio cum Siuardi militibus habito, dum ſocij ab eis occiſi pœnas inſtantius expetunt, non interfectores modò, ſed ipſum Siuardum ſęuiſſimę conſternationis furijs concitati, per vim & ſeditionem appeterent, eumq; in ædem fugere coactum conuulſis tabernaculi clauſtris raptũ trucidarent, homicidium ſpecie, re vera coniugum ſuarum prius ab ipſo conſtupratarum contumeliam vlciſcentes. Cuius rei nuncio, Oſtenus cum claſſe Berginum peteret per obuios accepto, petendi fratris quàm cauẽdi cupidior, nihilomi-

Is, in quem vsuentem ſæuitiã fuerat, mortuus de patibulo ſuſpenditur.

nus ad eum proceſſit. A quo cum debitam ſui regni partem negari animaduerteret, paucis eum affatus diſceſſit: uultuque fidem promittens, ſed perempti fratris exemplo perire metuens, fugæ ſe quam noui ſceleris autoribus offerre maluit. Quem Siuardi interfectores priori facinore parum cõtenti, Ingonis æmulum iudicantes, naualem fugam terreſtri mutare cõpulſum, ſed eam ob nimiam corporis ſaginam lentius exequentem propter littus peditem occiderunt, duobus regni participibus ſublatis, à ſuperſtite dignitatis & ſtipendiorum incremẽta ſperantes. Quorum ſceleſta fames in tantorum ducum cladem eſuriens, vixq; gemino exatiata parricidio, ab Haquino quodam paternæ cædis vltionem petente, poſtmodum vindicata eſt. Siquidem trium fortuna, ad vnum Ingonem per vim & facinus redacta, non ſuſtinuerunt Amundus Simonis filius, & Philippus, alijq; complures inſignis induſtriæ viri, regnum ei quod partim proprio, partim alieno ſcelere, quæſiuiſſet, tutum intentatumq; perſiſtere. Indignum quoq; compluribus viſum vt homini ridiculas corporis notas habẽti, liberum regnandi locum militum ſuorum conciliaret impietas. Quapropter Haquinũ, quem dixi, factionis ſuæ ducem creantes, eiusq; tyrocinium regio nomine venuſtantes, bellũ aduerſum Ingonẽ decernunt, & quaſi Siuardi vel Oſteni manes vlturi, crebro pugnam cum hoſtibus ineunt. Verum pluribus continuis prælijs ſubacti, in Suetiam tandem cum pupillo diffugiunt. Quos Ingo prope Sialandiam fugandi ſtudio ſubſecutus, magna hoſtium parte propinquas pelago ſyluas petente, Abſalonem per legatos ſolli citat, eos qui in littoralia nemora profugerant, prendendos curaret. Quod Abſalon honeſtate ſua ac dignitate indignum iudicans, parum precibus obtemperauit. Appetente hyeme qui cum Haquino profugerant patriam repetere adorſi, tanquam fortunam loco mutaturi, prælio in hyberna glacie conſerto, Gregorium ſummæ poſt regem dignitatis virum, manu & conſilio promptum, in quo ſpes & fiducia Ingonis quaſi quodam cardine nitebatur, non minus acumine quam viribus vſi, cum omnibus copijs deleuerunt. Siquidem in eam glaciei partem cuius firmitatem nocturnis exciſionibus debilitauerant, prælij tempore protractos, hoſtes profundum petere coëgerũt. In quorum morte Ingo maximam ſpei partem depoſuit, nec ſecus animo quàm viribus fractus, exitioſum ſibi fidiſſimi fautoris Gregorij interitũ ominatus eſt. Tãdem inſtaurato bello ſed adhuc eodem aquarum habitu perſiſtente, nihilo fœlicius Gregorio glacialis elementi fortunam tentauit. Siquidem gelato mari in pugnæ locum electo, dum eius duritia quaſi camporum firmitate gauderet, quanquam militum numero præſtaret, cum omnibus pene copijs interemptus eſt: luensq; pœnas ſeu admiſſi, ſeu tolerati parricidij fraterni, vmbris piacula exoluit. Hoc bello quo nullum maius aut cruentius Noruagia habuit, vniuerſum regni illius columen propemodum à ſtirpe interijt. Huius cladis ſuperſtes Erlingus, cum filio ſuo Magno admodum paruulo, ſed ad Waldemarum ortam materni generis propinquitatem habente ad Iutiam appulit, ibiq; in ſumma regis dignatione verſatus, vberes exilij impenſas, & ampliſſima commeatuum inſtrumenta percepit. Interea Siuardus quidam per ſummam commilitonum inuidiam fortitudinis præmiũ recepturus, dux ab Haquino conſtituitur, idq; ægre ferentibus cæteris ſummæ ſeditioni locum dediſſet, ni Erlingus repẽte è Dania ſuperueniens internæ factionis certamen rumpendo, nouum hoſtibus negocium peperiſſet. Quippe prædictum filium quod maternum genus cum priſcis Noruagiæ regibus communicaret, regem continuò nominauit, ne aut Haquino æmulus, aut Ingoni vltor deeſſet. Ita nouis rebus increbreſcentibus, Haquinus à Siuardo quod ei impenſas belli negaſſet, deſeritur, aciéque cum Magno congreſſus occiditur. Siuardus ad Suetiam dilapſus, dum interiectis diebus in patriam reuertitur, ab Erlingi militibus interficitur. Quo euenit, vt obſcura & ignobili cæde ſpiritum deponeret, quem honeſte in acie profundere noluiſſet. At qui ex Haquini militia ſuperfuerant, partim nouarum rerum cupiditate, partim hoſtium fortunæ inuidia accenſi, Marci cuiuſdam alumnum optimæ ſpei puerum in regem adſciſcunt, nec fœlicius quàm proxime fortunam tentarunt. Siquidem prælio ab Erlingo obtriti, victoria pariter ac rege priuati, ad Karolum

Siuardus, qui in prælio honeſte mori potuerat, paulo poſt à quibuſdam militibus ignominioſe trucidatur.

Suetiæ

Suetiæ regem profugiunt, ipſumq; belli ducem expoſcunt, cui cum Noruagiæ rebus etiam aliqua neceſſitudinis communio videbatur. A quo diu promiſſorum alacritate protracti, poſtquam eum magis de proprio regno ſeruando, quàm alieno obtinendo ſolicitum compererunt, legatos ad Waldemarum auxilium implorantes miſere. Tandem ipſi benignioribus reſponſis inuitati venere. Quos cum rex ſupplices recepiſſet, ſeq; per eos Noruagiæ petitione promiſſa ſedulo ſolicitari animaduerteret, tantum belli pondus ſola legatorum adhortatione ſuſcipere ſtolidum ratus, prius popularium animos tacitis legationibus tentauit. Poſtquam eorum mentes legatorum vocibus conſentaneas repperit, abſque cunctatione expeditionem inſtituit. Quo audito Erlingus, quàm longiſſimo receſſu potuit abſtruſas Noruagiæ partes petiuit, extremóſque patriæ fines fuga amplecti, quàm primos armis tueri tutius exiſtimauit. Pauca ſiquidem nauigia ſed habilia, fugæq; quàm prælio commodiora parauerat. Quo euenit, vt regis aduentus formidoloſus Erlingi fautoribus, hoſtibus acceptabilis haberetur. Itaque Waldemaro conſultationem cum amicis habente, quidam poſtpoſitis omnibus hoſtes ocyſſimè perſequendos, alij prius plebis fauorem conciliandũ, auxiliáq; populariũ contrahenda docebãt. Sed accelerationis conſilium, tarditatis ſentẽtiã ſuperauit. Igitur Waldemarus ingentem regionis partem proſpere permenſus, magnaq; plebis alacritate receptus, cum ad vrbem Sarpam veniſſet, nomen regium à Wicẽſibus ſibi decretum ſuſcepit, ibiq; cum popularibus concionem per ſummam verborũ concordiam habuit. Quod ſi omiſſis alijs inſequendis hoſtibus operam præbuiſſet, haud dubie regno Danico Noricum coniunxiſſet. Inde ad oppidum Tunſbergum nauigatione progreſſus, paucis Erlingi ſtudioſioribus in editam rupem ſalutis cauſa confugientibus, religionem ſęuitię præferens, vicum incendere paſſus non eſt, ne ſacras ædes priuatis penatibus interſitas, communibus flammis abſumeret. Nemo tamen pontificum quorum ea tempeſtate ingens apud Noruagiam autoritas erat, eum adire ſuſtinuit: quod quidem eos potius patriæ, quàm Erlingo tribuiſſe crediderim. Ormo vt quem regis germanum cognominabant, petito Waldemaro ſalua fide quam Magno dediſſet, obſequia pollicetur. Tandem ob inediam tractu temporis obortam, cum rex defectam impenſis expeditionem remitteret, Noruagienſium qui ad eum tranſierant multitudo pœnæ metu cum ipſo diſceſſit, diuq; partim regijs, partim principum impenſis exilium ſuſtentauit. Poſtea rex orientalium Sclauorum ſibi virium fiducia rebellantium defectionem expertus, cum Henrico Saxoniæ ſatrapa belli ſocietate condicta, quo firmius amicitię necterentur, filiam eius ex coniuge poſtmodum repudiata ſuſceptam adhuc incunabulis vtentem, filio Kanuto primum ætatis annum agenti ſponſam adſciuit. Itaque Henrico terreſtri apparatu exercitum inſtruente, ipſe in claſſem collatus cum apud Rugiam perueniſſet, auxilia ab incolis amicitiam ſuam dubia fide ſecutis, per Abſalonem contrahenda curauit. Deinde ne Henrico tardius occurreret, eumq; promiſſo fraudaret, ad Penum fluuium ocyſſime nauigationis curſum direxit. Abſalon quanquam adhuc Rugianorum pactio paucorum obſidum pignore niteretur, eorum concionem ingreſſus atque inter ipſos honoratiſſimo ſedendi loco ſuſceptus, cum legationis mandata proferret, eámque Danicę vocis ignaris per interpretem explicaret, accidit vt quidam è Rugianis adoleſcens Sclauico ingenio, Dani militis equum pro quo ſe precium numeraturum fingebat, veluti inceſſus eius experiendi cauſa conſcendens, fugam tentaret. Quod cum Abſalon ad ſe perlatum in concione proponeret, vniuerſa populi multitudo magnũ fidei ſuæ crimen vnius hominis perfidia allatum iudicans, ſimilem furori impetum confeſſa diſſiluit, autorémque fraudis raptim inſequi properauit. Igitur Abſalonis comitibus ad metum & ſtuporem vſque ſubitum vulgi concurſum miranibus, pauci qui adoleſcentem affinitate tangebant, plus priuata charitate quàm publico rubore permoti, ſupplices Abſalonis genibus aduoluuntur, equi reſtitutionem polliciti, ſi modo per eum ab incœpto concio reuocetur. Quorum Abſalon permixtas precibus lachrymas miſeratus, miſſis qui plebem pacarẽt tumultum compeſcuit, conſternationem ſedauit, equóque protinus reddito, militem

ſuum ſtultitiæ damnauit, quod per inertiam & ſtoliditatem raptori ſe circumueniendum dediſſet. Deinde gentis rege Tetiſzlauo claſſis ſupplementum pollicito, regem ſubſequi maturauit. Interea Henricus Holſatiorum principem Adolfum cum Henrico Razaburgenſi, præfectúmque Swerini oppidi Guncellinum, quod nuper à Saxonibus in poteſtatem redactum ius & formam ciuitatis accepe rat, necnon Regnaldum quendam parum origine liberum, opibúſque quàm genere clariorem, cum inſigni copiarum parte præmittit, expeditum ſibi tranſitum paraturos. Quorum ingreſſum Sclaui cum partim fama, partim experimento co gnouiſſent, cum parte hoſtium confligere quàm vniuerſos aggredi maluerunt, multum ex eorum robore, ſi præuios oppreſiſſent, defluxurum credentes. Cumq; ſumma cura ac flagrantiſſimo ſtudio ad eos opprimendos contenderent, dæmonem horrendæ formæ ſuperne verticibus imminentem videre. Quo monſtro tan quam diuinitus dati ducis aduentu firmati, ſumptis victoriæ auſpicijs, ex improuiſo hoſtium ſe caſtris immergunt, eóſque imparatos confodiunt. Adolfus & Regnaldus in ipſo caſtrorum aditu interfecti, neglectæ militaris prudentiæ pœnas ſanguine perſoluerunt. Quibus prima cæde proſtratis, Guncellinus & Henricus medijs irruentium globis elapſi, correptis aquilis ad ſe fugientium ſociorum reliquias contraxere, ac demum hoſtes prædæ incubantes audacter adorti, fugam victoria mutauere. Ita Saxones quanquam improuidi bellum tentaſſent, maiorem cladem geſſerint an acceperint virtute dubium reliquere. Quo accepto Henricus ſuorum cædibus, vt par erat, permotus, exigendæ vindictæ ſtudio ad obſidionem Deminæ vrbis quantacunque potuit celeritate contendit. Quam poſtquã vltro ab incolis obuſtam comperit, vt vniuerſa ipſius monimenta ſubrueret, reliquias mœnium ſolo exæquari præcepit. Et quoniam in homines graſſari non licuit, tanquam à rebus mutis ſupplicium exacturus vrbem Cozcouam ſimili incolarum trepidatione deſertam, cremandam curauit. Walogoſtini quoque finitimarum vrbium quarum excidio terrebantur exemplum ſecuti, clandeſtino traiectu fluminis cum vxoribus ac liberis municipium deſerunt, penates duntaxat rebus vacuos hoſtili fæuitiæ relicturi. Quorum vrbem rex nullo negocio interceptam, militibus ac ſtipendijs inſtruit, eámque Wethemanno piratæ curandam committit. Ornenſes quoque plus ex aliarum vrbium fortuna timoris quàm ex ſuis mœnibus fiduciæ capientes, vt ſibi vicinarum ciuitatum quarum formidinem ſequebantur exemplo conſulerent, vrbem ne ab hoſtibus coli poſſet, deſertam incendunt, penates ſuos igni quàm hoſti relinquere præoptantes. Tunc rex ponte qui medium amnem ſecare videbatur abrupto, ſublatisq; cæteris nauigationis obſtaculis, ad Stolpam vicum proceſſit, vbi & ducem poſtmodum obuium habuit. Igitur ne Walogoſtum eodem exemplo deſertum quo captum poſt diſceſſum ſuum hoſtibus redderetur, præſertim Danos ſi eo fruerentur, ſempiternum Sclauiæ imperium habituros exiſtimans, Abſalonem, Buriſium, Suenonémque tunc Aruſij pontificatu inſignem, eius municipes efficere ſtatuit, quibus & filium Chriſtopho rum ſociauit, quo plus à cæteris in auxilio ſuo fiduciæ reponeretur. Qui cum amicos & neceſſarios in muneris conſortionem adſciſcere iuberetur, Sialandenſibus duntaxat Abſaloni præſidij ſocietatem ſpondentibus, reliquis ob imminentis periculi magnitudinẽ, nec animus ad reſiſtendũ, nec comites ſuppetebant, quãquã tota claſſis & alimenta ſua cum eis cõmunicare, & vicinas ſegetes publico officio in eorũ horrea cõportare decreuerat. Quippe fruges meſſore exercitu reſiduorum vſibus adigi iubebatur. Ita rex cõſilij caſſus, cum neq; pugnãdi copia, neq; pactio vlla ab hoſtibus fieret, vafro ingenio excogitauit, qualiter eos ad alterutrum horum præſtandũ impelleret. Siquidẽ Abſalõ tacitis mandatis præcepit, vt palos in amne defixos, cæteraq; nauigationis impedimenta magna remigum cura ſublegeret, veluti toti claſſi tranſitum paraturus. Ita demum fluuio obſtaculis vacuefacto, cum progreſſam claſſem anguſtior alueus excepiſſet, complures à Sclauis vtriq; ripæ inequitantibus comminus ſauciabantur. Quã hoſtilis audacię petulantiam Petrus Eliui filius animi virtute nõ ſuſtinens, protinus cum remigibus naue deſili-

Dæmon horrẽdæ formæ conſpectus.

desiliuit, hostesq; strenue propulsatos ripa cedere coëgit. Tandem comitum ignauia desertus, sociorum nauigationem fato suo incolumem præstitit. Itaq; rex non solum expertem metus progressum habuit, sed etiam Henricum cum toto exercitu consertis arctius nauigijs tanquam ponte traiecit. Quo agnito Sclaui reliquarum vrbium excidium formidantes, præcurrendi periculi studio pacis quam ante contempserant, Waldemaro obsides offerebãt, quos se Henrico nullo pacto daturos dicebant. At rex sine militiæ socio cum hostibus paciscifraudulentum existimans, per Thorbernum Henrico quæ ab hostibus offerrentur, enunciat. Quo se conditionibus ab eo factis libenter vsurum asseuerante, pactum cum hostibus habuit, vt Walogosti dominio trifariam diuiso, pars vna Tetislauo, reliqua Kazimaro, tertia Nucleti filio Prislauo vendicaretur, piratisq; prædam Danicã appetere solitis, Peni fluminis ostia clauderentur: Henrico quoq; munitionum quas apud Sclauiã obtinuisset, incolumis possessio permaneret. Post cuius discessum comites Kazimari exterorum societatem acrius perosi, sed viribus agere nõ ausi, Rugianos assiduis furtis vexatos, ac per latrocinia ad paupertatem & inediam vsq; redactos, cõmuni vrbe excedere compulerunt. Piraticæ quoq; licentiã tribuere, modisq; compluribus ictum fœdus rupere. Postmodũ Rugianis recepta per Henricum fiducia, palàm aduersum Danos inimicitias profitentibus, rex nõ minorem in amico perfidiam, quàm in hostibus leuitatem expertus, Arkon prouinciã verna expeditione petitam, incendio populatus est. Inde ad portũ, Por ab incolis vocitatum, cursum direxit. Siquidem ne cum vniuersis Rugianis manum acie conscereret, separatim eos attentandos existimans, Absalonem nocturna nauigatione Ziudram præcedere iubet. Quem vt continuo subsequeretur, curiose discessionis eius tempus à vigilibus obseruari præcepit. Quibus somni delitias imperio præferentibus, Absalon absq; regio comitatu progressus, non solum Zyudram, sed etiã agros vicosq; ei confines, partim igni, partim ferro vastauit. Cuius equites duo cõtentione prius habita vter audacia præstaret, cum ad militarem operam edẽdam fortitudinis æmulatione pari impetu raperentur, hostesq; cuidã forte stagno adactos cimbis fugam petere animaduerterent, plus eis persequendis quàm suis periculis dispiciendis intenti, ne alter alterum virtute forte præcurreret, ambo cum contemptu spiritus stimulatos calcaribus equos in profundum egerunt, armorũ haud memores, quorum obruti pondere perierunt. Ita temeritatis vindex elemẽtum viris gloriæ quàm salutis studiosioribus in exitium suum ruentibus, fatum pariter ac tumulum ministrauit. Interea Absalon prouinciam rapinis pariter, incendijsq; permensus, cum ingentem prædam & opima spolia referendo naues repetere statuisset, magnam hostium manum subsequi conspicatus, vltra bina vada admodum transitu difficilia de industria cedere voluit, vt eos formidinis simulatione protractos, locorumq; tandem difficultatibus implicatos opprimeret. Quorum primum Sclaui libero itinere transgressi, circa reliquum redeundi diffidentia constiterunt. Eodem fere momenti spacio duo pedites Sialandenses ingentẽ prædæ fascem gestantes, errore locorum in ipsum penè Sclauorum exercitum incíderunt. Qui cum à duobus eorum equitibus appeterentur, quanquam tutò vadum transgredi poterant, ne recessum per ignauiam quærere viderentur, hostibus resistere quàm socios accedere maluerunt, deforme existimantes ab ijs quos numero æquarent, audacia superari. Itaque quo magis expeditos se redderent, presso vestigio, proiectoq; fasce, enses destringunt. Quorum constantiæ & virtuti fortuna debitam incolumitatem concessit. Siquidem equitum neutro procedere audente, resumpto fasce cœptum iter carpserunt. Cúmque rursum Sclaui bini equites ad eos opprimendos misissent, eorum incursum eadem animi præsentia repulere. Quo facto tam hostium quàm ciuium in se admirationem vertere, magnumq; illis ruborem, his inter metum & lætitiam hæsitantibus peperere. A sex tandem equitibus attentati, inuariabili mentis habitu perstitere, tanquam hostium ignauiæ plenis fortitudinis animis insultantes. Nec defuit Absaloni prompta mens ad opem eorum virtuti fiduciæq; præstandam. Siquidem tot suorum equitum quot hostilium animaduerteret, eis pro supplemento transmisit. Sclaui

quoque ſuorum paucitatem certatim numeroſis militum præſidijs proſequeban
tur. Itaque ſupplementis vtrinque tanquam ex pari creſcentibus, equitibusq; ve-
luti ad militiæ ſpectaculum ediuerſo conuenientibus, Sialandenſes vlteriorē ho-
ſtium petulantiam inſpectare non paſſi, vniuerſa acie eis occurrunt. Quorum fu
gam vadis impedientibus longum inſequi nequeūtes, maiorem equorum quàm
hominum ſtragem egerunt. Cumq; iter ad naues reflecterent, remigum ſuorum
aciem armis pariter ac ſignis inſtructam obuiam habuerunt, quàm ad auxilia ſoci
is ferenda fortuito nuntio monita virtus adduxerat. Hi profecto cum Abſalone
victorię gloriam communicauerunt, cui ſe ſponte virtutis ſocios obtulerunt. In-
terea rex ſeris vigilum monitis excitatus, omiſſę nauigationis moram prępropera
feſtinatione diſcuſſit. Qui cum viſis Sialandenſibus populandi gratia ad littus ap
pellere voluiſſet, ab Abſalone nihil hoſtilis prædæ quod eius rapinis pateat ſuper-
eſſe perdoctus, magnopere gratulatus eſt quod tam parua manus nihilo languidi-
us quàm ſi ipſe adeſſet rem proprijs geſſiſſet auſpicijs. Hinc cum alios inſulæ fines
armis ignique tentaſſet, domum conceſſit. Rurſum circa autumni principia claſ-
ſe regreſſus, primam vaſtandis agris operam dedit, vt ſegete conſumpta, incolas
muniendarum vrbium inſtrumento priuaret. Cum ad vrbem Arkon ſparſo mi-
litiæ genere peruenisſet, oppidani fiducia virium portam (quam vrbs vnicam ha-
bebat) egreſſi, ne virtutem ſuam intra mœnia cohiberent, obuiam proceſſerunt.
Quos rex Danis ex conſulto cedentibus, longius mœnibus amouere conatus,
poſtquam ſperato cautiores animaduertit, incurſatos vrbem repetere coēgit. Por
ta tamen ne equi iaculis confoderentur abſtinuit. Tunc Sialandenſis eques Ni-
colaus forma & virtute præcipuus, telo per portam iniecto quendam ex hoſtibus
in aditu reſiſtentibus exanimem proſtrauit, innocuusq; reflexo protinus equo di
ſceſſit. Cuius facinus Thorbernus inter præcipuos Sialandiæ equites numeran-
dus, pari audacia ſed diſpari fortuna æmulatus, cum vnum ex hoſtibus directa in
globum lancea vulneraſſet, reditúmque reflexis habenis tentaſſet, ita lapide ictus
eſt, vt multus è capite cruor profunderetur. Quam ob rem longa corporis debi-
litate contracta, ſeram incolumitatem ægre recuperauit. Buriſius quoque dum
nobilitatis ſuæ ſplendorem conſpicuis virtutis operibus æquare nititur, ſimili au-
daciæ genere portæ propugnatores adortus, tam aſperum ſaxi ictum capite exce-
pit, vt penè equo exanimis delaberetur. Cui corporis viribus carenti, ſocio-
rum interuentus ne ab hoſtibus opprimeretur auxilio fuit. Quo euenit vt Ru-
giani haudquaquam ſibi tutò extra mœnia dimicaturi viderentur, intra quæ tam
obſtinatam hoſtium præſentiam experiebantur. Inde ad prouinciam Aſmo-
dam tota claſſe conceſſum. Abſalon cum & fortitudine & prima rei bellicæ pe-
titia vigeret, accedente exercitu primi agminis ducem, reuertente extremi co-
mitem agere conſueuerat, ſempérque Danicæ iuuentutis promptiſſimos ſeu
prædæ, ſeu gloriæ ſtudio ſodales habebat, rege duntaxat cum robuſtiore exer-
citus parte graui & compoſito militiæ genere paulatim procedere ſolito. Itaque
pugnandi copia nuſquam accepta, magnam regionis partem permenſus, tandem
equeſtrem manum prædandi gratia ſpargi permiſit, paucosq; ſecum in comitatu
reſiduos habuit. Illic forte nuncio de ſociorum concluſione ſuſcepto, quam ſine
ſuccurſu poſſe effugere negabantur, eorū ſaluti quoad milites reuocarentur adeſ-
ſe non diſtulit, neq; ſibi comitum paucitatem quo minus concluſos peteret obſta
re permiſit. Sed protinus primipilo ſigna attollere iuſſo, pleno fiduciæ ſpiritu lo-
cum, in quo continebantur, acceſſit: eoq; feſtinationis ſigno peroſus prædā, equi-
tes ad ſe contraxit. Quem tanta fiducia ceperat, vt plus remedij in celeritate
quàm in ſocijs duceret. Cuius aduentum Sialandenſes qui intra difficilium loco-
rum anguſtias arctabantur, experti imminentis auxilij fiducia, eos à quibus ob-
ſidebantur incurſare cœperunt, ne periculum aliena virtute propulſare videren
tur. Itaque Sclauis partim ſolido, partim aquoſo itinere delabentibus, Eſkyllus ani
mi & generis nobiliſſimus eques militaribus armis prægrauis, vnum ex eis iner-
mem per paluſtria loca citato curſu fugientem pedibus inſecutus, illius veſti-
gijs limi mollitie ſubſidentibus, nec voraginum illuuie, nec armorum onere de-

Audaciæ pari diſpar ſæpiſſime fortuna reſpondere ſolet.

preſ-

preſſus, facilem currendi euentum habuit. Quinetiam occupatum Barbarum capite ſpoliauit. Ac tunc demum ne plantis quidem cœno infectis, ſolidam humum repetijt. Quod factum religioſa admiratione prædignum, non pedum agilitate ſed diuino beneficio editum, potius cœleſti miraculo, quàm humanæ virtuti imputare debemus. Poſt hæc vicis per militum manum vndique deflagratis, etiam ad Gorum promontorium longinquæ excurſationis incendia proferuntur. Tunc ſe Rugiani contrahendi à Saxonibus auxilij ſpe fraudatos experti, quatuor obſidibus præbitis, apud Strelam inſulam pacem à rege pecunia quæſiuerunt. Itaque principibus graues periculorum motus, & difficilia rei Danicæ tempora attendentibus, filio Waldemari Kanuto regios honores decernere placuit, qui non ſolum paternæ maieſtatis futurus poſſeſſor, ſed etiam præſens dignitatis ſocius noſceretur, vt haberent proceres ad cuius nomen titulumque decurrerent, ſi quid de regis capite fortuna variaret. Quorum prudentia rex ac beneuolentia delectatus, probata ſententia regni maieſtatem cum ſanguine ſuo participare, non damnum honoris, ſed claritatis incrementum putauit, primatumq; voces ad regium nomen filio deferendum concionando perduxit. Qua de re vniuerſi exercitus cõſenſu habito, Buriſius dũtaxat, ſiue tacita regni affectatione, ſiue rei nouitate permotus, nullam penè vocem ſuffragijs attulit. Qui cum ob hoc ſe regi ſuſpectũ eſſe ſentiret, taciturnitatem ſuam non odij ſed amoris indicem affirmabat, quod Daniæ regnum à pluribus amice participatũ eſſe memoriæ & crebra antiquitatis experimenta ſint, inter patrem & filium de rerum dominio bellum creuiſſe. Verum tamen ſe ſi regię voluntatis pręſcius fuiſſet, ſilentium non acturum. Tacuiſſe vero quod rem neq; ab ipſo, neq; ab amicis præcognitam habuiſſet. Ea ſilentij excuſatione iram regis in diſſimulationem conuertit. Idem peracta expeditione cũ cæteris Daniæ optimatibus apud Roskyldiam Kanuti miles ſolẽni more fieri iuſſus, alijs imperio obtẽperantibus id facere recuſauit, eaq; re magnam ſibi concupitæ dominationis ſuſpicionem conciuit. Verum hunc imperij conceptum quæſitis callide rationibus protegere perſtitit, præfatus ſe extante eo, cui primam militiæ fidem dederit, alius militem non futurum, nec adduci poſſe vt priſtinum obſequium recenti permutet, remq; tam patriæ conſuetudini quàm honeſtati inimicam committat: quippe cum nemo Danorum diuiduo famulatus officio teneri ſoleat, ſoliſque Saxonibus hunc ſeruitiorum morem ſtipendiorum cupiditas faciat. Nam ſi inter duos vnius obſequium communicãtes bellum incideret, amborum miles alterutrum iuuando, fidem vtrique ſeruare non poſſet. Nec regi ad iram mitibus reſponſis placidóque vultu tegendam, æqua ſimulatio defuit. Quem cum Hallandiam petendo comitem haberet, tanquam inſidias ſibi nectentem tacitus notauit. Quas vt effugeret imperata ſe facturum ſpondebat, ſi potentiam eius rex beneficiorum incrementis extẽdere voluiſſet, & ſicut ipſe regnum quod eatenus electio variabat hæreditarium efficere geſtiret, ita quoq; neceſſariorum ſuorum liberis ſuppares dignitates, & minores potentias perpetua hæreditatis lege fruendas tribueret. Itaque præcipuam Iutiæ partem Abſalonis auxilio pactus, Kanuto ſupplex fore ſuſtinuit, haudquaquam tamen ſolidam regis amicitiam recuperauit. Ea enim regiæ iræ pertinacia erat, vt ſemel accenſa funditus extingui nõ poſſet. Vere appetẽte, Abſaloni, Chriſtophoro, & Magno particularis aduerſum Sclauos expeditionis ductus committitur. Nam orientales Dani duntaxat cum Fionenſibus claſſem confecerant: Scanienſium vero penes Chriſtophorum ſumma, penes Abſalonem arbitrium conſiſtebat. Quibus Tribuſanam adortis prouinciam, Chriſtophoro tanquam iuniori inter Abſalonis, Magnique copias medius militandi locus decernitur, vt regij ſanguinis latera fidis ſtipatoribus cingerẽtur. Tanta autem vicorum exuſtio fuit, vt idem adhucuſque cultu vacui, præteriti incẽdij magnitudinem præſentibus teſtentur indicijs. Abſalon cum repetendæ claſſis tẽpore extremos curaret, nunciato hoſtium ſuperuentu, quanquam tanta vis frigoris erat vt primi reuocari nõ poſſent, quadraginta ſolis equitibus ſtipatus, prius hoſtem quàm vadum, per quod erat rediturus, tentauit. Quibus fugatis, lento itinere ad amnem conceſſit. Quem ſtructo ponte tranſgreſſus, poſt tergum opus ab-

rumpere noluit, ne vlla timoris vestigia relinquere videretur. Quum ad littus veniſſet, claſſem in alium portum appulſam comperit. Tanta autem hyberni frigoris ſæuitia extitit, vt nautæ equos pene frigore extinctos defoſſis humi ſpecubus conderent, nemoque ex toto exercitu reperiretur, qui pariter vtramque manum neceſſarijs vſibus aptare poſſet. Illic crebri angues ligonibus reperti, magis admirationi quàm metui viſentibus fuere. Nam algoris immenſitas, vires eorum ac ſpiritum hebetauerat. Scanienſes tunc proſperantibus ventis diſceſſionis licentiam adepti, mox ijſdem contrarijs nauigatione prohibiti, tandem toti claſſi fauente cœlo Sialandenſes ac Fionios repetendæ patriæ comites habuerunt. Poſt hæc rex Petrum & Selgretium Chriſtophoro pædagogos adſciſcit, qui adoleſcentiæ eius rudimenta ad honeſtatis mores exequendos plenis ſapientiæ documentis inſtruerent. Æſtate deinde expeditionem inſtaurat. Quippe Wallagoſtenſes dupliciter ictum fœdus corruperant. Nam & Rugianos mœnium ſocios per furta vrbe eiecerant, & piratis Peni fluminis oſtia patere permiſerant. Igitur dum Lentitios peteret, ab Henrico miſſæ literæ ſuperueniunt admonentes, vt rex inſidias propinqui perinde ac regnum affectantis caueret, indicantésque Buriſyum cum Noruagienſibus opprimendi eius conſilium habuiſſe. Iiſdémque dum expeditio reuerteretur occurſum pollicitis, aut ipſum regem, aut regium nomen occupãdum duxiſſe. Cuius rei certiſſimum experimentum fore, ſi reuertentem à Sclauis expeditionem Noruagica claſſis exciperet. Eodem pene momento ſuſcepta Noruagienſium epiſtola, par proditionis indicium edidit. Quod cum rex paucis arbitris, ſuppreſſis indicium nominibus prodidiſſet, auxit rei ſuſpicionem fidémque literis addidit Tokonis, Wendilenſium pontificis conſentanea affirmatio, dicentis, Buriſij milites ab eo iurare coactos, quicquid ipſe auſpicaretur eſſe proſecuturos. Re tamen diſſimulanter habita, ad locum cui nomẽ Oſtrozno citata nauigatione profectus, profligatis prouinciæ rebus, vrbem Orthungam vniuerſa claſſe comitante repetijt. Illic Buriſio cum cæteris regni primatibus accerſito, quidnam de eius inſidijs acceperit aperit, eique proditionis crimen affigit. Quem ſe quicquam tale aduerſum eum excogitaſſe negantem, quoad nũtiorum experimenta ſumerentur, ſecum commorari præcepit: tunc demum ſi ſecus ac nuntiatum erat accideret, incolumem diſceſſurum. Ille contrà nihil abſurdius aiebat quàm vt capitis ſui indicium, incertis euentuum argumentis committeret. Qua voce ſe non ſolum regi, ſed etiam arbitris ſuſpectum effecit. Igitur ne remiges quidem ſuos reuiſere permiſſus, ad vrbem Latrenſem cum rege meare compellitur, vbi leni ſed firmæ cuſtodiæ traditur. Interea Erlingus & Ormo Buriſij frater cum nauali exercitu ſuperuenientes, Iutorum claſſem in amne Dyurſa repertam gubernatoribus vacuam facile debellant, ipſiúsque Buriſij intercepto nauigio, protinus ad vicum, qui Mercatorum portus nominatur, deproperant. Quos Abſalon cum Sialandenſibus occurrens, etiam littorum aſcenſu prohibuit. Qui cum compertum haberet Noruagienſes plurimum præſidij in arcubus ducere, prouocandi gratia cum quindecim peditibus in littus progreſſus, vltro ſe eorum ſagittis appetendum præbebat: profectò oſtendere cupiens, in quam paruo præcipuam eorum fiduciam poneret. Igitur Noruagienſes quo propius littus accederent cimbas conſcendunt, ob quarum trepidationem deſtinata certis ictibus ferire non poterant. Itaque tela partim in vndas innocua cadebant. Ita artis ſuæ effectu fraudati, noſtriſq; ludibrio habiti, ingenti cum rubore maiora nauigia repetunt. Poſtea cum Abſalone data acceptáque fide, ſociale colloquium habuere. A quo diutius illic acquieſcere iuſſi, non prius obtemperauerunt, quàm Abſalon fidem ſuam interpoſuiſſet, ſe nihil inſidiarum eis terra aut mari interim paraturũ. His finitis collocutores à ſe inuicem diſceſſere, die poſtero cum paribus armis, æquali comitum numero conuenturi. Cúmque Erlingus vno comitatior affuiſſet, Abſalon circunſpectis omnibus: miror te, inquit, Erlinge hominem ætate confectum ac toties grauia expertum, non adeo ſapientem quàm ſenem exiſtere. Nam cum tu ſcapha aduenieris, nos equis inſideamus, téque nullo negocio (ſi libeat) opprimere poſſimus, cur condicto comitatior aduerſum caput tuum rumpendæ pacis

Frigus intentiſſimum.

eis occasionem fortioribus præbuisti? Nisi autem fides nostra præstaret, solutæ conditionis pœnas exitio persoluisses. Tunc Erlingus inter metum & ruborem circumspectis comitibus, cum veram Absalonis assertionem animaduerteret, vnum ex his obiurgare cœpit, quod non rogatus comitandi rapuisset officiũ. Postquam diu excusationis verba quæsierat, vt sticulosum recrearet exercitum, palustris aquæ petendæ licentiam obsecrat. Cuius rei permissionem haud modici beneficij loco ducebat, ac protinus patriam repetere properabat, lętus quod sibi incolumi Daniæ partibus excedere contigisset. Postquam regi insidiarum fidẽ rerum experientia fecerat, Burisium perinde ac maiestatis reum inter vincula asseruari præcepit. Interea Erlingus extremum Sialandiæ composita classis applicatione complexus, dum à sacris missæ quæ consueto religionis cultu petiuerat remearet, Absalonis equitibus clandestino itinere prorumpentibus, improuisam palãtium sociorum stragem accepit. Nec minori Hallandensium virtute exceptus apud Nyzem amnem vna rate, eiúsque remigibus vniuersis spoliatus, abscessit. Eodem anno deturbandæ piraticę gratia, Absalon insulam maritimam nouo castelli fundamento complexus, exigui munimenti beneficio ingens patriæ præsidium attulit. Nam & suspectum prædonibus situm reddidit, & tutam vicini maris nauigationem incolis tribuit. Verum ne confestim Noruagiensis iniuriæ vindictam Danica virtus arriperet, Theutonicæ fidei lubricitas effecit. Quippe Henricus Bugislzlaui Danorum metu ad se decurrentis obsequium pactus, initam cum rege societatem, tanquam ineptum & ignobile vinculum disijcere parui habuit. Quinetiam apud Krempinum fluuium in colloquium cum eo descendens, questus est quod militem suum Bugislzlauum coram se non accusatum bello lacessat: quem si iniurioſum existimet, prius accusationibus quàm armis aggredi debeat: Contra rex, negare se vllius potentiæ respectu cessaturum, quo minus acceptas iniurias mutuis damnis rependere liberum habeat. Ita perstante controuersia, fœdus cum colloquio soluitur. Hoc loci memorabile Saxonici equitis dictum strictim percurram. Qui cum forte ducis ac regis colloquijs interesset, eósque expeditionis negocia languidioribus verbis prosequi animaduerteret: quædam, inquit, de hero meo Henrico præsentibus referre habeo: quæ si adesse eum scirem, tacere quàm eloqui mallem. Qui cum pupillus propinquorum iniuria patrimonio priuaretur, nemine sibi patrocinium accomodare volente, quatuor soli ex amicis paternorum ipsius meritorum respectu permoti, quorum ego numero intereram, auersantibus cæteris infantiam eius tutorio munere fouendam sumpserunt. Pro cuius salute & incrementis, tum votis, tum etiam officijs impensius excubabant. Hunc tandem humani auxilij diffidentia altaribus offerentes, religiosa voti nuncupatione sanxerunt, si paternos honores diuina clementia adipisceretur, susceptum beneficium quoad viueret pagani nominis odio pensaturum. Mox voti probator deus, ingenui principis Conradi patrocinium ei conciliauit. Cuius opera paternorũ bonorum hæres effectus, quanquam voti autores exhortationis officia non omitterẽt, à bello aduersum Sclauos continuando, tum auaritia, tum etiã desidia adductus abstinuit, perceptã munificentiam ingrato æstimãs animo. Tanta autẽ cura monitoris partes exequi voti nuncupationibus fuit, vt cũ vnus ex eis vltimæ ætatis ad inspicienda ducis arcana inter arbitros admissus, sedulum stertendi vsum haberet, excitatusq; quid de rẽ p̃senti sentiret, à confidentib. interrogari soleret, maiorẽ præteriti voti quàm instantis negocij memoriã retinẽs, ductandũ in Sclauos exercitũ responderet. O immẽsam constantiam, quæ ne in ipso quidem ætatis occasu promissi immemor esse potuit. Quis autem mentiscõpos hanc religiosi consilij vocem, senilis animi deliramentũ fuisse crediderit? Vereor autem charissimum mihi virũ amicorum religione cõtempta, ex summo fortunæ fastigio in humilem priuatorum sortem extrema ruinæ deformitate casurũ. Ego vero promissi dudũ belli militẽ agendo, ternas aduerso corpore plagas accepi. Quibus si binas sub eodem militiæ titulo sociassem, supremi iudicij tempore diuina vulnera meis æquata audacibus oculis inspectanda præsumerem. Quo dicto, & tẽporaneã Henrici ruinã, & sempiternũ virtutis suæ præmiũ auguratus est.

Deo necessitatu tempore nũcupatum, rebus ad voluntatem fluentibus raro præstatur.

Rex Scaniam ingressus, paruò post Saxonum irruptione falso nuntiata, Scaniensis equestri militiæ adscriptos proprio ductu prosequitur, imperatáque Sialandensibus nauigatione Slagloſam aduectus, Absalonem è portu Hulyuimmensi accitum multa gerendorum consultatione sollicitat. Præterea se parum veri rumoris credulitate fatigatum significat, expeditionem mq; falso nuntio contractam remittit. Habebat autem in clientela Absalon, Arnoldum Tylensem, qui siue ingenij acumine, siue coniecturarum sagacitate sępenumero futura ad sua vel amicorum negocia pertinentia, raro præsagio deprehendebat. Nec minus antiquitatis quàm diuinationis peritus, solerti historiarum narratione callebat. Qui cum Absaloni delectandi gratia supradictę expeditionis comes existeret, breui eum manũ cum piratis conserturum prædixerat: vehementer se mirari testatus, quo pacto certamini interfuturus non sit, præsertim cum inseparabiliter eum comitari decreuerit. Cumq; rege res gestas ex eo cognoscere cupiente, discessuro Absalone quiescere rogaretur, pertinacissime precibus obluctatus nõ prius rogatui cessit, quàm rex operam se daturum polliceretur vt eum post Absalonem prima luce dimitteret. Erant autem sex nauigia Absalonem comitantia, è quibus tria quo cõmodius ignis alimenta cõtraherent, in superiores maris anfractus concesserant, quæ postmodum æstus subito regressu destituta, cœno paludis affixerat, Absalõe totidem residuis exteriora sinus ostia complectẽte. Qui cum maritimo tempore vnà cum scriba suo religiosum psallendi ritũ perageret, tumultuatione eminus audita, quid nam hoc esset concentorem dispicere iubet. Quo nouem lõgas naues à se prospici referente, piratas esse non dubitans, stertentes adhuc remiges alta voce cõpellat. Quibus summo cum stupore exilientibus, nec veste sed armis corpora protegentibus, ocyssime hostes petendum hortatur: quorum iam tanta vicinitas sentiebatur, vt ab eis crebris silicibus contunderentur. Quinetiã anchorę vinculis rumpendæ moræ gratia discissis, remigium exerit. At Sclaui facile nostris metum inijcere rati, ac veluti ipsorum animos horridis vocibus hebetaturi, ingenti clamore edito obstrepere cœperunt. Quod postquam frustra se conatos animaduertere diffugiunt, eorumq; ratis vna cum vniuersis remigibus intercepta. Sed nec Vrcinæ syluæ latebra ad se decurrentibus subsidio fuit, agrestibus eam curiosius perlustrandam curantibus. Ea tempestate Esbernus vrbem Kalundã molitus, noui munimenti pręsidio portum hostili piratica liberum præstitit. Ipse quoq;, & Inguarus & Olauus, vltro Absaloni se infatigabili piratici muneris executione iunxerunt.

Status Danici regni miserrimus.

Eo tempore res Danica circũquaq; difficillimis obfusa periculis, crebris finitimorum insidijs tentabatur, hinc Noruagiẽsibus, inde Sclauis, Saxonibusq; sibi perniciem machinantibus. Quo euenit vt nulli hostium audacter obuiandi fiduciam haberet, metuens ne dum vnum repelleret, ab altero premeretur. Ea patriæ necessitudine permotus, Guthscalcus qui & ipse Sclauis, tum ob linguæ eorum peritiam, tum ob paternæ amicitiæ fauorem, ac proprij conuictus assuetudinẽ, perfamiliaris habebatur. Absaloni tacitè artem à se repertam insinuat, qua eos repente ex amicis Saxonum hostes efficeret. Quippe se Sclauiam non legatiõis, sed beneuolentię simulatione petere velle significat, tanquam proprię charitatis ductu vtilia amicis consilia largiturum. Fore enim vt hostium credulitas callidis commentorum laqueis circumuenta, Danorum amicitiam abiecta Saxonũ donatione repeteret. Quod studium maximè sibi gentis illius moribus persuaderi dicebat, quę plerunq; temeritate niti, cunctaq; pronius quàm prudentius exequi soleat. Absalon interdum priuatũ acumen publicis viribus præstare ratus, laudata Guthscalci industria, cauẽdum monet ne quis eis ex parte Danorum falso polliceatur: incorruptam patrię fidem haberi cupiens, memorq; eam fortibus viris refertam, armis non mẽdacijs bella meditari debere. Ille primum Pomeranos aggressus, se priscę familiaritatis memoria ac totius populi Sclauici charitate permotum, retũdendæ eorum inertiæ causa aduenisse dicebat, quod pernicioſa ab eis vtilium loco duci perspectum habeat. Siquidem animaduertere eos oportere quam noxię dominationis iugum receperint, quodq; ijs obsequio pareant qui ipsos patria tandẽ exuere cupiant. Quippe Saxones quantum ex ipsorum finibus occupauerint, protinus cul-

cultu atq; habitatione complecti, nec præda aut gloria contentos, proferendi imperij cupiditate victoriæ lucra continua possessione firmare: quã ob rem eos Nucletum vita, Prisclauum patria spoliasse: Razaburgam, Illogam, ac Suerynam in totius Sclauiæ ruinam vallo fossaq; cinxisse. Danos vero diuerso studio bella gerere, nec hostiũ fines, sed mutuæ pacis commercium affectare, propriũ tueri quàm alienum appetere cupidiores. Itaq; summopere eos elaborare debere vti Saxonicis præsidijs patriam vacuefaciant, omniq; Theutonum plebe regno egesta, amicitias cum Danis componant, quos Saxonũ hostes esse non ambigãt: ita demum eos sempiternæ libertatis beneficio patriam ornaturos. His monitis concitati Pomerani, loca à Saxonibus intra Sclauiam obtenta peruadunt. Illogam capiunt, reliquis eorum munitionibus defensorum virtute seruatis. Et ne ducis inopes viderẽtur, Danorum regis titulum profitentur. Ita Guthscalcus duarum gentium vires Daniæ imminentes odijs sequestrauit, patriamq; nostram vndiq; finitimorum armis obiectam, ab impendente periculo pio mendacij commento seruauit. Cuius facinoris fama Guthscalci reditum præcurrente, rex admiratione perfusus, postquam ex Absalone per quem res esset acta cognouit, impẽsius autorem laudauit. Igitur Henricus vt repudiatam regis amicitiam recuperaret, sine qua Sclauos arcere non posset, Henricum Razaburgensem, & antistitem Lubeccensem legatione onerat, filiam suam minorem, filio eius in matrimonium offerẽs. Nam maior natu quæ prius ei despõsa fuerat, morbo occiderat. Per eosdem confirmãdę oblationis gratia, apud Bremensem prouinciam tempestiuus ducis occursus promittitur. Quò rex legatorum adhortatione profectus, Guncellinum obuium habuit, qui sub impedimẽto aduersæ valetudinis ducis absentiam excusaret, eumq; apud Eydoram celeriter aduenturum promitteret. Eò cum ventum esset, & ducis promissa cõplentur, & militia aduersum Sclauos paribus votis condicitur. Sed eo Diminum petente, rex Walogostum profectus omissa vrbis oppugnatione, finitima rura armis percurrit. Osni quoq; oppidi post recentem vastitatem parum reædificati incendium iterat. Eodem vastationis genere diuersa regionis loca petuntur. At Sclaui quia viribus niti nequibant, vtrunq; hostem ære atq; obsidibus placant. Post hæc rex belli Noruagici meditationem ad id vsq; tempus rebus Sclauicis interpellatam, magna curarum parte liber ingreditur. Quam Veris principio copiosis patriæ viribus executus, per summam Wicarorum dignationem non modò liberos aditus, certe etiam lętos occursus habuit. Nec hostis sed ducis more sermone cum incolis habito, concionibus arma mutauit. Quorũ beneuolentia adeò delectatus vt hostium obliuisceretur, ociosaq; procedendi tarditate eximium Erlingo contrahendarũ virium tempus reliquit. Magnitudo exercitus eius, lætos Wicensium oculos in se cõuertit. Nauigatio quoq; eius gratis eorum luminibus aspecta, liberos impetrauit excursus. Enimuero complures in angustias per quas classi seriatim meãdum erat, multitudinis eius admiratione protracti, quo certius nauigiorum numerum deprehenderet, non nocendi sed spectandi auiditate edita loca complebant. Tunsbergenses quò cæteris regẽ impensius colerent, finibus suis exceptum honoratissimę processionis officio venerati sunt, religione seruitiũ cumulantes. Erlingi milites qui superiorem regis aduentum munimenti illic siti fiducia spreuerant, præsentem fugæ declinatione cauebant. Rex superato cliuo, collustratæ rupis cacumen miratus, inexpugnabile loci præsidium comprobabat, artis opus transcendẽte natura. Fertur interim Erlingum cuiusdam sinus angustias Danorum nauigationi opportunas, prohibendi transitus gratia crebris machinarum tormentis vallasse, plus locorum difficultati quàm proprijs viribus in excipiendo hoste confidentem. Quapropter rex tarditatis suæ dispendium execratus, vocatos amicos celeritatis exhortatione sollicitat, erubescendum moræ crimen operoso festinationis impẽdio redimẽdum affirmat, quod iam commeatibus quasi per ocium & inertiam absumptis, inaniter tempus triuisse videãtur. Ea res diuerso maiorum iudicio excepta est, variaq; sententia duces cõsiliũ agitabant: alijs tormentorum magistros expositis in terram equitibus deturbandos, obiectasq; rates trãsitu submouendas hortantibus: alijs in tantas angustias ingenti classe temerè pro-

Beneuolentia mirandus effectus.

currendum vetantibus. Quidam hostibus laxiore freto præteritis, regionem armis occupandam censebant. Protinus enim Erlingum aut pugnandi, aut fugiendi necessitate perstrictum, quęsita locorum prędia relicturum. Alij vero absentis periculi præsentem metum ridentes, non antè deliberatione agendum docebāt, quàm res se propius inspectandam dedisset. Hi celeri processu vtendum hortantes otiosæ nauigationis moras amputari iubebant. Ita cunctorum sententia variāte, Nicolaus quidā cognomēto Bos natu quàm virtute nobilior, mirari se inquit, cur iuris ratione vtentibus, inclytoq; solo natis, amœnissimę patrię gremio relicto tot inculta locorum spacia pererrare liberet: præsertim quibus nihil præter aspera saxa, atq; inuias rupes occurreret. Eò siquidem demētiæ ventum esse, vt vltimę ærumnæ summarum voluptatum loco ducantur. Nam si regem Noruagia potiri contingat fore vt plus laboris ex vtroq; regno, quam voluptatis ex altero sit percepturus. Præterea cum iam labentium alimentorum necessitas vrgeat, si longius nauigatio proferatur haudquaquam commeatus reditui suffecturos. Hæc ab eo timidius quàm prudentius dicta, silentio probari videbantur. Quod dictum Absalon diuersa à cæteris æstimatione commensus, dimissis amicis solitarium regem acrius obiurgare cœpit, quod Nicolai sententiam summa reprehensione dignam taciturnitate probauerit, eamq; plenis contumelię responsis prædamnare passus non sit. Quæ enim ab eo per ludibrium dicta videbantur, acerrima factionis incitamēta fuisse. Cuius si comitatum nullo in momento posuisset, cunctaq; eo desertore quàm comite melius exequenda dixisset, cæteros vnius rubore permotos, similis opprobrij metu silentium acturos. Nunc vero cum aut consenserit, aut consentire visus fuerit, neq; palàm eum timiditatis exprobratione confuderit, breui complures licentiori impunitatis exēplo protractos, similibus monitis succlamaturos. Nec secus ac prædixerat accidit. Nam cum principes omni studio redeūdi cupiditatē processui præferrent, eamq; manifestis votis prosequi non auderent, plebē clandestinis incitamentis instinctam seditiosis armauere cōsilijs. Ex qua quidam petulantioris audaciæ, explorata Absalonis audacia cuius in protrahenda expeditione pertinaciam causabātur, nauē eius silicibus petiuere. Sed à remigibus mox excepti, quanquam numero præstarent, terga vertere. Quorum dementiam rex debita animaduersione persecutus non est, abunde eos hoc fugæ dedecore punitos existimans. Inde ad sinum Porturiam egregia Siuardi victoria inclytum, vbi scilicet innumeram classem tribus ab eo nauigijs subactam ferunt, velificatū est. Illic è Iutensibus aliqui iniquissima gubernatorum exhortatione prouecti, concione facta, remissionem expeditionis violenta succlamatione poscebant. Ad quos comprehendendos milites sub ignoto cultu missi, aliquandiu in eorum concilio obscurata sui notitia consederunt. Tandem à circunstantibus agniti, veste quā latendi gratia sumpsere discussa, correptos seditionis autores obtorta gula secū traxere. Qui cum ad naues abducti fuissent, graues regi pœnas vapulando dedere. Qui quo punitiores forent vicissim in vndas demittebantur, ijsdemq; extracti, renouatis verberibus mulctabantur. Post hæc eo loci processum vbi solstitij æstiua lis tempore inusitatę claritatis noctes sensere, dieiq; tam similes, vt minimum temporum discrimen videretur. Ad quarum lumen, solis beneficio procuratum, leui contemplatione exiles literæ legi poterant. Illic Iutensiū magnates, quos aut metus, aut impatientia stimulabat regem apertis repetendæ patriæ monitis aggressi, inopem alimentorum expeditionem dimitti iubebāt. Anno postero si animus in sentētia mansisset, non per prolixos Wicensiū partium anfractus, sed e Wendilæ finibus directę nauigationis compendio reuersuram. Quorum voces etiam querulum inediæ vulgus adiuuit, adeò vt nemo ex plebe esset, qui non rerum inopię citato reditu subueniendum clamaret. Ita rex obstrepēte multitudinis imperio proposito cedere compulsus, soluendæ expeditionis sententiam protulit. Et ne hostē omnis incommodi expertem relinqueret, præstantissimis totius Noruagiæ nauigijs secum abductis, peregrina patriam classe ditauit. Ita quorundam Iutorum impatientia maxima victoriæ spes subruta est: quia si debita cœpto perseuerantia nō deesset, res Noruagica sub Danis mansisset. Noruagiensis nobilitas quæ venienti

Noctes claræ in solstitio æstiuali.

regi

regi comes extiterat, linquendæ patrię pudore reuertentem prosequi supersedit. Interea dum hæc geruntur, Rugianorum ex regis longius agentis occupatione fidentium defectio incidit. Qui cum finita hyeme expeditionem aduersum se destinari cognoscerent, quendam conspectioris ingenij ac facundiæ politioris subornant, qui regis propositum exquisita adulationis arte subuerteret. Quod cum minime efficere quiuisset, reditu suo hostium aduẽtum præcurrere noluit, ne aut ciuibus bellum dissuadendo suspectus, aut concitando pernicios⁹ existeret. Igitur Absalonem vti se comitem pateretur orauit, quoad eius consilium à ciuibus posceretur, quod stolidæ mentis hominibus plus requisita quàm oblata consilia placere soleãt. Rex varias Rugiæ partes adortus, cum vbiq; prædæ, nusquam vero pugnæ materiam reperisset, fundendi sanguinis auiditate perductus, vrbem Arkon obsidione tentauit. Hæc in excelso promontorij cuiusdam vertice collocata, ab ortu, meridie, & aquilone non manu factis sed naturalibus præsidijs munitur, præcipitijs mœnium speciem prę ferentibus, quorum cacumen excussæ tormẽto sagittæ iactus æquare non possit. Ab ijsdem quoq; plagis circunfluo mari sepitur, ab occasu vero vallo quinquaginta cubitis alto concluditur. Cuius inferior medietas terrea erat, superior ligna glebis intersita continebat. Septentrionale eius latus fonte irriguo scatet, ad quẽ muniti callis beneficio oppidanis iter patebat. Huius quondã Ericus vsu violentius intercluso, non leuius siti quàm armis obsessos premebat. Medium vrbis planicies habebat, in qua delubrum materia ligneum opere elegantissimum visebatur, non solum munificentia cultus, sed etiam simulacri in eo collocati numine reuerendum. Exterior ædis ambitus accurato cælamine renitebat, rudi atq; impolito picturæ artificio varias rerum formas complectens. Vnicum in eo ostium intraturis patebat. Ipsum vero fanũ duplex septorum ordo claudebat. E quibus exterior parietibus cõtextus, puniceo culmine tegebatur. Interior vero quatuor subnixus postibus, parietum loco pensilibus aulæis nitebat, nec quicquam cum exteriore præter tectum & pauca laquearia cõmunicabat. Ingens in æde simulacrum omnẽ humani corporis habitum granditate transcendens, quatuor capitibus, totidemq; ceruicibus mirandum perstabat, è quib. duo pectus, totidemq; tergum respicere videbantur. Cæterum tam ante q̃ retrò collocatorum vnum dextrorsum, alterum læuorsum contemplationem dirigere videbatur. Corrasę barbæ, crines attonsi figurabantur, vt artificis industriam Rugianorum ritum in cultu capitum æmulatam putares. In dextra cornu vario metalli genere excultum gestabat, quod sacerdos sacrorũ eius peritus, annuatim mero perfundere consueuerat, ex ipso liquoris habitu sequentis anni copias prospecturus. Læua arcum reflexo in latus brachio figurabat. Tunica ad tibias prominens fingebatur, quæ ex diuersa ligni materia creatæ, tã arcano nexu genibus iungebantur, vt cõpaginis locus non nisi curiosiori contemplatione deprehendi potuerit. Pedes humo contigui cernebantur, eorum basi intra solum latente. Haud procul frenum ac sella simulacri, complura q; diuinitatis insignia visebãtur. Quorum admirationem conspicuæ granditatis ensis augebat, cuius vaginam ac capulum præter excellentem cælaturæ decorem, exterior argẽti species cõmendabat. Solennis eidem cultus hoc ordine pendebatur. Semel quotannis post lectas fruges promiscua totius insulæ frequentia ante ædem simulacri litatis pecudum hostijs, solenne epulum religionis nomine celebrabat. Huius sacerdos præter communem patriæ ritum barbæ comæq; prolixitate spectandus, pridie quàm rem diuinam facere debuisset sacellum (quod ei soli intrandi fas erat) adhibito scoparum vsu diligẽtissime purgare solebat, obseruato ne intra ædem halitũ funderet. Quo quoties capessendo vel emittendo opus habebat, toties ad ianuam procurrebat, ne videlicet dei præsentia mortalis spiritus contagio pollueretur. Postero die populo præ foribus excubante detractum simulacro poculum curiosius speculatus, si quid ex inditi liquoris mensura subtractum fuisset, ad sequentis anni inopiam pertinere putabat. Quo annotato, præsentes fruges in posterum tempus asseruari iubebat. Si nihil ex consuetæ fœcunditatis habitu diminutum vidisset, ventura agrorum vbertatis tempora prædicabat. Iuxta quod auspicium, instantis anni co

Simulacrum Rugianorum Iani simile.

pijs nunc parcius, nunc profusius vtendum monebat. Veteri deinde mero ad pedes simulacri libamenti nomine defuso, vacuefactum poculũ recenti imbuit: simulatoq; propinandi officio statuam veneratus, tum sibi, tum patriæ bona, ciuibusq; opum ac victoriarum incrementa solennium verborum nuncupatione poscebat. Qua finita, admotum ori poculum nimia bibendi celeritate continuo haustu siccauit, repletumq; mero simulacri dexteræ restituit. Placenta quoq; mulso confecta rotundę formę, granditatis vero tantæ vt penè hominis staturam æquaret, sacrificio admouebatur. Quam sacerdos sibi ac populo mediam interponens, an à Rugianis cerneretur percontari solebat. Quibus illam à se videri respondentibus, ne post annum ab hisdem cerni posset, optabat. Quo precationis more non suum aut populi fatum, sed futura messis incrementa poscebat. Consequẽter sub simulacri nomine præsentem turbam consalutabat, eamq; diutius ad huius numinis venerationem sedulo sacrificij ritu peragendam hortatus, certissimum cultus præmium, terra mariq; victoriam promittebat. His ita peractis reliquum diei plenis luxuriæ epulis exigentes, ipsas conuiuij dapes in vsum conuiuij, & gulæ nutrimenta vertere, consecratas numini victimas intemperantiæ suæ seruire cogẽtes. In quo epulo sobrietatem violare pium æstimatũ est, seruare nefas habitum. Nummus ab vnoquoq; mare vel fœmina annuatim in huius simalacri cultum dominę pẽdebatur. Eidem quoq; spoliorum ac prædarum pars tertia deputabatur, perinde atque eius præsidio parta obtentaq; fuissent. Hoc quoq; numen trecentos equos descriptos, totidemq; satellites in eis militantes habebat: quorũ omne lucrum seu armis, seu freto quæsitum, sacerdotis custodiæ subdebatur. Qui ex earum rerum manubijs diuersi generis insignia ac varia templorum ornamenta cõflabat, eaq; obseratis arcarum claustris mandabat: in quibus præter abundantem pecuniam, multa purpura vetustate exesa cõgesta fuerat. Illic quoq; publicorum munerum ac priuatorum ingens copia visebatur, studiosis beneficia poscentium votis collata. Hanc itaq; statuam totius Sclauiæ pensionibus cultã, finitimi quoq; reges non absque sacrilegij respectu donis prosequebantur. Quam inter cæteros etiam rex Danorum Sueno propitiandi gratia, exquisiti cultus poculo veneratus est, alienigenæ religionis studium domesticæ præferendo: cuius postmodum sacrilegij infœlici nece pœnas persoluit. Alia quoq; fana compluribus in locis hoc numen habebat, quæ per supparis dignitatis, ac minoris potentiæ flamines regebantur. Præterea peculiarem albi coloris equum titulo possidebat, cuius iubę aut caudæ pilos conuellere nefarium ducebatur. Hunc soli sacerdoti pascendi, insidendiq; ius erat, ne diuini animalis vsus quo frequentior hoc vilior haberetur. In hoc equo opinione Rugiæ Suantouitus (id simulacro vocabulum erat) aduersum sacrorum suorum hostes bella gerere credebatur. Cuius rei præcipuum argumẽtum extabat, quod is nocturno tempore stabulo insistens, adeo plerunque mane sudore ac luto respersus videbatur, tanquam ab exercitatione veniendo magnorum itinerum spacia percurrisset. Auspicia quoq; per eundem equum huiusmodi sumebãtur. Cum bellum aduersum aliquã prouinciam suscipi placuisset, ante fanum triplex hastarum ordo ministrorũ opera disponi solebat: in quorum quolibet binæ è transuerso iunctæ, conuersis in terram cuspidibus figebantur, æquali spaciorum magnitudine ordines disparante. Ad quos equus ductandæ expeditionis tempore solenni precatione præmissa, à sacerdote è vestibulo cum loramẽtis productus, si propositos ordines antè dextro quàm læuo pede transcenderet, faustum gerendi belli omen accipiebatur. Sin læuũ vel semel dextro prætulisset, petẽdæ prouinciæ propositũ mutabatur. Nec prius certa nauigatio præfigebatur, quàm tria continue potioris incessus vestigia cernerentur. Ad varia quoq; negotia profecturi, ex primo animalis occursu, votorum auspicia capiebãt. Quæ si læta fuissent, cœptum alacres iter carpebant: sin tristia, reflexo cursu propria repetebant. Nec sortium eis vsus ignotus extitit. Siquidem tribus ligni particulis parte altera albis, altera nigris, in gremium sortium loco coniectis, candidis prospera, furuis aduersa signabant. Sed ne fœminæ quidem ab hoc scientiæ genere immunes fuere. Quippe foco assidẽtes, absq; supputatione fortuitas in cinere lineas descri

Sordida Satanicaq; religio, cur pura diuinaq; præsumatur esse.

idescribebant. Quas si pares numerassent, prosperæ rei præscias arbitrabantur: si impares, sinistri prænuntias autumabant. Huius igitur vrbis non magis rex munimẽta quàm ritus euertere cupiens, vniuersæ Rugiæ profanos cultus eius excidio deleri posse arbitrabatur. Neq; enim dubium habebat, quin extante simulacro facilius gentis mœnia quàm sacrilegia domarentur. Itaq; quò ocyus expugnationẽ perageret, ingentem lignorum materiam faciẽdis machinis opportunã, magna cum totius exercitus fatigatione propinquis è syluis petendam curauit. Quibus dum artifices coaptandis intenderent, frustra his rebus operã dare asseuerabat, sperato citius vrbem capturos. Interrogatus quonam id augurio deprehensum haberet, ex hoc potissimũ augurari se dixit, quod Rugiani quondam à Karolo Cæsare expugnati, sanctumq; Vitum Coruegiensem religiosa nece insignem, tributis colere iussi: defuncto victore, libertatem reposcere cupientes, seruitutẽ superstitione mutarunt, instituto domi simulacro quod sancti Viti vocabulo censuerunt. Ad cuius cultum contemptis Coruegiensibus, pensionis summã transferre cœperunt, affirmantes domestico Vito contentos, externo obsequi non oportere. Quam ob rem Vitum veniẽte sui sollennis tempore eorum mœnia turpaturum, a quibus tam similem monstro figurã acceperit. Merito nanq; eum ab his iniuriarum pœnas exigere debere, qui venerabilem eius memoriã sacrilego cultu complexi fuerunt. Hoc se non ex somniorum aut rerum accidentiũ coniectu ris, sed sola præsagientis animi sagacitate colligere testabatur. Admirabilior cunctis quã credibilior prædictio extitit. Et quoniã insula Archonensis quæ Withora dicitur, à Rugiæ cõplexu paruula freti interriuatione, quæ vix fluminis magnitudinem æquare videatur abrumpitur, ne eò loci vlla Archonensibus auxilia porrigerentur, missis qui transitum obseruarent, hostemq; traiectu prohiberent: cætera manu vrbis obsidionem arripuit, ac primũ operam tormentis vallo applicandis exhibuit. Absalon inter manipulos castrorũ loca distribuere iussus, designãdi officium mensurato inter maria spatio exequebatur. Interea oppidani portã vrbis quo minor eam attentandi facultas pateret, ingenti glebarum aceruo perstruxerant, aditumq; coacta cespitum compage claudẽtes, tantum ex eo opere fiduciæ contrahebant, vt turrim quę supra portã sita fuerat, signis tantũ aquilisq; protegerent. Inter quas erat Stanitia magnitudine ac colore insignis, cui tantum venerationis à populo Rugiano tributũ est, quantum omniũ penè deorũ maiestas obtinuit. Eam enim præ se ferentes, in humana diuinaq; grassandi potestatem habebant, nec quicquã eis quod libitũ foret illicitum habebatur. Populari vrbes, aras demoliri, fas ac nefas in æquo ponere, cũctosq; Rugiæ penates aut ruinis aut incẽdijs euertere potuisset: tantumq; superstitioni indultũ est, vt exigui panni autoritas regiæ potestatis vires transcenderet. Plectentes signo perinde ac diuino gestamini honorẽ habebant, officijs damna, iniurias obsequijs rependentes. Interea varijs inchoandæ obsidionis operibus insistente exercitu, alijsq; stabula, alijs tentoria ad necessarios vsus militari procuratione versantib. rege vero diurni caloris intẽperantiã ocio atq; vmbraculis leniente, Danorũ fortè pueri plenis petulantię excursibus ad vallum perducti, contortos funda lapillos in propugnacula iacere cœperunt. Quorũ ingenio delectati magis Archonenses quàm territi, similes lusui nisus armis excipere erubescebãt, ob idq; eos spectare quàm repellere maluerunt. Adolescentibus subinde puerorũ cœptũ in consimili prouocationis genere æmulantibus, spectãdi voluptate deposita ægre pugnã capessunt. Iuuenes quoq; nostri relictis variæ occupationis officijs, ad auxilia socijs ferenda concurrunt, equitibus ista puerilium exercitiorũ loco ducẽtibus. Ita res paruulis ac penè despicabilibus initijs cœpta, grandẽ haud leui in momento ponẽdi certaminis progressum accepit, paulatimq; puerilis ludi incitamentũ ad serium virilis pugnę modũ prorepsit. Fortè autem egesta portæ humus, in antri siue crepidinis formã subsidẽte, glebarũ mole cõcesserat, vastusq; inter turrim & cespites hiatus patebat. Quẽ cum egregij animi ignotus iuuenis, gerendarũ rerum proposito opportunũ animaduerteret, attingendi eius opem à socijs implorauit, quo si ipsorum auxilio præcessisset, expugnationẽ illico subsecuturã, seq; victorię gradũ facturũ spondebat.

Mirabilis rerum futurarũ præsagiendi ratio.

Stuarita.

Quibus quonam modo iuuari posset percõtantibus, telorum cuspides quis tanq̃ scalis euaderet, medijs cespitũ locis immergi præcepit: eoq; negocio subuectus, postquam animaduertit ita se vndiq; eius antri præsidio vallatũ vt ab hostibus læ di non posset, extruendi ignis gratia stramentũ poposcit. Interrogatus an accendendi eius materiam haberet, ferrum sibi ac silices suppetere respondit, p̃monito vt æstuãte incendio ab hisdẽ descẽsurus exciperetur. Igitur foci nutrimẽta circũspicientibus, fors materiã obtulit. Fortè enim quidam ad necessarios vsus onustũ stipula currum agebat: qua direpta alius alij fasciculos iacientes, eosq; cuspidibus affixos iuueni porrigentes, breui patulũ repleuere cauum, turris desertione tutos aditus dante. Nam oppidanos partim rei ignorantia, partim turris inanitas fefellit, cuius etiã prominẽs latitudo oppugnatoribus ab vtroq; latere p̃sidio fuit. Quæ cum repentino igne correpta conflagrare cœpisset, incendij autor facto victoriæ gradu, excipientib. socijs solo illabitur. Cõspecto fumo oppidani improuiso periculo attoniti, igni prius an hosti resisterent, ambigebant. Tandẽ collectis animis summa vi incendio occurrũt, omissoq; hoste bellũ cum flammis gerere cœperũt, nostris extinctionẽ p̃hibere conãtibus, vt ex pari his reprimẽdi incendij, illis protegẽdi cupido incessisse videretur. Tandẽ aqua defecti flãmas lacte sparsere, quæ tanto vehementius incendiũ concepere, quanto hoc liquoris genere sæpius perfundebãtur. Ea res plurimũ incrementi incẽdio adiecit. Orto deinde clamore rex spectandi gratia extra castra progressus, simulq; euentus admiratione concussus, cum dubiũ haberet an ignis vllũ expugnatiõi momentũ adijceret, quid factu op⁹ potissimũ foret, ex Absalone q̃rere instituit. Ille regẽ ne se puerilib. cœptis insereret, aut quicq̃ inexplorato negotio repente aggrederetur hortatus, magnopere rogare cœpit, vt sibi primũ an ignis potiendæ vrbis efficax esset, speculari permitteret. Nec rem perscrutari cũctatus, clypeo dũtaxat ac galea tectus portã accessit, iuuenesq; eam oppugnare conãtes, hortari ad cõfouendũ incendiũ cœpit. Quod accensis vndiq; nutrimentis euectũ, postiumq; ac columnarũ roboribus alitum, ligneum turris pauimentũ absumpsit: ac deinde summa corripiens, singulare simulacri signũ, aliaq; domesticę religionis insignia cineri ęquauit. Quod postquã rex nuntiãte Absalõe accepit, eiusdẽ monitu vrbẽ corona cingi præcepit, ac protinus sella extra castra posita pugnæ spectator cõsedit. Tunc quidã Danicę militię fortissimus adolescẽs, dum ad propugnacula ante alios eximia capessendæ laudis auiditate euadere niteretur, letalẽq; ictũ corpore excepisset, ita collabẽdo se gessit, vt non fato oppressus ruere, sed de industria saltũ edere videretur. Qua virtute pulchrius dimicauerit an occiderit, incertum reliquit. Pomerani quoque sub Kazimaro & Bugislauo ducibus, spectante rege dimicare egregiũ rati, audacissima vrbis oppugnatione singulare virtutis specimen ediderunt. Quorũ excellens opera grata admiratione regis oculos permulsit. Ex oppidanis complures ancipiti periculo circunuenti, partim incendio, partim hostilium telorum impulsu prostrati cadebãt, incertumq; erat plus ignem an hostem metui oporteret. Quidam vero salute postposita adeò obstinatã ac perseuerantẽ vrbis defensionem egerũt, vt simul deflagrati aggeris excidio obruerentur, seq; super mœniũ suorum rogum proiectos, communibus flammis cremandos præberent. Tanta siquidẽ patrij munimenti charitate tenebantur, vt eius ruinarũ socij quàm superstites existere prę optarent. Ita desperatis oppidanorum rebus, excidioq; & morti propinquãtibus, quidam è propugnaculis excelsa voce clamitans, Absalonis alloquiũ postulabat. Quem Absalon in tranquillissimam vrbis partem, quæ scilicet à cæde plurimum strepituq; distaret secedere iussum, quidnã afferret interrogat. Ille vocis affectũ manu ac gestibus prosecutus, bellica nostrorum opera relaxari poscebat, quoad oppidanis deditionem arripere liceat. Negat Absalon vllã oppugnatiõis remissionem fore, ni & ipsi pariter à prohibendo incendio operam retraxissent. Quã cõditionem Barbaro comprobante, acceptas preces illico regi porrexit, eoque protinus hac de re euocatos pugna principes consulente, Barbari votis annuendum subiũxit, dicẽdo oppidanis grassantis incẽdij impetũ hoc difficilius, quo tardius sopituros. Quod si reprimere destitissent, etiã remoto hoste victoriã igni daturos.

Incendiũ quò magis extinguendi sui gratia lacte fuit aspersum, eo vehemẽtiores flammas concepit.

Nostros

Noſtros vero tametſi ocio indulgerent, id propugnantiũ flammarum viribus obtenturos, quod ne proprijs quidẽ aſſequi valuiſſent. Quod quanquã ad horam armis abſtineant ocioſos exiſtimandos non eſſe, pſertim alieno miniſterio ſine vllo ſui diſcrimine præliantes. Probato cõſilio rex oppidanos in fidẽ hac lege recepit, vt ſimulacro cum omni ſacra pecunia tradito, captiuos Chriſtianos ergaſtulo liberatos abſq; redemptione dimitterent, omniaq; verę religionis momenta Danico ritu celebranda ſuſciperent. Quinetiã vt agros ac latifundia deorũ in ſacerdotiorum vſus conuerterent, ſeq; quoties res poſceret, Danicæ expeditiõis comites exhiberent, nec vnquã accerſiti, regis militiam proſequi ſuperſederent. Præterea annuatim ex ſingulis boum iugis quadragenos argenteos tributi nomine penderent, totidẽq; obſides in earũ conditionũ firmamentũ præſtarẽt. Quo audito, populus repentinis ſeditionis facibus inflãmatus, hoſtilisq; prædæ ac ſanguinis cupidus, magnopere queri cœpit, quod propinquæ victoriæ præmijs ſpoliatus, nihil ex tanta fatigatione præter ictus & vulnera retuliſſet, quodq; ſibi de penè victo hoſte tot iniuriarũ vltionem ꝑprio arbitrio exigere non licuerit, præfatus illorum ſaluti iam cõſuli, de quibus tot ſpoliorũ, tot domeſticarũ cladium minimo negocio ſpecioſiſſima vindicta accipi potuiſſet. Præterea deſerturũ ſe regem, quod vrbem capi paſſus non ſit, exiguamq; pecuniã ingẽti victoriæ prætulerit, minitatus eſt. Talibus rex obtrectationis ſibilis vexatus, quo longius ſtrepitu abeſſet, principes extra caſtra perductos, deditionẽ vrbis an direptionem probent perquirit. A quibus Abſalon quidnã ea de re ſentiret differere iuſſus: munitionẽ quidem capi, ſed non ſine diuturno obſidionis impendio poſſe, aſſeuerabat. Quanquam enim ſtudia ſua ſiniſtra vulgi interpretatione exciperentur, malle ſe tamẽ apud malignos eorum æſtimatores ob ſalutares monitus diſplicere, q̃ ſociorum ſalutẽ tãta rerum vtilitate ſubuertere. Nam etſi ignis potius cœleſti miraculo quàm vlla mortalium opera accenſus, ſuperiores aggeris partes quæ lignis humoq; conſtabant, propemodum in cineres redegiſſet, inferiorum tamẽ ſolidiorem compagem incendio non ceſſurã, quæ altitudine ſua haud facile hoſtium incurſui pateat. Ad hæc oppidanos cuncta penè incendij loca luteis refeciſſe figmentis, eosq; partim flammarum viribus arceri, partim præſidio muniri, quarũ aſperitas noſtris nõ minus oppugnationis, quàm illis defenſionis impedimentũ ingerere videatur. Præterea ſi incolumitas Arkonenſibus negaretur, fore vt cæteræ Rugianorũ vrbes neceſſitate in virtutẽ conuerſa, hoc acrius quo deſperatius rebellarent. Quos ſi in fidem recipi cõperiſſent, facile eodem exemplo ſalutis conſilia circunſpicerẽt. Cum ergo multarum vrbiũ expugnationẽ ſola expeditione concludere, quàm vnius obſidioni pertinacius inhærere præſtantius ducatur, deditionis oblata reſpui non oportere. Sin cæteris ſecus videatur inuiolatos obſides mitti debere, ne parũ ſyncera fide cum eis actũ exiſtimari poſſet, aut gentis noſtræ promiſſioni præter ſolitum vlla lubricitatis labes accederet. Hanc ſententiã maximus põtifex Eskillus cõſentaneis ſuffragijs fraudare paſſus non eſt, dicẽdo plebem patribus, non plebi patres obtẽperare debere, neq; par eſſe maiores minorũ arbitrio cedere. Quî autem optabiliorẽ victoriã acquiri poſſe, quàm alienæ religionis populũ non ſolum tributis, verumetiã Chriſtianis ſacris ſubiectũ efficere? Sed etiã potius Arkonenſium opera aduerſum reliquos hoſtes vtendũ, quàm cædibus inhiandum monebat: quippe ſubiugare hoſtem quàm necare tanto præſtantius eſſe, quantũ pietas à ſeueritate diſtare cognoſcitur: inſuper aliquanto ſatius fore, compluriũ muniti onũ præſidia pariter occupare, quàm vnius obſidionẽ omniũ expugnationi præponere. Ea monitorũ ratione permotos principes, tam ſuæ quàm Abſalonis ſententiæ aſſenſores effecit. Rex quoq; eodem conſilij vigore firmatus, infeſtas populi voces clauſis patiẽtia auribus reſpuit. Quibus ad curãda corpora dimiſſis, Abſalon ſuſcipiendorũ obſidum mandatũ amplexus, partim liberorum pignora recipiebat, partim parẽtes in craſtinũ vſq; pro liberis admittebat. Eodẽ proximæ noctis hora cõcubia quietem capiẽte, ingens Barbari clamor inſonuit, Guthskalki quo Abſalon apud Sclauos interprete vtebatur copiã flagitãtis. Qui hac voce excitus, quidnã Barbarus afferret mutuo clamore perquirit. Ille poſtulato Abſalo-

nis aditu, propius accedere permissus, eumq; extra tentoriũ ad se progressum per interpretẽ alloquutus, impẽsius orare cœpit, permitteret sibi Karẽtinis Arkonẽsium fortunæ nuntiũ afferre, hortariq; vt similibus pactis exitiũ præcurrẽtes, suam atq; vrbis incolumitatẽ paciſci non differant, præfatus se voluntatis eorũ indiciũ postridie relaturum. Præterea se patre Littogo Karentiæ natũ, Granzamq; dici asseuerabat, præsentis vrbis non ciuem, sed aduenam esse, nec in eam sponte profectũ, sed cum alijs inter supplementa transmissum. Quod ne fraudulenter asserere putaretur, debilitatũ vulnere lacertum ostendit, sine cuius vsu ciuibus opem ferre nõ posset. Absalon in homine tam grauiter affecto parũ momenti hostiũ viribus accedere iudicans, paruiq; ducens pugnæ an deditionis hortator existeret, petitionẽ eius ad regis arbitriũ relegauit: ac protinus Waldemarũ è somno excitatũ consuluit. A quo rem arbitrio suo tractare iussus, expectanti Barbaro, omnia à rege præter tridui inducias cõcessa respondit, sollicite prouidẽs ne hostibus longũ muniendæ vrbis tempus daretur. Ceterũ insequentis diei spacium ne omniũ induciarũ expertẽ dimitteret pollicetur, præfatus ni in littore quod vrbi suæ proximũ foret, se cum omni Rugiæ primatu tẽpore prædicto obuiũ præbuisset, vlteriore pactionis aditu carituruũ. Postero die Esbernus ac Suno, iubẽte rege simulacrũ euersuri, quod sine ferri ministerio conuelli nequibat, aulæis quibus sacellũ tegebatur abstractis, famulos succidendi officiũ arripere iussos, attẽtius monere cœperũt vt aduersum tantæ molis ruinã cautius se gererent, ne eius pondere oppressi, infesto numini pœnas luere putarentur. Interea fanũ ingens oppidanorum frequentia circunstabat, Suantouithũ talium iniuriarum autores, infestis numinis sui viribus insecuturũ sperantium. Iamq; statua extrema tibiarũ parte præcisa, propinquo parieti supina incidit. Cuius extrahẽdæ gratia Suno ministros ad eiusdem parietis deiectionem hortatus, cauere iussit, ne succidendi auiditate pericula sua parũ dispicerent, neu se labenti statuę per incuriã proterendos obijcerent. Ruinã simulacri non sine fragore humus excepit. Præterea frequens ædem purpura circunpẽdebat, nitore quidẽ prædita sed situ tam putris vt tactũ ferre nõ posset. Nec syluestriũ bestiarũ inusitata cornua defuere, nõ minus suapte natura, quàm cultu miranda. Dæmon in furui animalis figura penetralibus excedere vi sus, subito se circũstantiũ luminibus abstulit. Igitur oppidani simulacro vrbe egerendo funes inijcere iussi, cum id pristinæ religionis metu per seipsos exequi non auderẽt, captiuis exterisq; quæstũ in vrbe petentibus, vt illud eijcerẽt imperabãt: ignobiliũ hominũ capita diuinæ iræ potissimũ obiectanda ducentes. Quippe domestici numinis maiestatẽ, quam tanto cultu prosequi cõsueuerãt, graues è vestigio pœnas à suis violatoribus exacturã putabant. Tum vero variæ incolarum voces exaudiebantur, alijs dei sui iniurias lamento, alijs risu prosequẽtibus. Nec dubium quin ingens prudentiori oppidanorũ parti rubor incesserit, simplicitatẽ suam tot annis tam stolido cultu delusam cernenti. Pertractũ in castra simulacrũ admirãtis exercitus cõcursus excepit. Nec prius sibi principes spectandi licentiã indulserũt, quàm plebẽ visendi sacietas amouisset. Reliquum diei in obsidibus qui pridie remanserãt accipiendis deductũ est. Sed & scribæ principũ in vrbem mittũtur, qui sacerdotali ministerio rudẽ religionis populũ Christianis sacris assuefacerẽt, eiusq; sacrilegis sensibus sanctitatis disciplinã ingenerarẽt. Vespera appetente omnes qui culinis præerant, simulacrũ attentatũ securibus, in exigua fruſta aptosq; foculo stipites redegerũt. Crediderim tũc Rugianos pristinæ piguisse culturæ, cum patrium auitumq; numen quod maxima religione celebrare solebant, igni deformiter applicatum concoquendis hostiũ alimentis famulari conspicerent. Post hæc nostri pariter & fanũ cremandũ, & basilicam lignis machinamentorũ exædificandã curabant, belli instrumenta pacis domicilio permutãtes. Itaq; quod obterendis hostiũ corporibus excogitauerãt, saluandis eorũ spiritibus impẽdebant. Dies quoq; quo thesaurus Suantuitho votorũ nomine consecratus à Rugianis traderetur, præfigitur. His expletis Absalon Granzę Karentinensis ꝓmissione ducibus exposita, cunctisq; eius experimentũ sumi debere iudicantibus, cum triginta nauigijs noctu discessit, rege sub primã lucem insequi monito

Simulacrum summa veneratione colisolitum, cibũ coquendis adhibetur.

Tantus

Tantus autem Karentinis Arkonenſis expugnationis nuntio terror inceſſerat, vt locum qui ab Abſalone prænotatus erat ante præfixum tempus accederent. Illic Granza equo inſidens voce eminus miſſa, quiſnam claſſi præeſſet, rogabat. Quam poſtquam ab Abſalone ductari cognouit, Granzam ſe eſſe confeſſus, regem Tetiſzlauum cum Iarimaro fratre & vniuerſis Rugianæ nobilitatis proceribus aduenisſe perdocuit. Quos Abſalō interpoſita fide naue exceptos, ac per omnia Arkonenſium exemplo deditionem pactos, ad regis aduentum vſq; detinuit. Quo per omnia pactionibus aſſentiente, ſolo Iarimaro ex Rugianorum optimatibus aſſumpto, vnà cum Suenone Aruſienſi Karentiam pergit: reliquos quo tutius vrbem peteret, per Esbernum fratrem epulis allectos, non ante reditum ſuum dimittendos curauit. Triginta ſolos domeſticos milites ſecum habebat, quorum maiorē partem orantibus Karentinis ne quid rixæ per eius comites in vrbe cōcitaretur remiſit, fiduciaq; quàm familia abundantior ad vrbem contendit. Hæc vndiq; ſecus voraginibus ac lacunis vallata, vnicum paluſtri ac difficili vado aditum habet. Quo ſi quis incautis vię exceſſibus aberrauerit, in profundū paludis incidat neceſſe eſt. Hoc vadum emenſis, prætētus vrbi callis occurrit, hic ad portam ducit, mediusq; vallum ac paludem interiacet. Itaq; Karentini quò deditionem ſuam concinnirem efficerent, ſex milium numerum explētes armati ſeſe portis effundunt, viāq; noſtrorum progreſſui opportunā ſuffixis humo cuſpidibus, diuerſa acie circūſtare cœperunt. Quo aſpectu ſtupentem Suenonem rogantemq; quidnam ſibi hoſtium vellet excurſus, Abſalō metu carere præcepit, eorum egreſſionem ab obſequendi ſtudio profectam docendo. Qui ſi nocendi animum gererent, facilius intra vrbem facinus exſequi potuiſſent. Quanta porrò illum fiducia præditum æſtimemus, qui capitis ſui poteſtatē armati hoſtis ancipiti arbitrio tam facile credere non dubitauit? Sed & milites eius exemplo firmati, nec vultu nec ordine mutato parem procedendi conſtantiā ſeruauerunt, plus ſpei in vnius Abſalonis præſidio quàm metus in hoſtium multitudine reponētes. Tranſgreſſos vadū, viamq; vallo citeriorem aggreſſos, Karentini qui ſe hinc inde centuriauerant, humi proſtratis corporibus, perinde ac ſuperos adorandi officio venerati ſunt, exſurgētesq; eorū veſtigia beniuolo ſtudio conſectari cœperunt. Iocundus Abſalonis ingreſſus, aiudo egreſſionis populo extitit. Neq; enim vt priuatæ rei legatus, ſed tanquā publicę pacis miniſter excipitur. Inſignis hic vicus triū præpollentium fanorum ædificijs erat, ingenuæ artis nitore viſendis. Iis tantum penè venerationis priuatorū deorū dignitas conciliauerat, quantum apud Arkonēſes publici numinis autoritas poſſidebat. Sed & hic locus vt pacis tempore deſertus, ita tunc frequentibus habitaculis conſertus patebat. Quorum altitudinis tres ordines fuere, infimo, medij, ſupremiq; ponderibus ſuſtentamentum præbente. Quinetiam tantæ conſertionis anguſtiæ fuere, vt ſi tormentis in vrbem lapides iacerentur, nudā humum in quā cōciderent non offenderent. Super hæc natus immunditijs fœtor cunctos vrbis penates aſperſerat, nec minus corpora q̄ metus animos cruciabat. Vnde noſtris Karentinos obſidioni reſiſtere nequiuiſſe conſpicuum fuit. Neq; enim eorum tam promptam deditionem vlterius mirari voluerunt, quorum tam arctam neceſſitatem liquidò peruiderunt. Maius fanum veſtibuli ſui medio continebatur, ſed ambo parietū loco purpura claudebantur, tecti faſtigio ſolis duntaxat colūnis impoſito. Itaq; miniſtri direpto veſtibuli cultu, tandem manus ad interiora fani velamina porrexerunt. Quibus amotis, factum quercu ſimulacrū, quod Rugiæuithū vocabant, ab omni parte magno cum deformitatis ludibrio ſpectādum patebat. Nam hirundines quæ ſub oris eius lineamentis nidos molitæ fuerant, in eiuſdem pectus crebras ſtercorum ſordes congeſſerant. Dignū numen cuius effigies tam deformiter à volucribus fœdaretur. Præterea in eius capite ſeptem humanæ ſimilitudinis facies cōſedere, quæ oēs vnius verticis ſuperficie claudebātur. Totidem quoq; veros gladios cum vaginis vni cingulo appēſos, eius lateri artifex cōciliauerat. Octauū in dextra deſtrictum tenebat. Hunc pugno inſertū firmiſſimo nexu ferreus clauus aſtrinxerat, nec manui niſi præciſæ euelli poterat, quæ res truncandæ eius occaſio exſtitit. Spiſſitudo illi ſupra humani corporis habitū erat: longitu

do vero tanta vt Abſalon ſupra primam pedum partẽ conſiſtens ægre mentũ ſecu ricula quã manu geſtare conſueuerat,æquaret. Hoc numen perinde ac Martis viribus præditũ,bellis præeſſe crediderant. Nihil in hoc ſimulacro iocundũ viſentibus fuit,lineamentis impoliti cælaminis deformitate ſordentibus. Iamq; famuli maxima cum totius vrbis exanimatione, tibijs eius ſecures applicare cœperunt. Quibus abſciſſis,comitãte ſono lapſus terræ trũcus impingitur. Hoc viſo oppidani,Dei ſui viribus inſultãtes religionẽ mutauere contẽptu. Nec eius excidio contẽtæ, ſatellitũ manus ad Poreuithũ ſimulacrum quod in proxima æde colebatur auidius porriguntur. Id quinq; capitibus conſitũ, ſed armis vacuum fingebatur. Quo ſucciſo Porenutij templũ appetitur. Hæc ſtatua quatuor facies repręſentãs, quintam pectori inſertã habebat,cuius frontẽ læua,mentũ dextera tãgebat. Hęc famulorũ miniſterio ſecuribus icta concidit. Has ſtatuas oppidani Abſalonis edicto intra mœnia cremare iuſſi,preces imperio opponere cœperũt,orantes miſere atur confertæ vrbis: nec incendio obijciat, quorũ iugulo parcat. Nam ſi ignis ad vicina prolapſus,vnum è tabernaculis corripuiſſet,ob eximiã conſertionẽ,vniuer ſa indubitanter conuelleret. Quapropter eas vrbe egerere rogati diu repugnauerunt,quod ſe membrorũ quorũ miniſteriũ imperio exhibuiſſent,numine pœnas exigẽte vſum amiſſuros metuerent,contemptũq; religione excuſare pergebant. Ad vltimũ Abſalonis monitu,Dei qui ſibimet opitulari non poſſet potentiã flocci pendere docti, ſpe impunitatis accepta,imperio ocyus paruerunt. Nec mirũ ſi illorũ numinũ potentiã formidabant,à quibus ſtupra ſua ſæpenumero punita meminerant. Siquidẽ mares in ea vrbe cum fœminis in concubitũ adcitis, canũ exemplo cohærere ſolebant. Nec ab ipſis morando diuelli poterant. Interdũ vtriq; perticis ediuerſo appẽſi, inuſitato nexu ridiculũ populo ſpectaculũ præbuere. Ea miraculi fœditate ſolennis ignobilibus ſtatuis cultus acceſſit, creditũq; eſt earum viribus effectũ,quod dæmonũ erat præſtigijs adumbratũ. Sueno vero quo magis ſimulacra aſpernenda docerẽt,ſuper ea cum à Karẽtinis eijcerentur ſublimis conſiſtere voluit. Quo facto pondus contumelia auxit. Nec minus trahẽtes rubore q̃ onere vexauit,domeſtica numina alienigenæ pontificis pedibus ſubiecta cernentes. Dũ hæc à Suenone gerũtur, Abſalon tribus cœmiterijs in agro Karẽtino dedicatis,veſpere Karentinã redijt: deletisq; ſimulacris vnà cũ Iarimaro profunda nocte ad naues peruenit,eumq; ſecũ cœnitare coẽgit. Iamq; Abſalon ternas cõtinue noctes abſq; ſomno exegerat,adeoq; oculorũ eius aciẽ vigilię debilitauerãt, vt pene viuendi vſum extinguerent. Sequenti luce ſcribę & qui priuata principũ ſacra tractabant,ſacerdotiorũ ornamentis donati,regenerandæ per aquam prouinciæ miniſteriũ præbuerunt. Itẽ baſilicas cõpluribus in locis moliti,priuatę ſuperſtitionis tuguria,publicæ religionis domicilijs mutauerunt. Eodẽ die pariter accipiẽdis obſidũ reliquijs vacatũ eſt. Quo tempore Pomeranorum duces qui Tetiſlauum regno exuendũ,ſeq; Rugianæ rei dominiũ in præmiũ militiæ recepturos putabant,poſtulata abeundi licẽtia,amicitias hoſtilitate mutarũt. Quæ res ipſis poſtmodum ac Danis longã belli diſcordiam interiecit. Veſpere portu ſoluentes ſe ad proximã continenti inſulam appulerunt,illic regi ſeptẽ æqualis magnitudinis arcæ,conſecrata deorum numini pecunia refertæ,à Rugianis allatæ ſunt. His peractis remittẽdæ expeditionis decretũ vulgatur. Qua reuerſa Abſolon nouos ſacerdotes non ſolũ ordinis ſui inſignibus,uerum etiam commeatibus inſtructos, reuocatis prioribus in Rugiam delegauit,ne alienis impenſis utẽdo populũ quem ſacris documentis erudituri erãt,in exigẽdis vitæ neceſſarijs onerarent. Nec prędicationis eorũ miniſterio miracula defuere. Siquidẽ cõpluribus debilitate corporis reſolutis,per eorũ ſalutares p̃ces bonę valetudinis habitus recuperatus eſt. Quod potius lucrandę gẽtis reſpectu,quàm ſacerdotũ,ſanctitati diuinitus cõceſſum videri poteſt. A quibus etiã detractæ religionis ſupplicia varia membrorum ſtrage grauiter exigebãtur,vt manifeſte Deum & cultus ſui præmiũ,& contẽptus vindictã afferre,putares. Ibidem quoque nuper clarum inauditi generis miraculum incidit. Matrona quædã à viro immerẽs adulterij inſimulata,cum purgandæ infamiæ gratia candenti laminæ dexterã obtuliſſet,ſubitò ferrũ quod exceptura

Præſtigioſa miracula dæmonum.

erat

erat perinde atq; innoxiæ manus contactū fugiens, neglecto pondere, ſublime ſe extulit, penduloq; motu gradiētis fœminæ inceſſum comitans, cum ante arā iactandū erat, inter religioſam aſtātiū admirationē proprio impulſu humi decidit. Ea res & mulieris infamiā leuauit, & viſentiū animos religioni proniores effecit. Nec temere quidē pudicitiā ſuā tam ancipitis argumenti iudicio credidit, cui corporis animiq; fiduciā certæ ſynceritatis conſcientia miniſtrauit. Capta Rugia cū adhuc piraticæ labes cunctos maris noſtri ſeceſſus fœdaret, ſolerti Danorū inſtituto prouiſum eſt vt eorum claſſe recenſita, quarta quæq; nauis aduerſum maritimos prædones quoad temporū habitus ſineret excubādi officio fungeretur, ſicq; quorundam aſſiduitas vniuerſorū laborem abſolueret. Tantum enim commodi gens noſtra in paucitatis cōtinua, quantū in multitudinis interciſa militia reponebat. In quod munus potiſſimū iuuenes coniugiorū expertes legi placuit, ne militię ſtudium tori charitate torpeſceret. Iiſdem Abſalon & Chriſtophorus duces adduntur. Qui domeſtici freti liminibus non contenti, etiā Rugiana littora ac Leuiticos ſcrutabantur anfractus. Per idē tempus legati regis quos vt ſibi paternæ animæ ſanctitatem ſacris honoribus venerari liceret Romā tranſmiſerat, conſentanea as voto literas retulerūt. Quibus cognitis rex omni Danica nobilitate ſub edicto Ryngſtadium euocata, circa ſolēne Ioannis quod in æſtiuo ſolſtitio colitur, & parenti cœleſtes honores, & filio regios celebrare conſtituit, maxima claritatis incrementa accepturū ſe ratus, ſi vna eademq; luce ex ijs alterū ara, alterum corona donaſſet, vt & huius infantiā regnum reciperet, & illius ſpiritum publica religio conſecraret. Sed neq; ſe vlla alia ex re tātum voluptatis hauſturū credebat, quàm ſi in filio maieſtatis ſuæ inſignia viuus conſpicere potuiſſet. Quinetiā naues à propinqua ſtatione reuocatas, longinquā agere iuſſit quo citius profundæ barbariæ piratas offenderent, ante feriam quę Ioannis cenſetur participandę ſolennitatis gratia reuerſuras. Diſcedētes quoq; præmonuit ne huius generis piratas callidius quàm fortius confligere ſolitos repente laceſſerent, & quibus id conſuetudinis ſit vt hoſtili claſſe ſuperueniēte nauigijs ſuis in littus ſubductis, de induſtria citato curſu latebram petant, hoſtibusq; liberum inſtandi locū tribuant. Sed mox vt eorum nauigia ardenti remigū ſtudio paſſim littoribus applicata conſpexerint, improuiſo recurſu latebris erumpentes eadem brachijs per foros iniectis apprehenſa ſubducant, ſubductaq; nautis partim lapidū, partim telorū nimbo obrutis ferro perfodiant, ac crebris foraminibus abſumant. Hos itaq; tametſi fugere videantur auidius inſequendos non eſſe, quorū non minus fuga q̄ impetus metui debeat: neq; terga prębentibus prępropere innitendū, ſed potius & littus compoſito nauigationis genere petendū, & in aciem iunctis patienter ordinibus deſcendendū. Hæc agentibus in expedito victoriam fore, quod inermes illi nudisq; penè corporibus dimicantes, plus aſtu quàm apparatu niti ſoleant. His monitis incaleſcentes ſe in Olandiam appulerunt. Verum quanq̄ Sueones ac Dani inimicitias gererent, ne deſtinatam paganis cladem Chriſtianis infligerent inſulę parcendū duxerunt, religionis concordiam regnorum odijs præferentes. Hic ab indigenis permixtos Eſtonibus Curos propinquo in portu piraticam exercere perdocti, indicatum ſibi locū vt cuiq; nauigationis celeritas ſuppetebat, cum cōtemptu hoſtium, regij monitus immemores, certatim ſubintrant. Quo viſo, ſpeculatrix Eſtonū ratis remigio in altum exceſſit, obuiaq; nauigatione diffugere quàm ſociæ claſſi viſorum nuncium afferre maluit. Quod reliqui piratarum experti, ſubductis in continentem nauigijs, de induſtria ſe propinquæ ſyluæ fruticibus occultare cœperunt. Quorum commentum Sueno Scolingus & Nicolaus Wendilenſis haud callide ęſtimantes vehementi remorum impulſu concitatis nauigijs, cum vniuerſis remigibus littus inſiliunt, vbi protinus fallaci Barbarorum recurſu excepti, diuq; cum ijſdem ſtrenue præliati, neglecti regalis conſilij pœnas exitio pependerunt. Quibus dum Touo Longus, & Eſgerus inſignes Abſalonis equites auxilio fore geſtiunt, quorum ſpiritum protegere ſtudent ſociantur funeribus. Talibus ſociorum periculis Magnus Scanienſis irritatus magis quàm territus, diuerſo littoris aditu ſimilem pugnæ euentum habuit. Horum omnium nauigia Barbari prius remi-

Lamina candente pudicitia probatur.

gibus viduata, mox ſecuribus perfoſſa profundo merſerunt. Has militum ſtrages Chriſtophorus contẽplatus, temperato remigij curſu terris nauẽ abſtinuit. Quæ cum fluctuante prora littori latus aduerteret, tanta ſaxorũ vi ab hoſte petita eſt, vt remiges ſua tantũ corpora munire contenti, aliena attentare nequirent, nec iam inferendis ictibus ſed vitandis vacarent. Hæc poſtquã Esbernus animaduertit, ne ſanguis regius fruſtra ſibi creditus videretur, ſtrenua nauigatione continentẽ petendo medijs ſe iaculantiũ ſaxis immerſit, oneratumq; periculis iuuenẽ ab imminenti exitio nauigij ſui interiectu ſeruauit: Quod protinus Barbari magnis virib. apprehenſum, vulneratis qui proræ præerant, in littus haud ſegniter pertrahendũ curarunt. Esbernus cum ſe tribus ſpiculis baliſta emiſſis, toties ictu fraudatum vi deret, confracto tormẽto cuius vſum fruſtra tentauerat, à puppi in proram armatus conceſſit, ſolusq; tot hoſtes aliquanto diei ſpacio mira animi corporisq; virtute ſuſtinuit. Tandem ſilicibus adeò contuſus telisq; perſtrictus, vt pedibus quoq; deficeretur, ægrè puppi repetita conſedit. Iamq; à comitibus deſertus (nam cuncti, præter vnum, pellente metu profundo ſe dederant) poſtq̃ barbaros nauigium cuius iam latera dolabris perfregerant inſilire conſpexit, virtutis priſtinæ nõ oblitus, viribus recollectis ſemel iterumq; ac tertio exceptos fugauit, telaq; in ſe cõgeſta acerrime in hoſtem retorſit: auxilio ſibi vertens quod in eius perniciem vis aliena contulerat. Ad vltimum hebetatis neruis, laſſitudinis nimietate confectus, cũ potius debilitati quàm hoſti cedẽs reſumendarũ virium gratia paululum gradum referre cœpiſſet, tam grauem lapidis ictum capite excepit, vt ante puppim pene exanimis collaberetur. Quem cum Barbari conſcenſo nauigio iacentem obtruncaturi concurrerent, vnicus eius comes cum voce ſemianimem ſuſcitare non poſſet, dextera comprehenſum erexit, ſolaq; conſiſtentis imagine propinquas hoſtiũ cateruas repulit. Tanta quippe fortitudinis eius experimenta fuerant, vt aſpectu non minus quàm viribus hoſtem terrerent. Poſtremo ſenſibus redditis, comitem percunctatus curnam ab eo fatigaretur: poſtquã nauigium Barbaris completum audiuit, priſtino animi vigore, pulſis omnibus, in proram conceſſit, pugnaq; ſtrenue edita, cum viribus propemodũ abſumptis ad malum regredi vellet, rurſum ſemianimis cõcidit: periſſetq; ni eum Chriſtophori remiges ocyus naue exceptũ ſeruaſſent. Quæ res cæteros in littoris acceſſione cautiores effecit. Eo nanq; proſpectius abſtinentes, eminus rem fundis iaculisq; geſſere. Et quoniã rebus vlterius attentandis noctis propinquitas officere videbatur, ſumpto differendæ pugnæ cõſilio, ne qua Barbarorum ratis nocturno portus egreſſu clandeſtina fuga dilaberetur, excubijs obſeruandũ duxerunt. Igitur Barbari cum ſe tantę claſſis obiectu concluſos viderent fortitudinem ex deſperatione capientes, iam non de fuga ſed victoria cogitare cœperunt. Itaq; partim proprijs, hoſtiumq; nauigijs quibus potiti fuerant, partim ſylueſtribus truncis arboreisq; molibus munitionem ad vrbis inſtar ædificant, binos habentem introitus arctos admodum, anguſtijsq; difficiles, quibus quis veluti poſticis ſubmiſſus irreperet: latera quoq; quæ ex nauigijs compegerant velis in multiplices ordines conuolutis exterius imminebant, propugnaculorum vſum à telarum conſertionibus mutuantes. Præterea alijs ſectos ſtipites figẽdis ictibus exacuere, alijs littoralia ſaxa iactibus idonea legere curæ fuerat: & ne vlla ex parte remiſſis animis viderentur, bacchantium more cantu choreisq; lętitiam ſimulabant, Danis triſtẽ ſilentio noctem ducentibus. Tunc Lucas Chriſtophori ſcriba nationis Britannicæ, literis quidem tenuiter inſtructus, ſed hiſtoriarũ ſcientia apprime eruditus, cum infractos exercitus noſtri animos videret, mœſtũ ac lugubre ſilentium clara voce prorumpens, ſolicitudinem alacritate mutauit. Siquidem memoratis veterum virtutibus, noſtros ad exigendam à ſociorum interfectoribus vltionem tanta differendi peritia concitauit, vt non ſolum mœſtitiã diſcuteret, verumetiam cunctorum pectoribus fortitudinem ingeneraret. Dictuque incredibile fuerit, quantum virium in noſtrorum animos ab alienigenæ hominis ſermone manauerit. Diluculo redito paucis ad prohibendam hoſtium elapſionem relictis, remoto ab eorum caſtris ſpacio littus conſcendunt, ne in ipſo apparatu repẽtinos ſuperueniẽtiũ paterẽtur incurſus. Itaq; cultius armatis in acie præi-

Animus Esberni cuiuſdam ſuis hoſtibus reſiſtendi fortiſſimus.

præire iuſſis, ignobilibus quibuſq; ſubſequendi locum attribuunt. At Barbari nõ per acies ſed paſſim munitione delapſi, ingẽti clamore edito in pugnam proſilire cœperunt, exiſtimantes Danos ſtrepitus viribus perterrefactos primo congreſſionis impetu ſuperandos. Tantus autem clamoris eorum horror increbruit, vt in poſtrema acie collocatis non ſolum metũ, ſed fugam incuteret. Verum à præcedentibus ſecus ac rebantur excepti, non minore impetu caſtra quàm reliquerãt repetebant. Cõplures ex eis cæſi, ſolus è noſtris Olauus guttur telo traiectus multoq; ſanguinis profluuio debilitatus, ſemianimis in littus refertur. Primus Nicolaus Sticonis filius virgenere & viribus iuxtà ſplendidus, defenſam à Barbaris munitionẽ irrupit, ſed in ipſo mox aditu vehementi fuſtis ictu exceptus procubuit. Quẽ Ako frater proprij corporis obiectu protegere cupiens, dirum in gutture vulnus excepit. Quorum fortitudinis veſtigia cæteri inſecuti, facto irruptionis gradu, cum cõtemptu periculorum atrocius in hoſtẽ graſſantur. Quibus etiam qui excubijs prę-erant ſuperuenientes opem tulere, alij malis appoſitis munimenti faſtigiũ tranſcẽdentes, ferendi ſocijs auxilij ſtudio hoſtilibus ſeſe globis immergunt. Tãta autem in Barbaros ſtrages exercita eſt, vt ex ipſa eorũ multitudine ne cladis quidẽ nuncius ſuperſtes reperiretur. At noſtri prædę participatiõe acta, refectisq; nauigijs, nobilium ſociorũ cadauera ſalientes, ignobilibus ibidem tumulatis, in patriã referenda curabant. Qua inita Waldemarũ apud Ryngſtadium magna cum optimatum frequentia regio apparatu feriantem reperiunt. Vbi Lundenſis pontificis miniſterio cuius id exequendi officium erat, & patris eius oſſa aræ traduntur, & filius ſeptem annos natus Kanutus rex cõſecratur, regia in ſella purpura venuſtatur. Quibus debita religione celebratis, Helgo pontifex Asloenſis, & Stephanus Vpſalenſis ab Erlingo miſſi, editiore loco occupato pacem Noruagienſibus benigno precabantur alloquio. Quam à rege eo potiſſimũ die concedendam eſſe monſtrabant, quo & filium diademate, & parentem altareo honoratum vidiſſet, tantum quod excellenti eorum facundiæ tributum eſt, vt Erlingo familiaris colloquij aditus promitteretur. Ad quem Esbernus poſcente Helgone, nondum reſanatis vulneribus legatus dirigitur, Erlingo & Iuaro Noruagienſibus interim obſidum loco apud regem retentis. Multa illi in concione Erlingus inſolenter, hic multa Erlingo audacter reſpondit. Quo Erlingus domi ſuæ detento Waldemarum allocuturus, Sialandiam, quatuor nauigijs Stephano Vpſalenſi comitatus, accedit. Quem cum Abſalon nuper à regis in Iutiam proficiſcẽtis comitatu magna claſſe regreſſus, Iſorenſi in portu aduentantem videret, ſocijs quicquam hoſtiliter conari vetitis, ne ſuperuenientibus metus inijceretur tranquille eius nauigationẽ excepit, quem etiam maiore claſſis ſuæ parte dimiſſa, ad regẽ perduxit. Is cum prima colloquij die obiurganter exceptus de concordia deſperaret, Abſalonem per Stephanũ orat, tutò ſibi diſcedere liceat. A quo timidius quàm ſi in patria foret ſentire prohibitus colloquium repetiuit, pacemq; probatis conditionibus impetrauit. Enimuero cunctis Noruagienſium magnatibus in eandem ſacramenti formã obſtrictis, iureiurando pollicitus eſt ſe filium regis Waldemarum admodum paruulũ educationis officijs proſecuturũ, eundemq; prius Noruagiæ ducem, deinde regni hæredem futurũ, ſi filius ſuus Magnus abſq; liberis iuſto matrimonio ſuſceptis decederet. Quinetiam miles regis effectus, quotieſcunq; res poſceret ſexaginta Noruagienſium naues in eius comitatũ expediendas promiſit. Cuius pacti onis tenorẽ Danorũ fide laudata, domi poſtmodũ in concione vulgauit. Quem Touo deſcendentẽ reducendi Esberni gratia ꝓprio ſequebatur nauigio. In quo profecturus Esbernus, munificentia gentis arcuum telorumq; donis onuſtus abſcedit. Cum ad Oddam prouinciã peruenisſet, ex eius ſpeculatoribus, regem expeditione Pomeraneã petiuiſſe, cognoſcit. Iidem ab eo interrogati an vllos recẽter piratas vidiſſent, quadraginta ferme nauigia ad inſulã Syram appuliſſe denũtiant, prẽfati parũ ſe noſſe, negociatrix an piratica claſſis extiterit. His auditis Esbernus vt noctu inſcios præteriret, neglecto ſyderis habitu quàm remotiſſime terras nauigando vitare conſtituit, piratico ſe conſpectui ſubducere cupiens. Sed dum obſcuritatis auxiliũ expetit, ſubitò collucentis lunę fulgore proditur. Nam Sclaui

Kanutus quo modo rex fuerit electus.

ſerena nocte conſpecto velo, obiecta claſſe nauigantē excipiunt. Quibus conſpectis Esbernus nautas arma capere, loricatosq; ſuis in locis conſiſtere hortatus, reliquos ſecum in proram perductos ex vtroq; nauigij latere ſpiculis hoſtem inceſſere iubet, vt ſalutem ſuam protegere neceſſe habōtes, ſegnius alienam impeterēt, Præcepit quoq; cum primum claſſis obiectum, veli beneficio penetraſſent, eodē defenſionis genere quo proram inſtruxerant ſe duce puppim communiant, obſeruato ne quis prēter eum inter prēliandum fandi licentiam vſurparet, quo melius imperantis iuſſio exaudiretur. Quem ſi occidere contigiſſet, Touonis vererē tur imperium. Hic ſi periſſet, Eſgero proloquium deferretur. Quibus proſtratis, minimum pugnæ reſtaturum dicebat. Quo demum loricam ſumere volente, is qui gubernaculo præerat quo ſe ſit protecturus inquirit, cū vtraq; manu circa gubernandi officium occupata, neutra neceſſariæ defenſionis vſibus aptare poſſit. Cui continuo Esbernus munimentum quod erat ſumpturus tradidit, ſeq; quàm gubernatorem hoſtibus inermem offerre maluit. Quo facto vnius hominis corpus ferro, omnium vero mentes audacia inſtruxit, tantopere hoſtes à ſe cōtemni demonſtrans. Quibus iuxta Esberni cōſilium obedienter ac ſtrenue geſtis, poſtquam claſſis globum aciemq; perruperant, primus ſequentium Sclauorum incurſus vi telorum abigitur. Secundus aliquanto maiore conatu editus, pari modo repellitur. Tertio Barbari tantam vnius nauigij virtutem mirati, cum quibus prælientur interrogant. Reſpondet Esbernus fruſtra nomina rimari, qui prædam occupare non poſſint. Hunc vocis iactum expertus Ericus Iuriſij filius, vir generis clari ſed cordis obtuſi, quem fortè Sclaui illic cāptiuum habebant, quàm poterat clara voce prędicauit Esbernum ab eis capi non poſſe. Quo audito ſeipſos niſi eo potirentur inuicem execrati, hoſtilis nauigij latera citra malum cōmunibus roſtris impellunt. In quo conflictu complures ex eis exanimati ſunt. Sialandenſium nemine periclitato. Cumq; ventus cuius non modicum auxilium erat, aliquantulū ex priſtino habitu remittere videretur, interrogatus à ſuis Esbernus, an velo remigium adijcere oporteret, id fieri prohibuit, ne nauigationem metu conficere putarentur. Cumq; Barbaros idētidem firmatis animis pertinacius inſtare cognoſcerent, perſeuerantię eorum metu, an ſilex intra nauigium ſuppeteret percontatus, poſtquam haberi eum animaduertit, malum cōſcendi, inq; eius cacumine ignem extundi præcepit. Cuius facti acumine Barbaros ſequentem claſſem imitari putātes, ab vlteriore ſui inſectatione cohibuit. Cum velum extra proſpectum hoſtium eſſe crederet, demiſſo eo domeſticum in portum remigio peruenit. Ita nō minus ingenio ſuo quàm ſociorū viribus adiutus partim à fortitudine, partim ab aſtutia præſidium mutuatus eſt. Interea rex Rugianorum claſſe auctus, perq; oſtia amnis Zwinæ Pomeraniam ingreſſus, Iulini oppidi ipſo intacto confinia populatur. Deinde ad fluuiū Iulino Caminoq; iunctū vniformem principijs oſtijs bipertitum, regia claſſe ꝓgreditur. Cuius nauigationem crebra ſæpiū obſtacula à piſcatorib. defixa difficilem faciebant. Pons quoq; prēlongus Iulini mœnibus cōtiguus, media amnis interciſione tranſitiue coarctabat, citra quem impedimentis vrgentibus pnoctatū eſt. Mane rex continentem aggreſſus, ex aduerſo vrbis in ripa auſtrali pontem diſijci iuſſit. Nec minori Sialandenſib. piſcatorias ſæpes cōuellere ſtudio fuit. Quos cū Iulinenſes peroccultū pontis tranſitum cimbis prolapſi ꝓpellere niterentur, Abſalō qui ſimul cum rege ripā aſcenderat, alienis nauigijs correptis opportunum eis præſidiū attulit. In cuius clypeū coniecta tela inania cadebant, ſociorum ſcutis immiſſas cuſpides retentantibus. Cumq; eius nauigiū huic ſpectaculo procul intentum, hortante rege ꝓpius acceſſiſſet, repulſis hoſtibus ingentiq; pō tis parte conuulſa cæteræ claſſi nauigandi iter tribuitur. Quā cum oppidani prætereuntem ſcaphis inceſſerent, Abſalon & Suno, cimbas ſuas ſagittarijs cōpletas eis obijciunt. Ancepsq; exercitatio erat nauiculis, vario tormentorū genere decertantibus. Verum vt Iulinenſibus oppidū, ita noſtris claſſis refugio fuit. Ad vltimū cedentes oppidanorum ſcaphæ, liberū claſſi ꝓgreſſum dedere. Quam cum Suno poſterius ſequeretur, quendā e Iulinenſibus inſolentius ripæ incurſantem, eiecto balliſta ſpiculo interemit: eiq; mox aliū ſubuenire conantem ſimili ictu ꝓſtrauit.

Quo-

Quorum corpora totidem ocyus accurrẽtes, humeris ſuis excepta celerrime deportarunt. Cumq; noſtros ob id factum vnus ex oppidanis perinde ac ſociorum necem maledictis vlturus acerbiore cõuitio inſequeretur, proteruè eum Guthskalcus agere prędicabat, quod dona quæ in alios vltro collata conſpexerit, contumelioſa verborum violentia aſſequi cupiat. Nam cum duos eorum pedites à noſtris equites factos conſpexerit, reliquos ſi propius acceſſiſſent, ſimilibus equis eſſe donandos. Quo dicto non ſolum inſectatoris petulantiam cõtudit, verũ etiã oppidanorum omnium inſolentiam proculcauit. Inde ad inſulam Criſztoam peruentum. Cuius incendio abſtineri rex vt annonæ equorum alimentis neceſſarię parceret, edixit. Proxime ad vrbem Caminum permeato amne proceditur. Cuius ſeptentrionali prouincia armis incendioq; vaſtata, prælium eius in ponte conſeritur. Sub quẽ Sclaui per occulta vada repẽtes, lanceis inter rimas porrectis furtim noſtros vulneribus appetebãt. Cuius incõmodi fraudem Danicarũ illico ſcapharum frequentia diſpulit. Pontis quoq; fragilitas excidiũ minitans, amplius q̃ hoſtis ſęuitia in metu reponebatur. Igitur omiſſa vrbis oppugnatiõe, Criſztoam reditur, vbi reducendæ expeditionis ſumma cum totius exercitus hæſitatione cõſiliũ agitantes, qua parte põtum repeterent ambigebant. Nam cum Pomeranorũ lacus tribus oſtijs in fretũ decurrat, duobus Penenſi videlicet & Swyznenſi lõginquitatis tędio faſtiditis, propinquã Caminẽſis exitus breuitatẽ adire placuit. Quẽ Gero quidam regiõis eius locorũ peritus adeo vadoſum incertæq; profunditatis aſſeruit, vt eum æſtus dũtaxat regreſſu ſuo meabilẽ faciat. Cuius cognoſcendi gratia Abſalon cum tribus nauigijs miſſus contigui maris ſæuitia interpellante, profunditatis habitũ excuſſe rimari non potuit. Hic fluuius vbi lacu emanat, contractiore alueo ſtagnat. Progreſſu verò ſuo ſupra amnis modũ latitudinis incremẽta ſuſcipiens, eximiã paludẽ aut facit aut inuenit. Rurſum vbi pelago influit priſtinæ contractionis menſuram reſumit. Quanq; vero claſſis regia Abſalonis reditũ operiri deberet, nauigationis ardore præcepti oblita, imperio feſtinationi poſthabito ad idem amnis diuerticulũ procurrit, ac ſeipſam proprio ductu difficillimis aluei locis inſeruit. Cuius cum Chriſtophorus terga cuſtodis more poſtremus tuta retur, inſultantibus Sclauorũ nauigijs haud facilẽ fluuij ingreſſum habuit. Quod attentationis genus partim viribus ſuis, partim ſociorũ auxilijs propulſauit. Cũq; rex eodem die Iulinenſis prouinciæ denuo inuadendæ cõſilium agitaſſet, Abſalon cõcubia nocte opportuna aſcenſui loca ſcrutatus, vbi ſolidiorem fundi ſitum aduertit, illic aut palos fixit aut harundines ripæ iunctas nodis ſignauit, poſteraq; luce eaſdẽ indiciorũ notas ſecutus, exponendis equitib. facilem cõtinentis aditũ præmonſtrauit. Qui cum Magnũ Erici filiũ diurnę excurſationis agendæq; prędæ ſocium haberet, eumq; incautius euagantẽ ab hoſtibus propè interceptũ, quanq; à rege vicorũ incendijs inſiſtente reuertendi imperium accepiſſet, charitatẽ obedientię prætulit, Magnumq; partim nauali, partim equeſtri hoſtium militia arctiſſimo in loco cõcluſum, eueſtigio cõcitato agmine ſuperueniens imminentis exitij periculo liberauit. Nec ingratus auxilij Magnus, ſalutem ſuã ſe ei debere cõfeſſus eſt. Ad hæc ingentes ſeruatori grates exſoluit, ſeq; etiam ſpiritum ſuum ſi neceſſe foret eius ſaluti impẽſurum promiſit. Verum Abſalon memor hanc opem à ſe latam aduerſum regis imperiũ eſſe, ne triſtiorem eius vultum experiretur, gratiam quam contemptu læſerat prædæ obiectu recuperare conſtituit. Igitur pecorũ ordines præ ſe agi, captiuoſq; in caſtra præcedere iuſſit, eoq; aſpectu permulſos regis oculos in aduentum ſuum ſereniores effecit. Is nanq; cognitis, Abſolonis operibus ſpolijsq; conſpectis iram quam contemptui inflixit virtuti remiſit, eumq; leui repræhenſionis genere venientẽ excipere contentus fuit. Repetita claſſe anceps educẽdę eius conſilium fuit. Alij ſiquidem medias fauciũ anguſtias ad commodum nauigationis ligonibus patefacere, ſtrictasq; fluuij partes foſſorũ opera ampliandas cenſebant. Sed quia manifeſtum erat futurum, vt arenis maritimo æſtu appulſis foſſa obſtrueretur, opus attentatũ non eſt. Alij naues ſubiectis trabibus cõmuni vi in portũ pertrahendas duxere, equitatu vtrinq; ripas tuente, Rugianis ſolis ſex paruulas rates hac arte educere cõtigit, cæteras vero oneribus

admodũ impeditas diſiungi quàm abſtrahi facilius fuit. Igitur cum noſtri infinito procedẽdi ardore aliquandiu fauces fruſtra tẽtaſſent, reuocãte rege ægre cœpto ceſſerũt. Tanta omnes (Abſalonẽ excipio) hoc exitu vtẽdi auiditas ſtimulabat. Is nanque explorato amne, faucium profunditatẽ nauigijs inacceſſam fore cõperat. Interea Kazymarus imperita noſtrorum ſeceſſione gauiſus, claudẽdi amnis gratia quinquaginta nauiũ claſſem eius principio obijciebat, ratus nihil hoſtium fortunæ præter mortẽ aut captionem reſidui fore. Inſignes ei ſagittarij Konon & Cirinus fuere, ab Henrico in Sclauorũ auxilium, Danorũ odio miſſi. Bugiſzlauus quoq; cum equeſtribus copijs ſuperueniens, nauigijs in ſupplementũ fratri tranſmiſſis, Iulinẽſes quod cum noſtris acie nõ conflixerint ignauiã eis obiectando cõtempſit. Quæ res adeò Iutenſiũ animos metu confecit, vt Abſolonem veluti concione circundatũ palàm conuitijs aggredi deforme non ducerent, eius ductui imputãtes quod propriæ feſtinationis impulſu commiſerant. Quinetiã muliebriter & quaſi per lamentũ queri cœperunt, olim regum conſilia ad illuſtriũ virorũ arbitriũ pependiſſe, nunc in ſtolidiſſimi cuiuſq; monitis ſententiaq; cõſiſtere. Enim uero Danis eo loci peruentũ eſſe, vnde reditus ſpes præſumenda nõ ſit. Quãobrem pauca nauigia quibus rex ac principes dilabi poſſent, publico conamine extrahi oportere, ne Danorũ vires ac nomen vno temporis momento funditus collaberentur. Quã inſectationẽ Abſalon adeò patienter ac moderate tulit, vt nihil ex conſueto mentis aut vultus habitu deponere videretur. Idq; ſolum monere cõtentus fuit, vt eas tantũ ad præſens voces profunderẽt, quarũ in futuro meminiſſe non pudeat. Huic fortè obtrectationi Scorro Waggnonis filius interueniens, primũ ob confuſas populi voces, cuiuſnam rei mentio haberetur liquidò exaudire non potuit. At vbi ceſſante iurgio, remiſſoq; ſtrepitu, Abſalonẽ maledico aſtantiũ ſermone lacerari cognouit, Deſipitis, inquit, commilitones, pijſſimi ac valẽtiſſimi viri induſtriam tanquam ſcelus aliquod aut flagitium obſcœna verborum petulantia proculcando, ignauasq; & indignas fortibus voces in eius conuitium muliebriter iaciendo. Neq; enim ſtrenuam ac fortem operam iniqua æſtimatione penſare fas eſt. Ipſo ſiquidem ductore eas terrarũ partes armis luſtrauimus, quas ne aſpicere quidẽ maioribus noſtris contigit. Et ſanè principibus ductandi, militibus ſequẽdi ius competit. Ergo nos proprijs niti, alienis vero imperijs regi conuenit. Neque enim ab eodem & defendi & ductari debemus. Quapropter nos illi grates habere par eſt, qui fortunas ſuas toties pro noſtra præda victoriaq; deuouit, cuiuſq; nũc fortiſſimo ductu eo neceſſitatis peruenimus, vt ſalutẽ armis protegere debeamus. Iam enim patriã ac penates, affectãtibus, ante hoſtiũ oculos conſpicuũ virtutis opus ædere neceſſe eſt, reditumq; probitatis actibus impetrare. Has autẽ populi noſtri querelas, à ſumma animorũ trepidatione profectas quis dubitet? Sed prô dolor quid cauſæ eſt quod tot illuſtriũ virorũ præcordia tam repente fiducia defecit, ignauia occupauit? Quid nobiſmetipſis nullo concutiente metum parimus, abiectaq; ſpe ſine periculo trepidamus: Corporibus integri ſumus, neq; nexus neq; plagas experti. Dextris enſes geſtamus, nihilq; robori noſtro inopia aut clades detraxit. Agè tantã fortunæ incolumitatẽ virili mentiũ robore proſequamur. Meminerimus nos exercitatos, nõ imbelles fœminas eſſe, & inter penè inermes hoſtes, ſumma cũ armatura verſari. Certe ſi claſſis noſtra aut naufragio aut incendio periſſet, nihil impedimenti eſſet quo minus per medios hoſtes patriã equis repeteremus. Mittite ergo trepidas ignauasq; voces muliebriter auribus tantæ concionis inſerere, exſurgentesq; animis hebetatos fortitudinis neruos priſtina virtutis fiducia recreate. Talibus aliquãdiu monitis inſiſtens, potius obtrectantiũ ora cohibuit quã animos correxit, depreſſitq; iurgiũ exhortantis autoritas, quod ei ſumma pietas ac præcipua fortitudo maximã ſociorũ gratiã conciliauerat. Interea Kazymarus claſſis noſtræ potiendæ ſpe admodũ incitatus, ſimulandæ fiduciæ gratia tentorio in ripa defixo aureis argenteisq; poculis ſibi ac militibus merũ propinari conſtituit. Cuius inſolentię faſtũ, fugatus poſtmodũ rubore mutauit. Interea Waldemarus principes à claſſis pertractatione reuocatos curatis corporibus ad ſe coire iubet. Quos cũ intra nauigium

Oratio Vuagonis ſuos commilitones Abſalonẽ calũniantes reprehendentis.

Eesti Vabariigi Raamatukogu Toompea 1088.

gium ſuum frequentes adeſſe cognoſceret, quid factu potiſſimũ ducant inquirit. Quibus reſponſum non dantibus taciturnitatẽ miratus, cauſam eius exponi præcepit. Tunc quidã, hæſitantibus cæteris, pueros ei in conſilium adhibendos dicebat, quorum præcipue monitus ſectari ſoleat, vt quos duces elegerat etiam reduces habeat. Qua voce Waldemarus Abſalonis ſibi familiaritatem exprobrari cognoſcens, non moris eſſe, inquit, fortes viros inuicem ſe muliebriter reprehendere, quin potius vbi publicæ neceſſitati cõſulitur, priuatas lites faceſſere oportere. Sed neq; hominem qui ab ipſis imperitiæ damnetur, ſi cõſultus fuerit reſponſiõis ignorantia ſilentiũ acturũ. Intuensq; Abſalonem quid ſuadeat rogat. Ille conſiliũ in expedito eſſe, cum eo regi libitum foret vti pronunciat. Quę enim alijs impedimẽta atq; obſtacula videãtur, diſpulſu facilia fore, neq; aut nauium obiectum, aut equitum incurſum morari poſſe, quo minus ea parte egreſſus pateat, qua aditus fuerat. Regem quippe expoſitis in cõtinentem equitibus, protegendæ claſſis gratia ad ipſas fauces ſecedere debere, eoq; nauigia nonnulla loricatis remigibus inſtructa cæteris ſingulatim præire, & claſſem hoſtilem cum primũ frequentiũ comitatus affuiſſet irrumpere. Ridentibus cunctis & an ipſe præuius fore vellet percontantibus, volo, inquit, ne fortius dixiſſe videar quàm feciſſe. Etenim audaciũ conſiliorum autores, quod ore ſuadent manu proſequi conuenit. Delectatus conſilio rex, Abſaloni naues, remigesq; quos poſceret expediri præcepit, ac protinus ripã ſtipatis equitibus petens ad amnis principium properauit. Quo Kazymarus eminus aduentare conſpecto, relicto ocyus tabernaculo ad claſſem trepido curſu ſe retulit. Septena delectu habito nauigia procurantur, eadẽq; loricato remige exornantur. E quibus bina Abſalonis fuere, totidemq; Esbernus ac Suno ductabant. Reliquis tribus Thorbernus, & Olauus, & Petrus Thorſtani filius præerãt. Cũq; Abſalon cætera claſſe ſeriatim ſubſequi iuſſa nauigio primus incederet, ignotum amnis diuerticulum infenſo nauigationis cõpendio penetrauit: cuius reliqua nauis gubernãtis errore ſubitò vadis inſedit. Sed hunc deuiæ nauigatiõis exceſſum, detruſa arenis puppe remigũ velocitas porrexit, ſtatimq; barbara claſſis ceu ventis correpta paſſim dilabitur. Cuius fugã Dani magnis ac lætis vocibus inſecuti, diſciſſum ſaxi vinculũ effuſo clamoris gaudio prædicabant, deq; accuſatoribus Abſalõis veneratores effecti, ingenti gratia ipſi relata, contumeliã laudibus redemerunt. Sed & eius animus moderatiõis & conſtantiæ viribus præditus, mobilis vulgi adulatione extolli parui habuit: tantũq; ſe in deſpiciendis laudibus geſſit, quantum in contẽnendis vituperijs egerat. Tantulo negocio tã ingens periculũ diſpulſum eſt. Bina Sclauica nauigia remigũ metu deſerta, apud Criztoam à noſtris excepta ſunt. Tertiũ ſubſtantibus aquæ palis affixũ, ſociorum ſuccurſu ſeruatum eſt. Cumq; rex citatis equis Iulinum petiſſet, Bugiſzlauus circa pontis refectionẽ ineundæ vrbis ſtudio occupatus, conſpectis Danis operã fuga mutauit. Adeò illum ſubita animi trepidatio priſtinæ dictorũ ſuorum inſolentiæ obliuiſci coëgerat. At rex confeſtim refecto ponte tanquam hoſtium opera conſummaturus, in auſtralem ripam equites traiecit, quò facilior exoneratæ claſſi inter amnis cõſepta progreſſus pateret. Quo poſtquam Abſalon ſubſequenter nauigia ductãdo peruenit, ne eadem Iulinenſes vt ſoliti erant inceſſerent, inſtructam ſagittarijs ſcapham cõſcendit, eamq; medio inter vrbem & claſſem amne direxit. Verum oppidani nimio timoris hauſtu perculſi, anxia cũ deſperatione totius militaris fiducię vacui, mœnibus ſuis incluſi latebant. Pertrãſitis impedimentis nauigijs equi reddũtur, defeſſaq; remigio claſſis in portũ colligitur. Cumq; Abſalon ac Suno conſueto excubandi officio poſtremum fixis anchoris locũ cepiſſent, veriti ne eorum nauigia vento circunferente ſolo propius adacta, nocturnæ equitum irruptioni paterent, conſcenſis nauiculis quantum ripa à profundo diſtaret curioſa amnis colluſtrationе explorare cœperunt. Interea quidam è Iulinenſibus mero ſolutus, ſed venuſta admodum clientela ſtipatus ripam inſolentius obequitãdo petiuit, benigneq; eis Guthſcalco interprete locutus, atque obſides pacis poſtero die dandos pollicitus, reliquijs rerum parci, prædáque abſtineri popoſcit. Quo diſcedere volente, equo inſolentius ab eo per iactantiam cõcitatus ſubito lapſu corruit, eumq;

Fortes viros inter ſe muliebriter contẽdere, priuatisq; litibus, vbi publicæ ſaluti conſulendũ, nõ decet intentos eſſe

vehementi ictu humo inflictũ, penè exanimẽ proſtrauit. Hũc ſatellites veloci accurſu iacẽtem attollere fruſtra conati ſunt: quippe cuius ſenſus halitu intercluſo magnitudine caſus ſopiti viderentur, noſtrorũ vero ſagittis petiti capiendũ hoſti herũ liquerunt. Qui protinus à vernulis Abſalonis in ſcaphã coniectus, ad Liburnam defertur, vbi viſu demũ motuq; corporis recuperato inter ſuos ſe conſtitutũ exiſtimans, aſſidentes oſculo amplexuq; petebat. Quo errore riſum ſpectãtibus ſuſcitauit. Interea rumor falſo diſperſus exercitũ ſubit, hoſtes impediendi exitus ſtudio Swynenſia oſtia crebris occupaſſe nauigijs. Cuius opinionis fidẽ idem Barbarus rumorem falſitatis arguendo leuauit, prẽfatus excuſſum ſibi exploratumq; fore Sclauicũ robur Danico adæquari non poſſe. Quod ſi Pomeranorũ vires Polonenſibus ſociatæ ferro cum Danis decernere debuiſſent, malle ſe tutiusq; poſſe Danicas partes quàm aduerſas fouere. Cęterũ ſi Polanis ac Sclauis contra Danos dimicaturis etiã Saxonica acceſſiſſent auxilia, neſcire ſe quã partem victorię propiorẽ eſſet auguraturus. Qua aſſeueratiõe, noſtros ad capeſſendã cum hoſtiũ contemptu nauigationem, alacriores effecit. Tanta autem timoris vis Sclauorum animos hebetauerat, vt ne extremos quidem ſicut olim conſueuerant, inceſſere tutũ ducerent. Petrus quoq; cognomento Toddo cũ nauigiũ ſuũ palis illiſum rupiſſet, eiusq; reficiendi cauſa abeuntem ſociorũ claſſem relinqueret, tempus reparationi impenſum vt ſolitarius ita omnis periculi immunis exegit, refectaq; puppe ſubſecutus ſocios, nemine laceſſente per tutã & liberã nauigationem ad claſſem peruenit. Adeo Sclauorũ petulantiã, priſtini metus reliquiæ caſtigabant. Ergo inconcuſſus peractæ expeditionis reditus fuit. Reſiduũ anni ocio tributum eſt. Interea Kazymarus & Burgiſzlauus Danicarũ viriũ metu Henrico ſe ſubdunt, regnumq; ſuum hucuſq; liberum Saxonici muneris faciunt. Ergo dum ex hoſtibus alterum metuunt, alterius iugũ ſumpſerunt, auxiliũq; petendo antiquæ libertatis beneficium amiſerunt. Sed Waldemarus Saxonicam opem fruſtra à Sclauis petitam iudicans, vtroq; hoſte contempto, cum inſtructa claſſe Stitinũ veterrimũ Pomeranię oppidum petit. Huius nauigationis præceſſor Abſalon, benigni erga Stitinenſes animi ductorem habebat. Cuius fraude per Oddoræ amnis diſpendia abductus, cæteris rectam & cõpendiariam nauigationẽ ſequentibus, mutato ordine poſtremus ad vrbem peruenit. Eſt autẽ Stitinũ eminentis valli ſublimitate cõſpicuum, inſuper natura arceq; ęqualiter munitũ, vt inexpugnabile pene exiſtimari poſſit. Hinc mos prouerbij ſumptus, eos qui ſe tutos inaniter iactant, Stitini præſidio nõ defendi. Huius tamen vrbis expugnationẽ Dani ſpe viribus maiore cõplexi, cum materiam eius partim incendij capacẽ animaduerterent, cõſtructas virgis crates admodũ breues, ob iacula vitanda velut ſcuta prę ſe geſtabant, ij ſdemq; freti ligonibus aggerẽ petere cœperunt, tutius intra cuniculorũ latebras ignẽ ſparſuri. Rex interim oppugnationem orſus muralibus machinis omiſſis coronã admouit. Solis ſagittarijs ac funditoribus excelſa mœniũ propugnacula appetere poſſibile fuit, aditũ faſtigio negante. Fuere tamen ex iuuenibus qui glorię ſtudio ſumma mœnium clypeis tantũ protecti conſcenderent. Alij contiguas ſolo portas cõtemptis propugnatoribus cominus ſecuribus tentant, minusq; eis quàm procul agẽtibus periculi fuit, quod tanta telorũ vis in hoſtes vndiq; congerebatur, vt ab ijs nõ niſi remotiores cerni impetiq; poſſent. Quo euenit vt audacia ſalutem, ignauia diſcrimen afferret, tutioresq; propinquitas quàm remotio præſtaret. E contrario Danorum armis non magis propugnatores ipſi quàm cæteri intra vrbẽ populares opprimebantur, ancipiti iactu valli conſepta tranſcendentibus telis. Nulla res oppido magis aduerſum oppugnantiũ multitudinem quàm defenſorũ paucitas nocuit, vtpote quorũ bellicus labor ſucceſſionis auxiliũ non habebat. Præfectus vrbis Wathyſzlauus erat, qui & ipſe Bugiſzlauo & Kazimaro ſanguine cõtiguus habebatur. Huius animus nihil pene cum ciuiũ ingenijs cõmune ſortitus, tanto amplificandæ exornandæq; religiõis ſtudio flagrabat, vt Sclauico ſanguine editum, barbarisq; moribus imbutũ negares. Siquidẽ vt patriã ſuperſtitiõi deditam ab errore cultus reuocaret, exemplumq; ei corrigendæ credulitatis proponeret, monachalis vitę viris è Dania adcitis, in latifundio ſuo ſellam exſtruxit, eamq; multis & magnis

Gloriæ ſtudiũ periculi contẽptum parit.

magnis ſtipendijs locupletauit. Qui cum laſſatis pugna ſocijs vrbem captiõi propinquam animaduerteret, hoſtiũ ſæuitiam veritus, offerendę deditionis gratia pacem petiuit, acceptaq; fide protinus à pauoris conſortibus funiculo ſubmiſſus, regia caſtra petere non dubitauit. Quo viſo, Danorum populus languidius pugnam exercuit, periculis ſuis regi pecuniam emi, ſeq; eius cupiditate victoria pariter ac præda fraudari conqueſtus. Quo rex animaduerſo, demendæ notæ cupidine vrbem equo circuiens, milites ad inſiſtendũ hortari cœpit. Poſtquam multo labore edito caſſam ac difficilem oppugnatiõem aſpexit, reuerſus in caſtra Wartyſzlauũ admittit. Cuius precibus motus dedẽdi poteſtatem oppidanis indulſit, pecuniãq; quantam ægre vniuerſa Sclauia exſoluere poſſet cum obſidibus pactus, ſtatuit vt vrbem Wertiſzlauus à ſe in beneficium receptam tanquã regium munus, conſortio Sclauicæ dominationis eriperet. Igitur reuocatis ab oppugnatione militibus neq; capi vrbem neq; diripi paſſus, ſignũ ſuum propugnaculis affigi pręcepit, receptæ deditionis indicia præbiturum. Illic cernere erat vallum ab imo in ſummum ita ſagittis vndiq; conſitum, vt arundine concretũ putaretur. Quas noſtri ingenti ſtudio lectas pharetris reddiderunt. Poſt hæc nauigationem remenſi, capto Lyubino Rugiam reuehuntur: & quoniã Rugianę piſcationis tempus ſuperuenerat, in cõmune conſultũ eſt eò loci tertia totius claſſis parte excubias ordinari, ne publicis alimẽtis petẽdis hoſtilis vicinię metus officeret. Huic manui Kanutus Priſzlaui filius à rege præeſſe iuſſus, deformiter imperio repugnauit, prętatus ſe nihil præter anguſtos Lalandiæ fines in Dania poſſidere, eoſq; tanti non eſſe, vt pro ijs tuendis ſeipſum indubitato periculo obijcere cupiat. Cęterum id negotij iuſtius ad põtifices quos ſolos rex arbitros habeat pertinere, quod tãto indignius ad ſe referri, quanto remotiorem à regis familiaritate gradum obtineat. Tam impudenti iuuenis reſpõſo percitus Waldemarus, exigua illũ beneficia (quod exiguis dignus ſit) accepiſſe reſpondit, de cætero ſe efficiente ſpoliandũ magis honoribus quàm beandum. Sed nec eum pontificũ familiaritatẽ inter probra ducere oportere, è quorum numero reperire facile ſit, qui præſens negotiũ ſuo ductu finire non abnuat. Ita Kanuto imperium detrectante Abſalonem accerſit, eiq; Kanuti reſpõſionem exponit. Deinde an naues quibus ipſum præeſſe oporteat inſtruxiſſet, perquirit. Contrà Abſalon interrogato, an ea res pontificum opera abſolui poſſet, ſuã cupidius offert, prædicando conſentaneũ deſertiõi opus fore, regem periculis relictũ reditum affectando dimittere. Quem Waldemarus ob reſponſi virtutem impenſioribus verbis laudatum, Kanuti moribus diſſimilem prędicabat, quod ille imperio parere nõ audeat, hic iuſſum vltronea ſuimet oblatione pręcurrat. Regreſſus à rege Abſalon, amicis è Sialandia denuntiat ne eo torpidius remanſuras naues inſtruant, quod ab ipſo ductari regiq; debeant. Primus Thorbernus incũctanter ſe comitem eius futurũ reſpondit, cuius ſuccurſu quondã patriã exuli ſibi redditam eſſe meminerit. Petrus quoq; Thorſtani filius nõ ſine magno rubore eum à ſe deſeri poſſe, quem & neceſſitudinis & matrimonij affinitate cõtingeret prędicabat. Cuius comitandi Suno non minus ſibi quàm ipſis debitum incumbere profeſſus eſt, quod ei intima iunctus propinquitate noſcatur. Esbernus quem ſolũ fratrem habebat, comitatu ſuo orbandũ negabat. In hunc modũ tota penè Sialãdenſium claſſis condixit. Quo cognito rex non ſolum ipſis, ſed & Abſaloni grates habuit, qui ſibi tam propenſum ciuiũ fauorem, virtutis meritis peperiſſet. Igitur Abſalon poſt regis diſceſſum ad tuendos Rugiæ fines relictus, non tam tutã incolis euagationem quàm ſecurã ipſi Daniæ quietẽ præſtitit, Pomeranorũ claſſe patriæ termi nis excedere non audente. Huic Sueno Aruſienſis cum aliquanta Iutenſiũ manu voluntarius operũ comes ac ſocius fuit. Eo tempore princeps Rugię Tetyſzlauus cum Iarimaro fratre ſuperueniens, gratijs Abſaloni actis, tum ei, tum cæterę claſſi ſuffecturos excubijs cõmeatus benigniſſime præſtitit, eiſq; inter nauigia diuidendis, induſtrios ex noſtris viros pfici poſtulauit. Sed Iutis allata paſſim & ſine diſtributione rapientibus, Abſalon hac munificentia vlterius vti noluit, excepto quod halec è captura ſibi deferri cõſtituit, ne obſequium iniuria rependeretur. Indedomum repetiturus, apud inſulam Thynnam ſequacem Iutorum claſſem dimittit.

Quorum incautior pars dum Auſtralia Fioniæ latera præteruehitur, apud vrbem à Kanuto Priſzlaui filio cõditam, piratis obuijs terreſtri ſibi fuga cõſuluit, nauesq; ſuas metu deſerere, pudori non duxit. Qua fama accenſus Abſalon cõtracta ocyus claſſe, magno ſcrutandi ſtudio loca quæ maxime piratis familiaria nouerat, indagabat. Igitur opacos inſularum anfractus, & abſtruſos maris angulos aſſidua nauigatione rimatus, miſeras captarum nauium reliquias triſtiaq; prædæ veſtigia reperit. Quarum inuentu vltionis auidior redditus, diuiſa claſſe ſeparatim luſtrationis officium peragi iuſſit: ipſe ad inſulam Manſuetam cum potiore Sialandenſium claſſe conceſſit. Iamq; præuiæ nauigationis excurſu ſociæ claſſis conſpectu exceſſerat, cum fortè quidam in deſtinato conſiſtens littore, crebra pilei ventilatione colloquium eius expetere videbatur. Quem magnæ rei nuntium arbitratus, incognita ex eo cognoſcendi cupidine, velo poſito terram cimba petiuit. Agnitiq; eminus hominis fidem prima voce damnauit, quod egreſſę nuper à Sclauis piraticæ parũ eo præſcius fuerat. Is nanq; biſſenas nummûm libras annuatim mercedis loco pactus, quoties quatuor pluréſue piratici myoparones Daniam petere ſtatuiſſent, indicia ad Abſalonem ſe delaturum promiſerat. Cuius non alia ſaluandi promiſſi ratio extitit, quàm quòd ante pactionem ſecum initam piratas profectos aſſeruit. Idem Abſalonẽ quorſum tenderet percontatus, vt comperit domos repetere velle, tunc deniq; expeditionem ab eo ſolui cũ inchoari debuerat, aſtruebat. Iam quippe à Sclauis aduerſum Daniam ingentem claſſem eſſe cõtractam. Quod vt cognitum ſibi compertumq; fore, ita ambiguũ extare quiſnã Danię partes hoc paratu petere deſtinauerit. Æſtuante Abſalõe & quo ſe hoſtes effuſuri eſſent prædiſcere cupiente explorationem promittit, præquiſito quo nuntiũ referre debeat. Abſalon promontoriũ Monẽſe deſignat, rogatq; tempus quo obuium mittere debeat: ille diem ſextum definit. Nec diutile moratus abſcedit, priusq; conſpectum fefellerat quàm comes Abſalonis claſſis appelleret. Noſtrorũ ſiquidem præſentiam peroſus repẽte dilabi curæ habuit, ne re cõperta proditi ciuium conſilij, morte aut exilio ſupplicia lueret. Nec rem Abſalõ tacite habuit. Siquidẽ acceptum nũtium venienti ſociorũ claſſi, ſuppreſſo autoris vocabulo, publicauit, præfatus tunc à ſe domos repeti cũ claſſem exeri ſatius foret. Ignaris cunctis quonam id autore cõpertum haberet, tantamq; eius præſcientiam admirantibus: bifariam optione diuiſa deliberare eos iubet, aucta claſſe an cõtracto equitatu venturum hoſtem repellere mallent. Quod ſi neutrum probent, vel littorum incolas quo minus piratarum ſæuitiæ pateant, proprijs relictis tutioribus recipi locis iubeant. Igitur magnates concordi ſententiarum voto neq; incertam hoſtiũ appulſionem equitatu excipere promptum, neq; littorale vulgus ad interiora reijcere ſpecioſum ducentes, naualiter confligendum decernunt. Igitur portubus augendæ claſſis gratia repetitis, remiges velata nauigia dimittere iuſſi, paſſim ad petẽdos alterius expeditionis cõmeatus diſcurrere cœperunt. Abſalon ob nõnulla negotia Roskyldiã proficiſcitur. Quem inde reuertẽtem hybernũ ſubito frigus excepit. Cuius tanta vis fuit, vt etiam aquas repente cruſtaret. Cumq; Sialandenſiũ populares cõtractis alimentis, onuſtos cõmeatibus currus nauigia repetendo ductarẽt, tãta glacialis luti moles rotarũ orbes implicuit, vt prſus gyrare non poſſent. Quippe pertinax gelu veluti glutino quodã lignis limũ aſtrinxerat. Quo euenit vt curruum rectores iiſdem relictis iumenta oneribus ſubderẽt, ipſiq; pedeſtriũ ductorum officia ſubirent. Quorũ ocreas gelatæ ſordiũ tabes ſupra quàm tibiæ ferre poterant, onerabant. Hos cum Abſalon equo præteriens miſeratorijs verbis proſequeretur duraq; pro patria perpeti prædicaret, reſpõderunt maioris ærumnę eſſe cãptiuum piraticis in tranſtris conſidere, plusq; ſe ex præſenti labore voluptatis q̃ amaritudinis capere. Igitur expeditionem orſus cum prope Monam veniſſet, obuium accipit, quem nuper ad eiuſdem inſulę promontorium nouarum rerum ex Sclauo cognoſcendarũ cauſa trãſmiſerat. Illic accepit claſſem Sclauicã Swaldẽſi in portu morantẽ, petendæ Monę propoſitũ gerere, in auſtrali ipſius littore equites, pedites in ſeptentrionali edituram, nauigia vero Kyalbyenſis ſinus anfractibus immiſſuram. Quam idcirco copias ſpargendas duxiſſe, ne incolis vllus fugæ

locus

locus admitteretur. Quo comperto, optimum arbitratus est trãquillo nauigationis genere Coztam petere: nec prius ab ea diuertere quàm classis hostica seipsam ex consulto prædicti sinus angustijs infudisset. Cui si inopinatè superuenire nequeat, reliquas hostium copias occupatu facilimas autumabat, quibus nullus absq; nauigijs reditus pateat. Sclauis segnius agentibus, dilationẽ miratus Falstriam petit, ibiq; è tota classe bina nauigia legit, quibus hostium actus speculari præcepit. Horum alterũ Sialandẽsibus, alterũ Falstrensibus instruere iussum, statuto, vt si eadem ab hoste capi cõtigisset, reliquæ classis impensis redemptio taxaretur. Quod audiens qui à Sialandensibus in alterius nauigij regimen adcitus fuerat, operã se daturum asseuerabat, ne redemptionis beneficium captiuitatis iniuria paciſci necesse habeat. Quod non ignauiæ causa officium detrectando, sed vigilantis industriæ fiducia securitatem præsumendo astruxit. Verũ Absalone Coztã regresso, Guemmerus quidam conuiuio Falstrensibus præbito, nauem quæ speculandi gratia ab eis expediri debuerat, epularũ dulcedine retẽtabat. Siquidem humanitatis specie fraudẽ occultans, omniũ sobrietatem eximio potionis onere fatigatam, ad salutare Absalonis imperium exequendũ, lentã nimis inhabilemq; reddiderat. Is Guemmerus nimia Sclauorũ familiaritate corruptus, nostræ gentis consilia latenter eis prodere consueuerat. Eodem quoque tempore Sialandensium classem corpore magis quã animo secutus fuerat. Ad cuius penates Sclaui iam portu Suualdensi petendæ Falstriæ proposito egressi, præmittunt qui ipsum super Danorũ negocijs secretius percontentur. Tunc vero Guemmerus ab Absalone in classem vocatus, patriæ excubias specie, re vera insidias exhibebat. Qua de re nuntij per eius domesticos certiores effecti, maturè suis quæ acceperant indicant. Ea res Sclauicæ classis cœptum propositumq; frustrata est. Itaque cæteris rebus omissis ad sinum, quem viridem vocant, appellere contenti fuere. In cuius littore crucem religiosa ab incolis cura constructam excidere adorsi sunt, insigni stipitis ruina maiorem piraticæ gloriã habituri. Cuius sacrilegæ temeritatis suppliciа postmodum turpissima fuga, tristissimoq; naufragio pependerunt. Falstrensibus quoq; hesterno mero saucijs superuenissent, ni Sialandicus speculator inter remos ægre delapsus, ebrijs somnum clamore depressisset. Per quem Absalon cognito hostiũ occursu, noctu Inguarum & Olauum probatæ solertiæ viros leuibus nauigijs ex insula Boka ad speculandum eorũ consiliũ dirigit. Quibus profectis eorundẽ reditum præstolare non passus abscessum prosequi statuit, præcurrẽdos potius quàm imitandos existimans, ne longa nuntij expectatione cuncta tardius exequeretur. Meminerat, siquidem moris esse Sclauis exercitum ducturis, ante lucanos amare procursus, rebusq; celeriter confectis festinis studere regressibus. Quos ne tradius aggrederetur remigiũ maturius instruit, vnà speculatoris ac ducis partes acturus. Quem Sclaui diluculo conspicati, aduẽtanti cunctas nauium suarum puppes opponunt, proris in altũ auersis perinde ac fugæ non prælio consulturi. At vbi Sialandensium signum enituit, vehementi remorum conatu parẽ fugam intendunt, corpore viros, animo fœminas exhibentes: nec ægre Absalon fugientibus institit. A quorum insecutione coorta subitò tempestate prohibitus, Falstriã repetiuit. Tanta autem vndarũ colluuio fuit vt nauium quæuis in aliam iactaretur, nec collisioni leui opera succurri poterat periculo omnes æque pulsante: perissentq; nostri nisi tẽpestati cedere maturauissent. Igitur Sclaui cum remigio aduersum vndarũ sæuitiã eluctari nequirent, veloq; sibi cõsulere vellent, tẽpestatis magnitudine euersis nauigijs mergebantur. Quorũ periclitationis certissimum indicium crebra piratarũ nauium fragmenta regionis nostræ littoribus appulsa dedere. Bina ex ijs nauigia remigũ virtute à fluctibus defensa, in Iarimarũ Rugiæ principẽ inciderunt, qui postmodũ alterum ex ijs Absaloni præmij nomine transmisit, vtriusq; captionẽ ipsius negocio imputans. Solennis hic dies Nicolai nomine erat: cuius auspicijs effectũ est, vt Sclauorũ excercitus ad hoc vsq; tempus Daniã hostiliter petere ausus non fuerit. Iamq; nostros reditũ intendentes (vt hyeme fieri assolet) repentinũ gelu concluſit. Quod tantæ violentiæ erat, vt ipsam sinus in quo pernoctabant, superficiem enata subito glacies occuparet. Huic tata

Guemmerus quidam patriam se salutem esse velle simulans, eam prodere conatur.

ſoliditas inerat, vt ſpiſſitudinem eius vnico ictu tranſuerberare nõ poſſes. Cũmq; eximia glaciei moles portu egreſſuris obſiſteret, induſtria prouiſum eſt, vt vnius nauis præceſſu cæterarum inſecutio expediretur. Sed nec vna quæuis præeundi officio diutile fungi poterat, quod partes carinarum extrinſecæ glacialiũ cruſtularum acumine perinde ac ferri impreſſione exederentur. Quam ob rem præceſſionis vices inter nauigia æquo ordine diuidi curatũ eſt. Ita demum per maritimos anfractus nauigatione protracta, in apertum pelagus peruẽtum eſt, indeq; ad propria cuiq; remeatum. Iamq; Abſalon temporum ſupputatione habita, vniuerſas præſentis anni partes, ternis menſibus exceptis, piratico labore emenſus fuerat. Poſtera æſtate apud Eydoram inter Hẽricum & regem communium negociorũ agitatio, contractis vtriuſq; prouinciæ principibus, habebatur. Vere reddito, Chriſtophoro ſolis præfectũræ ſuæ viribus ſuccincto, proſpera aduerſum Brammeſeos expeditio fuit: qua peracta alia protinus regalibus iuſſis inſtruitur. Hanc Abſalon & Chriſtophorus ducum nomine proſecuti, primi Manſuetã venere. Qui cũ rege tardius agente rurſum Brammeſeos aggredi ſtatuiſſent, aduehitur Eskyllus inſigni Scanienſium claſſe ſtipatus. Hic nuper Hyeroſolyma regreſſus, barbã admodum immiſſam longinquæ peregrinationis teſtem gerebat. Igitur Abſalon ſi quid clam tanto viro experiretur, vitio ſibi vertendum exiſtimans, per Esbernum ei quid cupiat, indicat. Ille ſtudio Abſalonis impenſius laudato, orat ſociũ ſe propoſiti habeat, canitiemq; ſuam iuuenilia quandoq; experiri permittat. Nec ſegniter promptiſſimis Scanienſiũ delectis, Abſalonem ſecutus, cõmuni nauigatione appulit Lalandiã. Illic noſtris obuiæ ſeptem Rugianorũ rates fuere. Vnde cum noctu ſoluiſſent, erroris metu peritum nauigationis ex Abſalone depoſcit, quo recepto proſpero curſu deſtinati portus compendium aſſecutus eſt. Abſalonem vero noctis opacitas aliquantis nauigationis exceſſibus errabundũ effecit. Sed nec Sialandenſes erroris prorſus expertes reliquit. Par ignorãtia Rugiana quoq; nauigia fefellit, & fortè in eum locum inciderant, prope quem Brammeſiorũ claſſis piraticam actura coiẽrat. Cuius rei inſcij Rugiani, cum primum lux affuit noſtrorũ ſe copijs inſerunt, paremq; cum ipſis militiam auſpicantur, paucis ad nauiũ præſidia relictis, quas Brammeſij conſpectui ſubiectas, dilapſis metu cuſtodibus, populantur. Nec prẽda ſpolijsq; cõtenti, bina ex ijs nauigia p̃ſtantioris fabricæ viſa, ſecum abducũt. Quæ cum ꝓhibentibus Sialandicæ claſſis cuſtodibus vlterius amouere non poſſent, ferro ꝓtuſa merſerunt. Vnicã hæc prouincia vrbẽ habebat, quę à Danis rebus vacua reperta eſt, incolis eidem defenſionẽ ſuã credere nõ audentibus: cuius deſertioni partim defenſorũ, partim valli inopia cauſam p̃buit, antequã incolæ vocitabant qui mœniũ ſuorũ diffidẽtia cum cõiugibus ac liberis ad eccleſiã extra vallũ ſitam certatim ſe cõtulerant, religionis q̃ belli preſidio tutiores futuri, pacisq; domicilio periculũ vitaturi. Sed nec quiſquã è noſtris ad eorum bona manus porrigere auſus eſt, ne prædandi libido ſacrilegio implicaretur: quanq̃ in ſacra æde iniquas opes attentare nefas non eſſet. Neq; enim religiõis autoritas, eius detractorib. auxilio obtentuiq; fore debuerat. Iamq; militante Abſalone, Eskillus ne quid cõſuetæ religiõis omitteret, primã ſacris operã exhibebat. Cuius animo tantus hoſtiũ contemptus inceſſerat, vt in exercitu toga non armis vteretur. Interea Hurna quidã & Marquardus, quem Adolfus Holſatiæ præfectus filio moriens tutorem reliquerat, Danorum copijs ſuperbo ſermone contemptis, ingentem Sclauorum, Saxonumq; manũ contraxerant. Forte autem noſtris intermiſſo obequitandi labore, reſpirandi gratia aliquantiſper humi cubãtibus, Eskillus adeò ſe ætatis magnitudine contuſum confractũq; aſſeuerabat, vt ne equũ quidem ſine adiutore conſcendere poſſet. At vbi hoſtes in conſpectũ venere, quouis iuuene ocyor equum inſiluit, ita vt corporis eius robur nulla ex parte quaſſatũ putares: adeo virtus ætati imperat. Itaq; qui dictis ſenectutem cauſatus fuerat, hanc poſtmodũ factis inuentam redolentibus decorabat, quem in hanc virtutis diſſimulationem nihil præter virtutem adduxit. Eodẽ forte tempore ex noſtris manus paruula prædæ dulcedine à cæteris digreſſa, cum hoſtes militum numero ſuperiores, & fuga vitare deforme duceret, & pugna aggredi non auderet, inter metum pudoremq;

defixa,

defixa, ſociorum præſtolabatur aduentum, inter quam & reliquas noſtri exercitus copias paluſtribus aquis medius fluebat, vno, tãtum vado meabilis, riuus. Quẽ Abſalon cunctante primipilo primus equo tranſgreſſus, ſequentibus ſuperandæ difficultatis compendium præmonſtrauit. Cuius rei ignari, hoſtes ſecurius quàm cautius operiebantur, Danicorum equitum aduentum editi mõtis interiectu celante. Igitur qui prius à noſtris diuulſi fuerant, nõ expectato ſociorũ auxilio quod ſibi tam propinquum cernebant, auide in hoſtem procurrũt, ne bellum proprio metu dilatum, aliena virtute expetere viderentur. Quorum Sclaui paucitate contempta, poſtquã maiorem hac aciem humilioribus locis relictis montis iuga ſuperare cõſpiciunt, terga vertentes, ab ijs quorum vires ſumma animi dictiq; petulantia laceſſiuerant, nullo negocio fundũtur. Tantum ſemper ludibrij, inſolentiæ exitus afferre conſueuit. Tunc quidã ex noſtris quos ex fugientibus occupabant, nuda haſtarum parte equis detrudere cõtenti, ob communem religionem ferro proſternere paſſi non ſunt, ne peremptorum cædes plus percuſſoris animæ noceret, quàm glorię prodeſſet. Quam iniuriam beneficij loco à paſſis acceptam credi derim. Ingenti deinde præda acta tam diu in littore perſtatum eſt, quoad Rugianorum nauigia, quæ Brammeſij violauerant, reficerentur. Interea Henrico duce apud Bauaros agente, vniuerſi Saxonum ſatrapæ gerendi cum Danis belli cupiditate, quod minimo conficiendum negotio arbitrabantur, inſignem viribus exercitum amplificabant. Qui in itinere profugis occurrentibus, accipiunt Danos non ruſtica aut ignobili armatura, ſed operoſo ac militari inſtrumento bella gerere ſolere, tantæq; in Chriſtianos clementię eſſe, vt fugientes colaphis quàm armis inſectari maluerint. Nam aciem ſuam cum ab eis capi intercipiq; poſſet, equis non ſpiritu ſpoliatam, autorem vero victoriæ ſolum Sialandenſiũ antiſtitem extitiſſe: Id mirum ſatrapis viſum, quorum vnus Guncellinus, cuius bellicæ virtutis experientia apud Henricum ducem familiaritatis palmam creauerat, de re præſenti à cæteris conſultus, Abſaloni in maritimis occurrendum monebat, quod cum vnius inſulæ manu dimicare magni non ſit. Interrogatus ab ijſdem rurſum an cum ipſo rege manũ tuto conſerere poſſent: ne id quidem Henrico duci ſine periculo audendum reſpondit. Quo dicto cunctantibus cunctis, Danicæq; virtutis impetum formidantibus, viam ſe tutioris conſilij repperiſſe ſubiunxit. Nam cum vniuerſæ Danorum vires maritima expeditione cõfluxerint, ſi interim Sleſuicenſium partes hoſtiliter peterentur, plus diſpendij Danos quàm foris inferant, domi eſſe paſſuros. Quo audito Bernardus Razaburgenſis in eam prouinciã arma ſe trãſlaturum negabat, quam per regem beneficij iure poſſideat. Sed neq; Sleſuicenſium portas tametſi rex extrinſecus agat, adeouſq; defenſoribus carere, vt plane hoſti patere videantur. Nam carũ cuſtodiã ſexaginta Danorum millibus eſſe mandatã. Quod audiens Henricus, qui Saxonię primatum vicario nomine adminiſtrabat, bellum à ſe Danis temere parari proteſtatus eſt, qui pacis patriæq; charitate flagrãtes, propulſandæ magis quàm irrogandæ iniuriæ gratia aduerſum inſolentiſſimos ſeruos, teterrimosq; latrones Martem inducãt. Quos cum innocentes inceſſere nefas habeatur, tartareas ſedes mereri, qui tam iuſtæ gentis cruore manus ſuas cõtaminare præſumerent. His monitis decretũ remittendæ expeditionis obtinuit, cunctis tam indignũ militiæ genus detrectandũ cenſentibus. Igitur Guncellinus, qui bellicæ virtutis operibus apud Henricum excellentem familiaritatis locũ meruerat, cum ſententiã ſuam ſociorum arbitrio damnatam animaduerteret, pacificandum cum noſtris ratus, Sunonem popoſcit, eoq; cõpoſitiõis partes plenius exhibente, vſq; ad Henrici ducis è Bauaria reditum, belli dilatiõem obtinuit. Rex deinde Rugiam aduectus, Sircipinenſem ſtatuit attentare prouinciam. Quã dum peteret, eximiã vaſtæ cœnulentæq; paludis difficultatẽ offendit. Cuius ſuperficies tenero veſtita ceſpite, graminis quidẽ ferax, ſed veſtigij ita impatiens erat, vt plerunq; calcãtes obrueret. Nam limo funditus ſubſidente in luteas voragines, ſordidãq; colluuiem prolabebantur, haud aliud progreſſuris iter patebat. Tunc equites extenuandę difficultatis vitandæq; laſſitudinis gratia, arma ſibi detracta equis imponunt, eosq; pręuij ductare cœperunt. Quos vt altius cœno obrutos ſuſtentabãt, ita cum

Sclaui ab iis, quorum vires petulantiſſimè cõtemperant, nullo negotio ſuperantur.

& ipſi ductando ſubſiderent, equorũ comã amplexi fulciebãtur. Riuulos quoq; qui in ea palude crebri admodum diſcurrebant, nexis virgarũ compagibus ſuperant. Tunc vero inſignis quorundam probitas fuit. Nam quidam ex equitibus armis onuſti, ductis poſt ſe equis, paſſibus incedebant, agilitatis fiducia onera abijcere recuſantes. Quorum factũ hoc illuſtrius, quo inuſitatius extitit. Sed & equi dũ corpus lacunis immerſum auidius erigunt, interdum ductores vngulis obruunt. Rex ipſe duorum militum humeris innixus, omnibus præter proximam corpori veſtem reiectis, ægre limi mollitiem ſuperat. Raro vnquam plus ſudoris Danica virtus expendit. Ingentẽ hoſtibus peragratæ paludis admiratio ſtuporẽ inuexit. Neq; illis reſiſtere tutum ducebant, à quibus & ipſam rerum naturam ſuperatam cernebant. Victor tantæ difficultatis exercitus haud ſecus quàm ſi hoſtem fudiſſet, alacer incedebat. Ingentes deinde ſyluas emenſus, animaduertit vicum apta nauigijs palude circundatum. Is aquarum natura quàm arte munitior erat, eaq; duntaxat parte vallum habebat, quam pons inter ipſum & continentẽ porrectus tangebat. Hunc princeps vrbis Otimarus prohibendi aditus gratia aduẽtante exercitu, vndis illico exæquare curauit, ſolis ſtipitum reliquijs inter aquã manentibus. Quas noſtri ceu quædam alterius pontis iaciendi fundamenta ſortiti, propin quæ villæ ſepibus applicatis, paulatim intermeandæ paludis compendium moliuntur. Huius itaq; loci oppugnationem rex hortante mœnium inopia aggreſſus, Abſalone cũ maiore equitatus parte prędatũ miſſo, quæcunq; exædificandi pontis inſtrumento opportuna animaduertit, ſummo negocio cõtrahit. Huius operis contextum verentes oppidani, cõtractis vndiq; ſudibus, ligneã turrim inſtituunt, cuius præſidio hoſtem tanq̃ arce vetarẽt, eiusq; propugnaculis freti, noſtros promouendo operi q̃ protegendo corpori intentiores, immiſſis ſubitò funditoribus inceſſere cœperunt. Contra Dani ſagittis decernere adorſi quia propius accedere nequibant, rem eminus tentant. Nec minus Otimarus noui põtis progreſſu territus, ſtagnum rate tranſgreſſus, regem petebat, ac prout noſtrorum operã aut ſegnem, aut vegetem animaduertit, ita nunc parcius, nunc impenſius pacis ſupplicationes agebat, ſemperq; pro oppugnationis habitu deditiõis verba cõcipiebat. Tunc vero remiſſior operis executio fuit. Sciebant enim milites ſi bellũ reuocari deberet, pontem à ſe conſeri non oportere. In quem tanta iam armatorũ moles conceſſerat, vt ne locus quidem ſuppeditandis, quæ ſtructuræ neceſſaria forent, ſuppeteret. Adeò vincendi auida multitudo, operãdi anguſtias ſibi ipſa cõſciuit. Sed nec aliter allatæ ſepiũ moles, q̃ ſuper militum vertices eorũdem manibus ductatę proferri poterãt. Nec inutilis ea neceſſitas fuit, cum ſepes in altũ libratæ non minus corporibus muniendis proficerent, quàm aquis ſternẽdis prodeſſent. Eodem exemplo vulneribus ſaucij referebantur. Tum vero rarior tenuiorq; pontis contextus fiebat, militibus plus eius incrementis, quàm firmitati ſtudentibus. Et iam pene eundem inſulæ cõmiſerant, cum hoſtes partim arte, partim viribus freti, nouo pugnandi genere bellum exaggerant. Siquidem haſtatas falces è turri directas, ad militum noſtrorum ſcuta tendebant, eaq; pertinacius apprehenſa, præliantibus detrahebant. Obnitentes interdum violentiore tractu ponte excuſſos profundum petere cogebant. Cui malo ni maturius occurſum fuiſſet, Danorũ iuuentus propemodũ ſcutis vacua occubuiſſet. Nam ex noſtris quidam lignei vnci adminiculo, iniecta ſibi falce potitus, eadem cæteras occupãdo, hoſtem ſubſidio ſpoliabat. Iamq; dies occiduus erat, cum rex contiguæ noctis metu quid potiſſimum ageret incertus, ſeram oppidi captionem, futurumq; pontis incendium verebatur. Quîs rebus cum ſe vrgeri animaduerteret, ne victo ſimilis magno cum ignauiæ rubore ab oppugnatione diſcederet, ad intuendas Otimari preces paulatim animum deflexit. Quem deſperationis errorem Abſalon cum ingenti præda ſuperueniens, conſilij ſagacitate mire diſcuſſit. Siquidem regem ſi ſe ignaro Otimari votis annueret execratus, interpretemq; ſecretius abductum, quæcunque à Barbaro pacifice tractarentur, cõtrario modo exponere hortatus, armatus in põtem deſcendit: militesq; eum prohibendę pugnę gratia adeſſe ratos, acrius inſtare compellit, prædam (ſi vincerent) eorum iuris futuram pollicitus. Grata militibus

bus promiſſio fuit: iamq; explicito opere, alacres nõ ſolum telluris aditum, ſed & turris faſtigium occupant: quam ſcalis gradibusq; adorti, fundunt, obuios reſiſtẽtes obtruncant. Tunc Herborthus eques Danicus, ne pontis anguſtijs officientibus, ac turba ſociorum obſtante, tardior ſuperueniret, facilem ad hoſtes trãſitum nouo irruptionis genere quæſiuit. Etenim armorum onere retento, profundo ſe credidit: quosq; gradu non poterat, incredibili nandi virtute præceſſit. Quod factum æmulantibus cæteris, teneram pontis compaginem militum concurſus repente ſubſidere coëgit. Cuius ruina Abſalonẽ quoq; inter alios excuſſum, peſſundedit: qui cum nandi aſtu calleret, tametſi armis obſitus eſſet, non ſolum inter vndas ſecurus emerſit, verumetiam alios eius artis ignaros, ab imminenti periculo tutos pręſtitit. Interea Sclaui non ſuppetentibus ad fugam nauigijs, dolijs ſe committere auſi, ijſdem pro rotunditatis habitu circumuoluentibus, ab inſequẽtibus occupantur. Qui nimirum ob inuſitatum nauigandi genus, vt ſuis miſerabiles, ita noſtris ridiculi fuere. Itaq; ludibrio permixta eorum infœlicitas erat. Capto vico trucidantur mares, fœminæ captiuantur. Fuere etiam qui regi capiendi Otimari conſilium inſtillarent: quem ne recentis victorię gloriam vnius hominis perfida captione corrumperet, inuiolatum dimiſit, hoſtiq; parcere, quàm famæ nocere maluit. Cum omni deinde exercitu priſtinum iter remenſus, prius claſſem, mox patriam repetiuit. Poſtera æſtate Henricus Bauaria reuerſus, apud Eydorã ſolenne cum Danis colloquium habuit: in quo ob proſperos rerum ſucceſſus adeò ſe inſolenter ac tumide egit, vt medium pontis, ſicut ante conſueuerat, viſendi regis cauſa, tranſgredi recuſaret, ne ſibi dignitate præſtare, quem peteret, fateretur: immemor prorſus illum paternũ, auitumq; regimen gerere, ſibi alieni imperij præfecturam ceſſiſſe. Quam inſolentiam rex adeò patienter ac moderate tulit, vt in eius occurſum exæquatis pontis ſpacijs, tãquam par, non maior deſcenderet, honoratiorem ſe ratus, ſi cum indignantis viri faſtu humilitate certaſſet. Siquidem præditus manſuetudine animus, celſitudinem ſuã citra debitam maieſtati venerationem ſubmittere, quàm alienæ ſuperbię exemplo inſoleſcere maluit. Itaq; pace cum Henrico compoſita, Abſalon cum ſecus Stethinnenſe promontoriũ nauigationẽ haberet, leuibus ſaxis & ad iaciendũ habilibus in eius littore lectitatis nauigiũ onerat, vſurus eis ad caſtelli tuitionem, quod in publico negociatorũ portu condiderat. Quibus nauigio impoſitis, ad idem caſtellũ poſtera die peruenit: vbi cum munditiarum gratia balneis vteretur, animaduertit cuiuſdam nauis è ſeptentrione venientis mentiõem foris ſtantiũ collocutione crebreſcere. Quam vt piraticã intellexit, ſemiloto corpore veſtem popoſcit, nauemq; quã in portu velatã dimiſerat, remigibus lituo cõtractis, cõſcenſam in altũ dirigere curauit. Nicolaus quoq; qui clientelæ eius & ſtabuli curã habebat, aliud nauigium iampridem rimarum vitio peſſundatũ, exhauſta ſentina, ad patientem nauigatiõis habitum celeriter perduxit. Sed Abſalon velo, Nicolaus remigio piratas petebat. Qui cum Abſalonis nauigationem ſuam ſuperare conſpicerent, callidum fugæ commentum amplexi, ſubmiſſo velo contrariam vento nauigationem remigio moliuntur. Id attentantibus, Nicolaus rate obuius fuit. Quam aduerſa nauigatione petentes, mira gubernatoris ſolertia fefellere. Nam cum ad eius penè contactũ peruenirent, obliquato remigio in illud nauigij ſui latus quod ab hoſtibus auerſum erat, pariter concurrere iuſſi, reliqui ſe erigentis oppoſitu perinde ac muro hoſtilia quibus inceſſebantur iacula vitauere. Sic hoſte eluſo diuerticulum nacti, callidis nauigationis ambagibus receſſus petebant. Quas tanta fugæ auiditas ceperat, vt cum ingens telorum vis in eorum nauigium effunderetur, etiam manus ſagittis traiecti, manentibus ſpiculis, remigandi officia nõ omitterent. Adeo illos timoris magnitudo vulnerũ moleſtiã negligere coëgit. Fuere etiam qui vndis impẽſius obluctãtes, vitam remigio finirent. Alij telis terga confixi, maiorem nauigandi, quàm ſpicula proprijs corporibus auellendi curã præſtabant. Adeo illis minorum vulnerũ dolorem maiorum metus ademerat. Cumq; anceps diu nauigationis certamen fuiſſet, quod ex remigiorum volucritate pendebat, noſtris tandem ſuperantibus occupantur. Tunc quidam ex eis indubitati periculi metu ferrum expectare

Abſalon nãdi peritiſſimus.

Nauigantes nauem promouendi, quàm ſpicula propriis tergoribus infixa auellendi ſtudioſiores,

nõ ausi,in vndas desiliũt, mortemq; sibi ipsi inferre,q̃ ab hoste recipere maluerũt. Itaq; plerunq; timidos vnius periculi metus,in aliud præcipites iactare consueuit. Maxima horum pars qui fluctibus abstinuerant, ferro perempta est , quanquam ignobile sociorum fatum comitari nolentibus iure parcendum videretur. Quorum capita corporibus auulsa, propter Absalõicæ vrbis mœnia ijsdem stipitibus affixa sunt,qui nuper aliorum piratarum à Sialãdensibus captorũ ceruicibus onusti fuerant. Ea res ingenti prædones pauore cõfecit. Plurimum siquidem ad extirpanda piratarum latrocinia spectaculi huius atrocitas valuit. Gubernator ipse cũ paucis admodum remigibus captus, cum falsam redemptionis spem animo præsumpsisset,ac forte putria sociorũ capita conspicatus,idem se Danis facturũ dixisset,captiuitatis supplicijs consumptus est,pœnasq; non solum veteris piraticæ,sed etiam recentiũ minarum exitio pependit. Per idem tempus Esbernus & Wethemannus opportunas patrię excubias multo nauigationis impendio prosecuti,sedulumq; piraticę opus ingressi,in septem piraticos mioparones quatuor incidere nauigijs. Tunc Mirocus pugil spectatæ audaciæ,fortitudinis suæ motũ intra propriæ nauis spacia continere non passus, Wethemanni se appetentis nauigium virtutis fiducia solitarius insilit,cedentibusq; per ignauiam remigibus, neminẽ in eo præter Wethemannũ rebellem habuit. Quos Esbernus rate præteriens,risu prosequi cõtentus fuit: neq; aut hostem lædere,aut ciuem iuuare sustinuit, ne pluribus aduersum vnum opem tulisse videretur. Progressus itaq; Strumicum athlethã insignis fortitudinis capit . Sed nec prius Mirocus vt pedem referret, vrgeri poterat,quàm alius nauigij superuenientis viribus arceretur . Cuius respectui tantum venerationis à victoribus tributum est, vt cum captus supplicium mereretur, redemptionem acceperit,potiusq; in eo probitas honorata sit, quàm facinora punita. Ita cum impietati pernicies deberetur,fortitudini salus donata est. Eodẽ tempore Eskillus domesticis supra vires negocijs fatigatus,dum quieti intentius consulit,proficiscendi licentia à rege difficulter extorta, nobile Galliarũ cœnobium, quod Clarauallis nũcupatur,petiuit,ibiq; priuati more trãquillam vitam degens, asperum patriæ conuictum voluntariæ peregrinationis lenitate mutauit,iocũdiorem rerum vsum apud exteros,quàm inter ciues habiturus. Per idem quoq; tempus Walagostenses mœnium suorum angustias perosi, contractiora vrbis spacia propagare cœperunt. Nec incrementa adiecisse contenti,noua defensionis præsidia excogitabant. Siquidẽ frequentibus palis circa mœnia defixis,quò minus hostis aditu potiretur, propinqua muris vada claudebant, profundiora fluenti loca aduolutis ingentibus saxis nauigijs inaccessa reddentes . Cæteros quoq; meatus nauigatiõibus opportunos, aut lapidum coagmentis, aut alio impedimentorum genere præstruebant. His obstaculis rex optato locorum accessu prohibitus,classem postera aduersum Sclauos expeditione promotam, Zuinensibus ostijs inserit, Iuliniq; vacuas defensoribus ædes incendio adortus, rehabitatæ vrbis nouitatem iterata penatium strage consumpsit. Nec solum Iulini viciniã, sed & confinia Camini ipso præterito populatus est, vt factu celerius, ita quoq; hostibus pernicio sius ratus,patentem ruris vbertatem diripere,quàm dubia munimentorum claustra pulsare. Nam Iulinẽses cum vrbis suæ recentes ruinas ferendæ obsidioni inhabiles cernerent, perinde ac viribus orbati,deserta patria, præsidium Caminense petiuerant,aliena amplexi mœnia,qui propria tueri diffiderent. Ab his demũ finibus exercitus noster ad vrbis Oznæ solum dirigitur. Cuius mœnibus abstinens viciniam irrumpit,certam agrorum vastationem,incertę vrbium obsidioni præpõderare existimans. Sed etiã idem aliquanto satius faciliusq; reputabat persequi dispersos,quàm vrgere munitos. Cui postmodum compendiariæ nauigationis reditum circunspicienti,in commune prouisum est, propinqui fluminis abstrusos reserare secessus. Cuius ostia cum quondam nauigantibus peruia fuerint,nunc arenis obfusa, ad pristinum habitum fossa redigi possint . Quam sententiã cõsiderata difficultatis magnitudo quassauit, rege eximiam obstaculi molem ligonibus penetrari morosum ducente,vetãteq; negocium suscipi,quod plus impensæ quàm vtilitatis afferre videretur . Igitur repetito Ozno, tormentisque propter vallum erectis,

Negotiũ plus impẽsæ quàm vtilitatis afferens haud suscipiendum.

erectis, obsidio fingitur, cuius specie deditio obtineretur. Quam simulationem spernentibus oppidanis, expeditioni finis imponitur. Aliam rege post ver posterum exorso, eiusq; opinione finitimos terrẽte, cum se Sclaui nec proprijs viribus, nec peregrinis auxilijs aduersum Danica arma abundare cõspicerent, delegatur Prisclauus, qui bellũ apud Danos deprecaretur. In quorũ pręparatam classem incidens, oblatæ pecunię captione non solum profectionẽ prohibuit, sed etiam pacem in bienniũ taxauit. Cæterum publicæ religionis conditiones Barbaris ingestæ non sunt, cuius professores pleriq; eorum principes existerent, vulgo sacrorũ societatem damnante. Qui tametsi Christiano nomine censerentur, titulum moribus abdicabant, professionem operibus polluentes. Per idem tempus Henricus compositis in Bauaria rebus, quia Sclauis aduersum Danos adesse non poterat, amicitiam Waldemari prius per internuntios petitam, mox apud Eydoram colloquio obtentã callidius quàm verius amplexatus est. Nam peruicaci eius ingenio, nulla boni stabilitas seruiebat. Cum gente nostra nunquam diutinas ac constantes amicitias gerere sustinuit. Mentiri virtutem ducebat, bonarũ artium loco fallaciam amplectebatur, fidem simulatione colebat, honesto vtile anteferẽdo. Assidue nostros rupta turpiter societate lædebat. Econtrario regem conspicua animi integritas, perpetuaque in cunctis constantia decorabat. Quid ergo miremur, quod inter eius virtutes, & Saxonicam leuitatem firma societatis copula, aut solidum concordiæ vinculum contexi non poterat? Ijsdem fere temporibus Suerus quidam fabro patre genitus, sacerdotij quod in Ferogia aliquandiu gesserat partibus abdicatis, Noruagiam petens, religionis munus militia mutauit, Osteni cuiusdam ab Erlingo prostrati occasiõe adductus, cuius agmini per deserta fugienti fortuito obuius ducem se præbuit, resq; aduersum victores nauare cœpit. Et ne generis titulo carere videretur, originem mentitus, Haraldum Hybernienſem auũ sibi vendicando, Siuardo se procreatum confingit. Cuius etiã nomen filio, quem antea patris vocabulo vna appellauerat, aptauit. Et vt omnia prioris fortunæ momenta subrueret, proauiq; vocabulo in eo repræsentari crederetur, simulatę prosapiæ decus, noui nominis ornamentis vsurpare sustinuit, Magnumq; se in argumentum generis vocitari cõstituit. Quod tam impudens mendacium turbulento militum errore, credulaq; vulgi suffragatiõe protectũ, ad totius Noruagię cruentissimam stragẽ, extremamq; perniciẽ penetrauit. Idem cum adhuc priuatus Suetię ducẽ Birgerũ petisset, sacerdoti cuius fortè hospitio vsus fuerat, stolã præcipuum Diaconi insigne, cum libro sacerdotalia sacra cõtinente dono dedisse fertur. Sed ne peregrinis vlterius immorer, stilum ad propria referã. Neq; me domestica scelera per idem tempus exorta, diutius externis insistere patiuntur. Siquidẽ Magnus Erici filius præsentis fortunæ stipendijs non contentus, cum Kanuto & Carolo quibus paterna cum Waldemaro necessitudo, maternus autẽ auus Eskillus erat, alijsq; compluribus in societatẽ facinoris accitis, opprimendi per insidias regis consiliũ capere sustinuit. A quo cum Suenonis partibus militãdo bello Grathico captus fuisset, non solum spiritu sed etiam amicitiæ & familiaritatis iure donatus, atq; ex priuata fortuna ad eminentem dignitatis locum prouectus fuerat. Tantam victoris charitatem, supplicij quod meruerat loco expertus est. Cuius insidiarum apparatus, hoc securior, quo incredibilior extitit. Neq; enim facile regis animum subire poterat, ab illo sibi insidias necti, cui quondam salutem à se tributam meminerat. Cum res diu latuisset, indicium huiusmodi fuit. Quidã Theutones insidiarum conscij, Magno clientelæ obsequijs deuincti, cum fortè negocio rum eius curam administrando Holsatiam peragrantes, cuiusdam solitariam vitã degentis hospitio excepti fuissent, eiusq; cubiculum à se medio tantum pariete discretum nescirent, nocturno inuicem sermone effusius habito, vehemẽter se mirari dixere, quo pacto rex inter tot præparata sibi insidiarum commenta mortalium adhuc luce fungeretur, quas Magnus cum Karoli filijs eius capiti clandestino consilio molitus fuerit. Has vero omnes aduersum insciũ excogitatas, non fortuitis humanæ conditionis casibus, sed constantibus diuinæ protectionis subsidijs esse dispulsas. Siquidem Magnum gladio duntaxat venabulóque quo tigres

occupandi consuetudinem habebat vtentem, petituro Sialandiam regi comitan
di obsequium ad cuiusdam vsq; vadi transitum exhibuisse, ibiq; Kanuti qui pari
armatura instructus (nam id genus in venationis sectatoribus suspectum esse non
poterat) cum coniuratis eodem tempore superuenire debebat, occursu fraudatum, facinusq; sine complice experiri non ausum, per summam propositi dissimu
lationem consalutato rege propria repetiuisse. Post cuius discessum Kanutum re
gi vadum transgresso obuium extitisse, turbatumq; consortis absentia, prosecuti
onis officium simulasse. Aliquanto tamen eum acrius auidiusq; quàm Magnum
propositum exequi perseueraſſe: qui regem equites ad mare præmittere, stipan
tibusq; fœminis morabundum in littore considere, & inter extremos nauigium
conscendere solitum aggredi constituerit, peregisſetq; facinus, ni rex absq; omnis
humani indicij monitis, benigniore cœlestium cura compulsus, relictis ocyus pe
dissequis, ratem pręter solitum scandere maturauisset. Karolum autem antea à cõ
iuratis in Scaniam transmissum fuisse, si fratri propositum ex sententia cessisset, ad
extirpandam regis sobolem amicorum auxilia contracturum. Sed ne sic quidem
Kanutum proposito cedere voluisse, quod apud Fioniam frustra tentatũ, in Sca
nia maiori cum opportunitate consummare sperauerit, Waldemarum ad Helsin
gorum vrbem præcurrere maturando, eumq; cum primum Scaniæ aduectus ra
te excederet, incautum opprimere moliendo, quem post diurna venatiõis exerci
tia, præmissis arbitris eo loci paruula rate corpusculo transire solitum, non ignora
ret: quã machinationem fortuitis necessitatis præsidijs elusam fuisse. Nam ratem
quæ regem vehebat cum fortè glaciali impulsu procul à concupito littore detor
queretur, militum eius aduentũ pręstolantium ingenti cohorte exceptam fuisse,
eamq; manum necessitati subuenire conatã, cõiuratorũ insidijs obstitisse. Ita Ka
nutum & Karolũ bis propositi cassos, loricas quas inuadendi regis gratia sub tuni
cis gestabant hospitijs reddidisse. Horum autem omniũ admirationem vincere,
quod Waldemarus vnius ex coniuratis sibi perfamiliaris suspectũ minime, ferrũ
vitare potuerit. Qui cum regi per rhedam aucupiũ exercenti, solitarius comes au
rigaq; existere soleret, deficientibus coniurationis autoribus, parricidale minis
terium circa ipsum cõprehensa aue curru delapsus iuuãdi accipitris curam intenta
corporis inclinatione tractaret, sua manu peragendum promiserat, fortunã tamẽ
in tanta tamq; facili insidiandi materia promissis parricidij partibus aditum non
dedisse. Horũ itaq; euentuũ miraculis liquere mortali manu regẽ perire nõ posse,
cuius salutem inter tot exitiosa, arcanaq; pericula, non industria humana, sed cœ
lestis protexerit diligentia. Hanc hospitũ relationem à rerum admiratione profe
ctam, eremita perinde ac si diuinitus dati indicij mysteriũ venetatus, cuidã mona
chorum rectori ad se venienti memori narratiõe replicuit, iusso horũ indicando
rum gratia ad regẽ transitũ non differre. Quibus acceptis rex, cum ex diffinitione
locorum, argumentisq; temporũ, necnon itinerum suorũ circunstantijs fidẽ asser
tis habere cœpisset, non minus sibi subsidij Deum in prodendis insidijs præstitisse,
quàm in frustrandis tribuisset, gratulatus est. Cuius rei ignorantia Karolus pristi
na adhuc securitate succinctus, siue tegendi parricidalis propositi calliditate, seu
peragendi desperatione, Absalonem ob cognationis fiduciam petitũ, impetrãdis
sibi à rege prouincialis beneficij adiutorem deposcit. Quo propinqui preces attẽ
tius exequente, Waldemarus dissimulata insidiarum cognitione, ex fisco suo se
stipendia Karolo soluturum promittit, quoad honoris ei impertiendi facultas in
cideret. Cumq; Roskyldiam veniens in æde Trinitatis optimæ maximæ, morem
sacris gessisset, amotis arbitris Absalonem adesse præcepit: quo secum confiden
te indicem aduocans, quæ sibi detulerit iterato exponere iubet. Ille propinqui
tatis metu qua Absalon à Kanuti filijs contingebatur eloqui veritus, atq; os rubo
re perfusus, aliquandiu plenum hæsitationis silentium egit. Cuius taciturnitatis
rex ilico causam coniectans, hoc, inquit, te metu Absalonis fides liberat, apud quẽ
meæ respectum charitatis propriæ necessitudinis affectioni præponderare non
dubitem. Quo dicto senioris vocem verecunda animi hæsitatione torpentem,
ad eloquenda quæ iubebantur intrepidam reddidit. Is itaque relationem ab insi-

dia-

insidiarum principio orsus, cunctasq; earum partes veris narrationis indicijs prosecutus, hoc non suæ sed alienę cõpertionis fuisse testatur, rogatum se tantum eadem regi referenda curare. Tunc rex eo secedere iusso, ductis alte suspirijs, priuatim apud Absalonem queri cœpit, nunquam sibi vel cognationis ius, vel beneficentiæ meritum obtentui fore potuisse, quo minus malis propinquorum artibus appeteretur. Quorum fraudem si dissimulanter tolerare cæpisset, effectum insidijs præbere posse, quæ tam potentum támque sibi familiarium studijs necterentur. Si vero parum adhuc publicato facinore, supplicia de indemnatis sumere maturasset, doliq; notitia à paucioribus sumpta crudelius in æmulos consuluisset, innoxia capita confictis criminatiõis partibus obruere videretur, inuidiaq; virtutis accensus, ad communem generis sui interitum varijs insimulationis modis exurgere necessitudinis euersor, affiniumq; consumptor censendus. Igitur & patientiam periculosam, & vltionem si præpropera foret, probrosam existere. Ita se quẽ vindictę modum apprehendere debeat ignorare, cuius & ignominiosa acceleratio sit & pernicioſa dilatio. Cæterum insidiarum periculis patere malle, quàm in autores facinus retorquere, ni mors sua ad aliorum confestim exitium redundaret, quam liberorum suorum amicorumq; miserabilis strages, mox discordia ciuilis, sæuáque exterorum irruptio, ac totius patriæ teterrima vastitas insequeretur. Hæc & consentanea rex crebris anxijsq; gemitibus prosecutus, quæ maxime sibi conducant Absalonem dispicere iubet. Ille se nihil à regis æstimatione diuersum perpendere refert, præfatus ipsum ex repentino vindictæ procursu, non leuius famæ dispendium quàm salutis ex dilatione capturum. Quam ob rem animaduersionis ius diuino permittendum arbitrio, qui potis sit insidias quas eluserit publicare. Sed neq; rem cuius multitudo conscia sit, diutile vulgus latere posse. Hortatur deinde corporis sui custodiam consuetis comitibus attentius mãdet, iubeatq; nunquam sibi inermes assistere, nec magis salutem suam diurnis eorum officijs, q̃ nocturnis excubijs vallari curet. Sic enim coniuratorum aliquos, se proditos suspicantes, repentinum propositi indicium edituros. Gratum Waldemaro consilium fuit. Cuius Roskildiam linquentis Absalon comitem agens, solicitatur à Carolo petitionis suæ partes quas nuper apud regem egerit, iterare. Quod exsequente eo, respondetur à rege, raram beneficij gratiam esse, quod accipiens parricidio pensare studeat. Præterea miram quorundam ingenijs & fallendi pertinaciam, & dissimulandi inesse versutiam. Se nihilominus cum primum Iutiam introierit, insidioso militi munificum futurũ, à quo potentiæ ius in id maxime vulgus affectari non dubitet. Iocunda Carolo promissio extitit, quam sibi per Absalonem exposi tam impensiore gratiarum relatione prosequebatur: finxit enim oris hilaritatem, lætitiamq; effusius prætulit, quam non tam recipiendi beneficij quàm implendi parricidij affectus progenuit, quod ei regię dissimulationis industria securitatis incrementa tribueret. Huic postmodum forte materni aui Eskilli per idem tempus à Gallia nauigantis appulsus, vrbem Ripam cum Kanuto fratre petendi causam præbuit. Quorum Benedictus quidam solo patre germanus, sed pellice editus, regiæ clientelę fortior quàm fidelior comes, Waldemaro paucis post diebus quàm Fioniam ingressus fuerat in propatulo prandente, siue celandæ fraudis impatientia adductus, seu parricidij quod cogitauerat furijs cõcitatus, neglectis epulis cultrum, quem forte prandendi gratia sumpserat, compressa manu, huc atque illuc actum, varia ancipitiq; versatione stringebat, perinde ac vsum eius ad inferendas plagas agitationis exercitijs prædiscere cupiens. Interdum ferrum sinu condebat, detectúmque rursum digitis inserebat. Inter hæc assidue regem oculis destinabat, quibus non minus quàm manui minarum inesse videretur. Cuius motibus amentiæ consentaneis, Waldemarus per sponsam filij Gerthrudem ob id muliebriter lachrymantem oculos inserere monitus, Nicolaum qui regiæ mensæ præerat, quàm poterat arcanis nutibus accersitum, visum ad inusitatos Benedicti gestus obliquare tacite iubet, amotisq; post epulas mensis cæteris sibi propiorem consistere, prædicti equitis si quas moliretur insidias excepturum. Sed Benedictum tum ipsius regis, tum commilitonum plena stuporis contemplatio,

Rara beneficii gratia, quod is qui accipit, parricidio recompensare cupit.

ferrum vaginæ reddere coëgit. Crediderim vero hunc animi æstum eius præcordijs diuinitus ingestum, eodemq; autore proditum facinus quo prohibitum esse. Tum demum Waldemarus neglectum Absalonis consilium pœnitentia prosecutus, deuocatis in cubiculum militibus, inter quos & Benedictus astabat, rem mœstam eisq; perquàm maxime displicituram afferre se dixit, quam & prodere triste sit, & celare pestiferum: nec se dubitare quin eadem in cõmune delata, amicorũ mẽtes tristitiæ salebris sit implicatura, tãtoq; eis plus amaritudinis incussura, quanto regem suum propensiore charitatis cultu cõtingerent. Siquidem quorundam conspirationem de nece sua habitam, non dubijs coniecturæ rationibus, sed veris consciorum indicijs, certisq; rerum vestigijs sibi proditam esse, cuius autorib. primam salutis suæ custodiam credere consueuerit. Nolle vero se eorum declarare vocabula, quod noxios resipiscendi inducijs donare, quàm insimulandi studio obruere mallet. Hortatur deinde maiore cum sedulitate vallandũ se curent, nec vsq̃ gladijs vacui incedentẽ comitari sustineant, stipandiq; officia hactenus per in curiã gesta, deinceps elaborato famulandi studio prosequantur, tantaq; id solicitudine peragant, perinde ac quiuis propriæ synceritatis certitudine de aliena ambigere necesse habeat. Sed neq; se vniuersos notabiles ducere, de quorũ grege cõplures ad mortem pro se excipiendam, si res poscceret, paratissimos sciret. Tũc milites mutua fidei æmulatione consciorũ indicium flagitantes, à perfidis erga regẽ capitibus vindictam se exacturos promittunt: neq; aut necessitudinis aut familiaritatis gratia temperaturos, quo minus sanguinis eius cupidos, pœnas quas merentur persoluere sint coacturi. Ad hæc rex referre, fidei synceritate contentos, vlteriores indicij partes expetere nõ oportere. Ita militũ preces ab innocẽtiæ conscientia profectas, plenum moderationis responsum cessare compulit. At Benedictus coniurationem à conscijs regi proditam ratus, eumq; his quos incautos opprimere cuperet, callidis simulationis ambagibus veniam polliceri, pleriſq; militiæ insignibus relictis, Iutiam qua potuit celeritate petiuit, detectæ factionis nuncio ad Magnum dimisso. Ita perfidum eius animum mordax conscientiæ crimen regiæ mansuetudinis promissis fidem habere vetuit. Quę res Magno proxima nocte nauigio Lubecam proficiscendi, indeq; Henrici contuberniũ expetendi causam præstitit. Eodem nuncio Kanutus & Carolus per Benedictum accepto, tacite Ripensium vrbe egressi, conscensa apud Randrusium naue, præfectum Gothię Birgerum propinquitatis fiducia petiuere. Adeo illos malignæ conscientiæ vis securitate defectos, subito pauore quati coëgit. Quorum profectionem Eskillus, tum propriam, tum nepotum fortunam miserabilius questus, infinitę ęgritudinis molestia prosequebatur, ob cuius magnitudinem linguæ debilitate contracta, parum vocalis euasit. Quem rex ad se Wibergi venientem iocunda admodum fronte susceptit, ne quid suspicionis in eius aduentu reponere videretur. Quam regis moderationem pontificis prudentia æquauit. Supplicem enim pro nepotibus vocem mittere non sustinuit, quo magis se ab insidiarum suspicione alienum efficeret, néue eorum culpæ affinis, quos precibus seruare cuperet, existimari posset, cõsultius arbitrando taciturnitatis argumento malignitatis suspicionẽ vitare, quàm offensam pro noxijs supplicando contrahere. Cui postmodum Scaniã profecto, opportuna medicorum industria debilitatæ vocis opem redintegrauit. At mentem eius ingenti curarum æstu obsitam ægritudine vacare nepotum proprio spiritu chariorum fortuna passa non est. Adeo facilius corporis quàm animi discrimina vitantur. At Magnus facinoris pudore quam exilij causam haberet, Hẽrico pandere veritus, reconciliationis ab ipso dũtaxat remedia postulabat. Ille exulis vota auersari impium ratus, epistola ad Waldemarum transmissa, conceptæ erga Magnum offensæ remissionem efflagitat. Ad hæc Waldemarus legatione quàm literis respondere satius ratus, Henricum quem stabulo suo præposuerat, Germanicæ vocis admodum gnarum, in Saxoniam dirigi curat, apud eius ducem Henricum, Magni perfidiam accusaturum. Quo audito, Magnus rubore in audaciam verso, quàm poterat pertinaciter obiectis se affinem negare, & veluti in augmentum innocentiæ duello manũ offerre, eodem acumine dissimulationẽ amplexus,

Corporis discrimina multo facilius euitantur, quàm animi.

quo

quo facinus molitus fuerat. Refert legatus non ob hoc se eò missum, vt accusatiõis partes apud exteros ferro prosequi debeat, sed vt reum causam suam ad regis cognitiõem transferre, defensionem q; patria lege decretã subire moneat. Tum duce, quem defensionis modũ aduersum hoc criminationis genus lex Danica statueret, rogãte, penes ferrum purgationis morẽ consistere respondit. Tunc Magnus à duce rogatus, an tãtum fiduciæ in innocẽtia sua reponeret, vt huius experimẽti indicio spem defensionis petere auderet: anceps id genus, nec semper miraculo præditum aiebat, quod plerunq; & insontes damnare, & noxios absoluere soleat, fortuitosq; maximè experimentorũ euentus habeat: neq; enim diuinam potentiam tanta mortalium cura flagrare, vt quibuslibet eorũ votis rerũ naturã cedere compellat. Suspecta plerisq; responsio fuit. Tum duce quam à se opem sperare debeat, qui tãti criminis obiectionẽ patrijs institutis refellere nollet, arctius perquirente, quid ageret incertus, aliquandiu responsi cunctationẽ exhibuit. Tandem vlterioris profugi diffidentia adductus, vltrò regem aditurũ se dixit, si sibi quemcunq; causa exitũ sortiretur, impunitatis fides daretur. In cuius fiduciæ certitudinem stabularius sponsionis suæ pignus offerre cœpit, præfatus capitali crimine damnatis, patriæ legis instituto dilabendi inducias tribui, ijsdemq; è vestigio supplicium irrogari nefas haberi. Qua Magnus oblatione contempta, solam Absalonis fidem se pignoris loco recepturũ asseruit. Quæ cum rex ex legato cognosset, epistola duci redditur, qua Magno sub Absalonis obtentu, veniendi, discedẽdiq; potestas promittitur. Quo euenit vt Absalõ prius Magnũ hospitio exciperet, quam vllum aduentus eius nuncium à rege sumpsisset, literas quæ pro eiusdem receptione destinabantur nimio festinationis studio præcurrentẽ. Quibus tandẽ per regem susceptis solicitudinem improuisi hospitis plenis fiduciæ promissis discutere curæ habuit. Quibus erectus Magnus, plus spei in Absalonis auxilio, quam metus in sua noxa reposuit. Quo euenit, vt maiore formidinis parte deposita, propria repetere non dubitaret, nauigationẽ qua Iutiam petiturus erat, necessarijs vsibus instructurus. Quippe causam apud Aurusiam dicere iubebatur: verum hoc securitatis robur, deprehensa secretorum eius legatio quassauit. Siquidẽ binas eius epistolas proditionis mandata gestantes, à publicorum itinerũ obseruatoribus intercipi cõtigit. Quas cum regi allatas ab intermeantibus expertus fuisset, formulam qua signatoria vtebatur, proprij scribæ negligentia amissam confingit. Idq; nõ solum inter suos, sed etiam apud Absalonẽ simulatione prosequi curauit, opiniõem serere cupiens, adulterinas epistolas à formulæ repertoribus odio sui fuisse compositas. Appetente causæ dictionis tempore, binis nauigijs instructus, Absalõi Sialandiæ & Scaniæ magnatibus comitato obuius affuit. Quo adito conscientiæ stimulis actus, trepidationem fide maiorem, præteritęq; vitæ fortitudini indebitã exhibendo, nullis se exhortatiõibus vt Iutiã peteret adducendũ iurabat: plus à se metus in regis offensa, q̃ opis in cuiuspiã patrocinio reponi p̃fatus. Præterea fortuitam sigilli sui amissionem causatus, æmulorũ commento occasionẽ ex eiusdem inuentione nactorũ, inimicas regi literas suo nomine confictas asseuerabat. Sed Absalone tametsi criminis acta ab eo confessio foret, nihil commissum quo minus inuiolatus discederet, constantius asserente, sociali illum nauigatione prosequitur, plus amici monitis quàm proprio pauori indulgens. Cui rex omni Danica nobilitate stipatus, apud villam Wiby sibi per Absalonem oblato, mensæ sacra communicare passus non est, ne conuiuã agendo offensam deponere videretur. Quem die postero ad conciõem vocatum, suorum in eum benignitate exposita, maiestatis reum agere cœpit, pietatem parricidio rependere auidum, quod eius fuga nõ violenter ingesta, sed à solo conscientiæ reatu profecta recenter prodiderit. Ad hæc Magnus, se non cuiuspiam delicti, sed minacis nuncij per Benedictũ accepti impulsu, dilabendi consiliũ cepisse testatur, regiæ suspicionis causam è lõginquo tutius spectaturus. Pręterea mirari se, quo pacto rex propinquũ, quem omni familiaritatis iure prosequi consueuerat, inanium suspicionum ductu persequi sustineat. Contra rex, hoc eum ingratiorem, quo meritorum suorum negligentiorem, astruere: & in perfidiæ argumentũ supradictas ipsius epistolas, quarũ

altera clauſa, altera aperta obſignabatur, in commune proferre: quas etiam per
præſentes pontifices circunferri,& an vero Magni ſignaculo obſitæ eſſent,curio-
ſius annotari prȩcepit.Quod inſpectantibus cunctis,adulterinũq; eſſe negãtibus,
recitari eas in publico iubet. Aperta Scanienſibus ſcribebatur,regem ſuper com-
plurium oppreſſione calumnians,cunctosq; ad bellum cum eo gerendum exhor
tans,Magnum repetendæ libertatis autorem habituros. Clauſa ad Kanutũ & Ka
rolum eodẽ quo prior titulo mittebatur, quæ eos res in Scania nouare moneret,
Magnumq; idem apud Iutiam facturum promitteret: ſic regem viribus carituũ,
maiorum regni prouinciarum auxilijs ad eum commeare prohibitis. Perlectasq;
epiſtolas Magnus cum reſponſo excepturus putaretur,indice metus ſilentio vte-
batur.Quinetiam tantum ſtuporis animo contraxerat,vt voce quoq; deficeretur,
internæ perturbationis notas confuſo oris habitu præ ſe ferẽs.Notabilis viri taci-
turnitas fuit,quæ ne confeſſionis loco duceretur, prudens Abſalonis interuentus
effecit,miratu indignum dicentis,ad nouos criminatiõis obiectus hominem de-
fenſionis dubium,pleno meditationis conſilio reſpõdendi officia tardius exhibe
re,protinusq; eum dandi reſponſi gratia colloquio excedere, & quos velit exami
cis in conſilium trahere iubet.Quo dicto recreatus Magnus, atq; ad ſpem labefa-
ctandæ accuſationis erectus,acceptis cõſultationis inducijs,Abſalonem cum Tu
kone Wendilenſiũ antiſtite ſeuocat. Is Tuko patri eius Erico diacõatus obſequi
js percharus habitus,deq; eius cliẽtela ad pontificatũ accitus fuerat. Cuius rei gra
ta recordatione Magni charitatem propenſius animo inſitam habebat. Quẽ mul-
tum diuq; ob cogitati ſceleris immanitatẽ,profectis à dolore conuicijs inſecutus,
reſpõdente eo epiſtolas aliena fraude contextas,ſuperuacuũ id purgatiõis genus
aſtruxit,non ſolum ſcripturæ,ſed & ſtili modũ quo ſcriba ipſius Lambertus in di-
ctandis epiſtolis vti ſoleat,certiſſime recognoſcere præfatus.Cuius affirmationẽ
Abſalone conſentaneis verbis proſequente,tantũ Magno deſperationis inceſſit,
vt an eos ſibi confeſſionis remedia amplecti liceret, trepide percontaretur.Tum
Abſalon tametſi cõfeſſio periculo non careret, ad hanc tamen ante procurrendũ
quàm de venia actum excuſſumq; foret, negabat, ſuadetq; vti ſtupore depoſito,
per ſe vel per amicũ in poſterũ diem induciarũ facultatem audacter efflagitet,fir-
mato animo rem fœlicius expleturus.Quibus admiſſis,rex præſentem nobiliũ ca
teruam veſpere iter ingreſſus, ad Vnnonis locupletiſſimi viri penates ſecum per-
duxit. In qua profectione Abſalon à Magno admodum æſtuante,quiſnam defen
ſionis modus obiectis congrueret curioſiore percontatione conſultus,nullã par-
tem probro aut periculo vacuã agebat. Nam nec accuſationẽ tot rerũ indicijs ſub
nixam refellere promptũ,nec purgationis partes detrectare ſyncerum:confeſſio-
nis vero exitũ ancipitem fore,quam nulla veniæ certitudo prȩcurreret.Ita verax
reſponſi dator conſultori ignorantiã prætendere, quàm in dubijs certitudinẽ pro
mittere,fidelius duxit. Tunc Magno omnia ſe veraciter relaturũ,ſi veniã confeſſi-
oni tribuendã ſperaret dicente, intrepide eum ſibi ſecreta quæ vellet cõmittere
iubet,nullum eorũ indicium ad regem ex ſe manaturum præfatus.Tum illo oẽm
inſidiarum ordinem patefacere cupiente, Abſalon narrationem admittere nolu
it,ne eam ſacerdotali miniſterio cõfeſſionis loco recipere videretur. Suadet itaq;
Sunonem & Esbernum ſecum adhibeat,quos in rebus arcanis tegendis induſtri
os ſciat.Quibus admiſſis Abſaloniq; data fide pollicitis, abſq; eius cõniuentia nul
lam ſe præſentis arcani mentionem acturos. Magnus inſidiarum ſeriem à princi-
pio retexere orſus,non ſolum ſe cum his quorũ crimen teſtis fuga prodiderat, iu-
re notatum aſſeruit,ſed etiam cõplura ad regis caput pertinentia adhuc eius noti-
tiæ parum indita,apertiſſima confeſſione detexit: Eskillũ (Aſceri hic filius erat)&
Chriſtiernum patre Suenone natum,eiuſdem culpæ conſcios aſſeuerando,Chri-
ſtierni fratrem Aſcerũ cui in templo Lundenſi prima poſt antiſtitẽ dignitas ceſſe
rat,cõiurationis conſiliũ ſciſſe potius q̃ probaſſe teſtatus. Cõfecto itinere poſtquã
opportunũ colloquio tempus occurrit, Abſalõ cum Sunone & Esberno regẽ pau
liſper ſine arbitris eſſe iuſſum,contemplari cauſæ exitum monet,in qua nec accu
ſationẽ actori inſtruere expeditũ, nec reo confeſſionem amplecti tutũ ducatur,

Qui

Qui ſi indemnatus abſcederet, complures ad innocentiam ſibi decernendam adduceret. Sin confeſſus venia careret, ſimplicitatis exemplo culpæ ſocijs tegendæ eius documentum præberet. Igitur elaborandum vt ſpontanea ab eo confeſſio elici poſſet, quem teſtimonio inſequi promptum non eſſet. In hanc ſententiam perducto rege, & ſe pœnam confeſſioni remittere promittente, cum Magnus poſtera die in concione ab eo quid ſuper reſponſo deliberaſſet interrogatus fuiſſet, à coniuratiõis initio orſus pudore poſthabito, omnem inſidiarum contextũ, non ſolum conſcios, ſed etiam loca rerum ac tempora perſtringendo, vera narratiõis ſerie proſequebatur: regem inter tot peruicaciſſimæ artis ambages, non ſorte humana, ſed diuina opera ſeruatũ affirmans: ſeq; nõ aliud magis mirari quàm quod fraudem tanta familiariũ arte compoſitam propitiæ fortunę interuentus eluſerit, hominemq; tot ciuiũ dolis petitum caſus incolumẽ ſeruare potuerit. His dictis, genibus regis ſupplice vultu gemebundus aduoluitur. Quem rex præteritæ amicitiæ verecundia conſurgere iuſſum, ingratæ mentis exprobratiõe coarguit, illius per inſidias opprimendi cupiditate perfuſum, cuius à primæua ætate perpetuã charitatem expertus fuerit: à quo belli Grathici temporibus, non tantum ſpiritum ſibi datum, ſed etiam adiecta poteſtatis incrementa meminerit. Se enim non ſolum propinquitati ſuppliciũ remiſiſſe, ſed etiam munificentiam impendiſſe, eum vero cum fidem beneficio debuiſſet, perfidiam rependiſſe. Itaq; meritorũ ſuorum obliuionem ab eo tam nequiter actã admirans, nec priſtinæ confeſſionis aſſertio ne contentus, an ſe per inſidias opprimere cogitaſſet inquirere perſeuerauit. Ille nec animũ ſibi nec arma, nihilq; quod tãto facinori attinuit, excepto Dei nutu defuiſſe ſubiunxit. Delectatus rex tam audaci hominis reſponſo, veniã ſe confeſſiõi tribuere, non familiaritatem reſtituere dixit, ne rurſum amicitiæ copia inſidiarũ irritamentum exiſteret. Eundem quoq; tacita ad Kanutum Karolúmue mãdata habere prohibuit, monitũ ne culpam repetere velit, cui diuinam potentiam tam conſtanter obniti perſenſerit. Ille ſe ſi quid tale cõmitteret, vlterioris veniæ remedijs indignum vocare, ne precibus quidem ſalutem deinceps tueri auſurũ. Quo rex ſedendi locum repetere iuſſo, protinus Suenonis filium Chriſtiernũ quẽ pera cta Magni cauſa, per ignorantiam caſus obtulerat, iracunda admodũ accuſatiõe perſequitur. Qui cum ſe conſortis indicio proditũ accepiſſet, defenſionis inops confeſſione veniã impetrauit: nec ſolum ſpiritũ, verumetiam bonorum omnium incolumitatem aſſecutus eſt, exilio dũtaxat pœnas dare coactus, ne prõptus ad crimen regreſſus ſuppeteret. Ita moderatio manifeſtã militis culpam, extremumq; ſupplicium meritam, proſcriptione inſequi contenta extitit. Taliter exacto conſilio, Magnoq; Fioniã reuerſo, Waldemarus inſulam ferarũ gregibus abundantẽ, more regio prædæ venaticæ vacaturus ingreditur. Quo loci Abſalon & Aſcerus à maximo pontifice Eskillo ob veniam eius nepotibus conciliandam, quę Magni exemplo ſponderi videbatur, tranſmiſſi, inexorabilem regis animũ experti ſunt: à quo demum Aſcerus an coniurationis fautorem egiſſet rogatus, cognitioni ſe quidem affinem, ſed à conſenſu immunem aſſeruit, nec tam odio regis quàm delationis pudore, prodendiq; commiſſi verecundia hæc feciſſe. Quem confeſſionis modum diuturni poſtmodum exilij cauſam habuit. Huius legationis contemptum tam ægre Eskillus tulit, vt varijs corporis peſtibus contractis, grauibus hyemem morbis exigeret. Qua finita Waldemarus, Daniæ, Suetiæq; primoribus acceſitis, regales filiæ nuptias exornat. Quibus peractis Waldemarum Eskillus ſecreta allocutione petitũ enixe depoſcit, arcani quod ei cõmittere velit intempeſtiuam confeſſionem non arguat. A quo poſtulata ſperare iuſſus, iampridẽ deponendi põtificatus allatam ſibi cupidinẽ dicit, quẽ tanto oneri imparẽ ætas viribus defuncta conſtituat: neq; enim in faſtigio ſe, ſed priuatum ac procuratione liberum decedere velle, præteritæ conuerſationis habitum monaſtica mutaturum. Quẽ cum rex verbis charitatem ſimulantibus propoſito prohiberet, idq; ei ſine Romana autoritate exequendi fas eſſe negaret, habere ſe ſummi pontificis epiſtolas, per quas non ſolum abdicandi honoris licentiam, ſed etiam transferendi in quem vellet poteſtatem acceperit, teſtatus eſt: huc accedere quod ſe Romanæ legationis

Eskillus propter ætatem ingraueſcentem pontificatu depoſito, monachatum profitetur.

officio fungentẽ,ne ſedes ſucceſſore vacua habeatur, ſubrogationis curã exhibere par ſit. Quod dictũ rex, Aſcerum ab eo pontificem adoptari ratus,ſuſpiciõe inſequi cœpit, nec dubius Kanutũ & Karolũ ſi quid vlterius aduerſum ſe conati forent,multũ ab auo viriũ contracturos. Cum diu verbis amicitiã præferentibus egiſſet,ad poſtremum votis eius annuere ſe dixit,quod Romanæ ſententiæ decreto obuiã ire nequeat,penes quã publicæ religionis norma conſiſtat. Tum Eskillus honoris abdicationẽ contractorũ pontificũ frequentia celebrari magni æſtimãs, profecturũ ab vrbe regem precari inſtitit, vti ipſos exacto menſe ſecum reducat, quos non ſolum ſuæ renunciatiõi, verumetiam noui antiſtitis creationi intereſſe expediat. Quã rem prorſus ſilentio dignã exiſtere,ne cognita quenq; electiõis metu dilabi cogeret. Quo conceſſo ſtatã interim ſolennemq; populariũ concionem ingreſſus, docet quantã ſubditorũ charitatem faſtigio functus exhibuerit, quãq; beneuolo ſtudio merita ſua publicus eorũ fauor penſauerit. Iam vero ſibi re pontificali cedere in animo eſſe,cuius adminiſtratiõi ſupremę ætatis ſuę habitũ diffidere conſpiciat,ideoq; ſe eorũ curam quam hactenus plenis pietatis officijs geſſerit, diuino mandare præſidio, cunctisq; ſibi militiæ fide deuinctis huiuſce generis nexũ remittere: ſuper hæc omnia alienis delictis veniã dare, proprijs petere, vniuerſos etiam diſceſſum ſuũ pijs precibus proſequi, votisq; pro ſe excubare precatur, parem ſe eis dignationem repenſurum pollicitus. Adeo autem miſerabiliter in concione egit, vt eam lachrymis ſuffuſam dimitteret. Qua ſoluta, Abſalonem Sialandia redeũtem, miſſis quibus exciperetur equis, penatum ſuorum hoſpitio vti compulit. A quo quid ita plebem mœſtitia affeciſſet rogatus, tum ſeniũ ſuum, tum exilium nepotum, dignitatis ſibi patriæq; faſtidium afferre reſpondit. Huc accedere voti religionem qua ſe dudum Bernardo Clarauallenſi pontificatu vltrò ceſſurum, priuatamq; vitam & honoribus defunctam acturũ ſpopõderit. Die poſtero cum prædicti prouinciarum antiſtites in ædem Laurẽtij matutine coiſſent, ornamenta ſacrarij armamentario egeri, conſpectuiq; ſubijci iubet, quantum veteri altarium cultui, priſtinoq; ſacrorũ ſplendori noua ac religioſa liberalitate adiecerit, in propatulo oſtendere cupiens. Quibus prolatis, voce ſuſpirijs permixta, quantis charitatis impendijs pro ſubditorum pace ac ſtabilitate excubuerit, quot ærumnis, quot periculis obſitum omne pontificatus ſui tempus exegerit, edocet. Quem ob hoc ſe deponere ſtatuiſſe, quod ætatis ſuæ magnitudinẽ vlteriori eius functioni inhabilem ſentiat. Cuius orationem rex reſpõdendi officio ſubſecutus, eum tametſi crebras cum regibus ſimultates geſſiſſet, pontificis partes laudabiliter executum affirmat. Suæ vero ſententiæ reſignatiõis eius propoſitũ non placere, cui iam eò ætatis peruentũ ſit, vt malignitatis vltra notari non debeat. Deinde eum proprio motu, an ſuo cõpulſu paſtoris officiũ detrectaret, fateri iubet. Tunc Eskillus directis in aram manibus, iurare & præſentia ſacra teſtari ſe non odio regis, aut vllius iniuriæ ex eo receptæ violentia, ſed perituri honoris faſtidio, perpetuiq; ſtudio huc propoſiti eſſe perductum. Grata regi reſponſio fuit, cupienti vera pontificis aſſertione, calumniæ ſuſpicionem vitare. Rogat deinde, an vnquam regia ſeueritate pœnas ab his exigere ſuperſediſſet, aduerſum quos ille põtificalem cenſuram prior diſtringendam curaſſet. Quo nihil tale eum egiſſe fatente, graui metu liberatum ſe dixit, veritum ne ſubita antiſtitis abdicatio, occultam apud cõplures ſibi notam crearet. Romani deinde pontificis epiſtola, ſine cuius nutu rex dignitatem ab ipſo deponendam negabat, in commune relegenda profertur. Ea ſcribebatur, Romanum antiſtitem Lundenſi pontificalis miniſterij laxationẽ petenti, quod eum huic muneri perutilẽ ſciſſet hactenus repugnaſſe, nunc vero precum eius perſeuerantia ſuperatum, ætati ipſius aſſiduoq; languori petitæ rei licentiam detuliſſe. Cuius autoritati rege refragãdum negante, ſua ſede exurgens, virgam annulumq; præcipua põtificalis ſacerdotij inſignia altario imponẽs, perfectam ſui muneris abdicationem agere proteſtatus eſt. Cuius facti miſeratione lachrymę aſtantibus obortæ, ſuſpirijsq;, murmuris inſtar reddentibus, ædes repleta. Igitur Eskillus, qui regni clerum excuſſius noſſet, ſedis à ſe relictæ ſucceſſorem à rege circunſpicere rogatus: comprobata monitoris induſtria, aliam Romanæ dignitatis

gnitatis epistolam explicat, qua sibi legationis habenas tenenti, subrogandi antistitis arbitrium mandabatur. Ea perlecta, potestatem quã sibi indulgentia Romana detulerat, ad eos quibus eligendi ius esse consuerit transferre se dixit, quod vltro iure suo cedere quàm alienũ offendere malit, ne ecclesiam pro cuius maiestate tuẽda semper excubuerit, cõsueto libertatis beneficio fraudare videretur. Tũc ijsdem regi vti consiliũ suum exponeret, obsecrãtibus, regeq; cleri postulationẽ sub plebis nomine, cuius se partibus proloqui referebat, consentaneis precibus prosequente, sententiam suam inter diuinam humanamq; charitatem fluctuari asseruit, quarum alteram tacendo, alteram loquendo offendere posset. Dei nanq; mentem exasperaturum se esse, si illius quem huic maxime regimini idoneũ scisset, indicem agere supersedisset. Si vero hominem huius officij gnarum, pontificisq; partes alibi laudabiliter executum, sed & pro patria difficilia audere solitũ nuncuparet, familiaris & propinqui gratiam violaret, quem huius honoris oblati onem auersari non dubitet. Tunc cuncti quisnam ab eo destinaretur animo perpendentes, solam vocabuli certitudinem flagitant. Et ille Roskildensem, inquit, antistitem mihi propinquitate, vobis opiniõe notũ designo. Igitur compluribus bene ecclesiæ consultum acclamantibus, exurgens Absalon maiorem hunc fascẽ quàm vt humeris suis imponi debeat, refert: nullo se pacto ad deserendam eccle siam adduci præfatus, quam angustissimis rei Danicæ temporibus susceptam, ad eminentem fortunæ habitum summa animi corporisq; fatigatiõe perduxerit, cuiusq; non solum externũ hostem armis submouerit, sed etiam veterem atq; hæreditariam paupertatem fœlicibus opum incremẽtis mutauerit. Tum ij quibus suffragandi ius erat ab Eskillo taciturnæ hæsitationis increpiti, & cuinam officij sui partes cedere vellent rogati, paribus in Absalonẽ votis pronunciant, adeoq; concordes suffragiorũ voces misere, vt nihil in his diuersum aut dubiũ reperires. Nec oris officio contenti, manu cõprehensum ad sedem quàm ei voce detulerant, vi pertrahere conantur. Nam primus Eskillus iectæ in eum dexteræ, exẽplo cæteris idem audendi fiduciã tribuere videbatur. Qui etiam vt mos est concinere exorsi, celebrẽ electionis concordiã decoro psallendi officio prosequuntur. Quorũ plenum venerationis concentũ populus ingenti plausu tripudians, sacro cãtilenæ genere æmulabatur, gloriosis clericorũ vocibus aliquid honorificæ modulatiõis adijcere gestiendo, personantibus alijs, deformem sibi taciturnitatẽ existimãs. Adeo in eligendo eo tota multitudo vnam beneuolæ suffragationis vocem habuit. Ille vero trahenti se turbæ summis corporis viribus obluctatus, cõplures robustiore impulsu pręcipites humũ petere coẽgit. Ab ijsdẽ quoq; exuuię renitenti detractæ, iamq; res ad vim & rixam vsq; progressa, permixtos strepitu cantus exaudiri non patiebatur. Igitur Absalon ad sedem pontificali fastigio consecratam, pia plebis violentia perductus, in ea collocari passus non est, ne vlla ex parte cogentibus assentiri putaretur. Quam ob rem prius ab Eskillo, mox à Waldemaro oblati sibi diuinitus honoris ornamenta amplecti rogatus, ne præsentis ecclesię maiestatem nouo & inaudito contemptu perfunderet, impetrata loquendi copia, ad appellãdi officium procurrit. Cumq; precibus obsecuturus putaretur, validissimum repugnationi suæ tutamentũ adiecit. Rapuisset alius oblatæ dignitatis beneficium, auideq; se tanti sacerdotij tribunalibus ingessisset. Nicolaus Roskildẽsis chori senior, super irrogata antistitis violentia parem appellationis vocem edere cũctatus non est. Tum Eskillus aliquanto concussior, certissime se suffragatorum partibus affuturum dicebat, sensurum Absalonem sua an illius vota plus momenti Romæ sint habitura. Hinc missę studiũ datur. Qua pcelebrata, benedictionẽ Eskillus Absalonis ministerio præstari præcepit. Hac vsurpatiõe eum electionis assensorem efficere gestiendo, se iam cunctis põtificatus partibus defunctum, huic ministerio cõgruentia amplius exequi non oportere prędatus. Quem Absalon tametsi põtificalia deposuerit, legationis tamen iure benedicendi prærogatiuam retinere dicebat, neq; ad inferioris potentiæ viros, debitum fastigio suo munus relegare debere. Ea Absalonis verecundia, senem voti cupidũ, neglectæ dignitatis suæ meminisse coẽgit. Alio quoq; moderationis genere, repugnationis eius perseuerantiam

Absalon episcopatum communibus populi votis oblatum renuit.

idem labefactare tentauit. Siquidē in cubiculū deuocatum cum precibus perflectere non posset, genibus nixus plenis supplicationis lachrymis aggredi conatus est. Profectu vacuus, tertium irritamenti modū quo electi mentem ad suam sententiam adduceret excogitauit, incertū relinquens, maior in cogente an resisten te perseuerantiæ conatus extiterit. Siquidem equites suos numero & amplitudi ne insignes ad eum direxit, militari fide se eius partibus obligaturos. Quorum Ab salon famulatum repudians, se prorsus in honorem eorū obsequijs dignum consensurum negabat. Qua demū constantia euictus Eskillus, ne suppellectilis quam ecclesię relinquere statuisset obscurior depositio foret, eūdem in arcanā vestibuli partem abductum instantius hortari cœpit, vti saltem oculis eā subijcere digna retur. Sed & hanc quoq; sollicitationis partem superiorū victor mire contēpsit, ne qui glorię tentamenta calcasset, auaritiæ irritamentis succumberet. Quam ob rem Eskillus ira accendi creditus, minus se bonorum quàm cogitauerit, inquit, sacris atq; domesticis vsibus relicturum, ipsumq; tam stolidæ pertinaciæ quandoq; damna sensurum. Aureo deinde poculo regē Absalonemq; simili muneratus est. Præterea neminem ex amicis indonatū reliquit, apud patriam sibi præclara liberalitatis monumenta creare cupiens. Varia quoq; membrorū debilitate perstrictus, ad postremum etiam igne (quem sacrū vocant) quadam corporis parte resperſus abscedere maturauit, perinde ac diuinitus iniecti sibi supplicij cruciamenta sortitus. Quē cum Absalon Scania excedentem castelli sui hospitio excepisset, seq; tanto pedum frigore teneri vt noctu quietem capere non posset conquerentem audiret, calidum laterculum cistula crebris foraminibus distincta inclusum plantis applicuit, eoq; fomenti genere præfrigido seni patientem quietis calorem restituit. Cuius medicamenti beneficium hoc Eskillo gratius fuit, quod ab artificis charitate, non scientia aut professione manauit. Qui cum Absalōis nauigio, comitatuq; Slesuicum perlatus fuisset, cyphū argenteum ab eodem sibi pro munere oblatum suscipere recusauit, prędatus se deinceps nullum insignium vasorū vsum habiturum. Idem cum regem Slesuicensi in ponte obuium conueniisset, ita corporis debilitate solutus est, vt à pleriſq; exanimis putaretur. Recreatus tandem, fretumq; rate transgressus, ac præsentes benignius exosculatus, inter flebiles amicorum voces plorabundus, & ipse curriculo per Absalōem procurato, cum prorsus equitandi impatiens foret, quo mollius veheretur, imponitur. Cuius flentis discessum amicorū turba ipsum vlterius non visura perinde ac funus lachrymis prosecuta est. Post hæc regis legati cum Lundensibus, cogendi Absalonis gratia Romam mittūtur. Qui primū Clareuallū profecti, reperti illic Eskilli epistolā, cuius ea tempestate non mediocris apud curiam fauor vigebat, in adiumentū suę petitionis accipiunt. Nec minus Absalon ac Roskildenses legationibus curiā fatigant, electioni quam Lundenses confirmatū peragebant, plenis reclamationis sententijs obnitentes. Interea proceribus apud Roskildiā paschali tempore feriatis, conuiuioq; per summā omniū hilaritatem exacto, per Thordonem Lundensium prę fectum regi significatū est, Thormerū quendam Magni nunciū nuper Gothia reuersum, tanto itinere Scaniā esse transgressum, vt captionem celeritate vitauerit. Cuius occupādi gratia Beltensem transitū insidijs esse vallandū, quem ab eo ocyus adiri ambiguū non sit. Rogatum super his Magnū, præsidiūq; negationis amplecti conatum, rex tuto fateri posse promittit. Ille summa cum dissimulatiōe obiectorum fidem leuare, si quid huiusmodi compertum foret vlteriotē sibi veniā negari precatus. Rex negatorum incredulus, Adulfo cuidā insignis fidei sed clericalis conditionis, quod propter Belticū littus habitaret, obseruatiōis negocium mandat per satellites ad eum directos, cultus & corporis notis, quibus prædictus Magni nuncius dinosceretur, expressis. Taliter captus Thormerus, ac coram rege super mandatis, quorum esset gerulus, perquisitus, post diutinæ negationis ambages quæstionis metu credita sibi secreta detexit, lignum compactile, quale more Danico inter amicos sigilli vim obtinet, à se epistolæ loco gestari confessus, cuius dimidium à Kanuto & Karolo perinde ac syngraphus haberetur. Cuius nequitiam rex vinculis multare contentus, Absalonis eum custodiæ tradit. Igitur per

Nico-

Nicolaum ſtabuli ſui prępoſitum Fionienſium militũ eum ſequi iuſſorum auxilijs ſuccinctum, Magnum perinde ac denuo ſibi inſidioſum, pœnamq; perfidia meritum capiendum curat. Qui in cubiculo nocte concubia circumuentus, dum priſtinæ virtutis immemor ſalutem latebris non armis circunſpicit, poſt aulea repertus abſtrahitur. Ita neſcias miſeriorẽ eum deformitas captionis, an captio ipſa reddiderit. Oblatus regi cum ſuper inſidiarum conſilio rogaretur, aliquãdiu obiectis ſe affinem negabat. Tandẽ conuincentibus eum captiui indicijs, diſſimulatiõisq; materia non ſuppetente, confeſſione crimen aperuit. Cuius mentem rubor neſcio magis an ſupplicij metus afflixerit. Hunc rex ad vrbem Laterenſem miſſum, Thorberniq; cuſtodię traditum, carcere quàm morte mulctare maluit. Per idem tempus Sclauorum piratę ſpoliatis Waldemari legatis, nauigiũ muneribus eidem à ſocero tranſmiſſis onuſtum cepere. Cuius repoſcendi gratia nuncijs ab eodem miſſis, ſuperbe reſponſum dedere. Qua iniuria Waldemarus, vt par erat, accẽſus, Henricum in ſocietatẽ vltionis ſollicitat, Rugianisq; quod hoſtilium locorũ gnari eſſent, in commilitiũ euocatis, per Suinam inuectus, Iulinũ oppidum incolarũ fuga deſertum incendio tentat, Henrico Diminũ obſidione cõplexo. Qui cũ expugnationem dubiam difficilemq; animaduerteret, amnẽ qui caſtra ſua à mœnibus diuidebat, tranſuerſo deductum alueo, remotiore curſu vrbẽ prætерlabi coëgit. Quo facto hoſtiũ muris ſummam defenſionis opem conciliauit, præſidiũ eius pro oppugnatione molitus. Ea re effectum eſt, vt actam æſtate obſidionem autumno inglorius ſolueret. Cuius diſceſſionem fortuitum vrbis incendium ſubſecutum eſt, ſuis viribus tribuente fortuna, quod Saxõicis deferre dignata nõ fuerat. Eadem benigniore Danos lumine contemplata, eorundẽ miniſterio Cozcoã vrbem conflagrare permiſit: indigenas vero metu palantes, ad loca paludibus obſita virium inopia confugere coëgit. Quod Abſalon captiui cuiusdã cum fratre minore, coniugeq; & liberis cõprehenſi indicio expertus, rogare eum cœpit, an ſuã ſuorumq; libertatem latentiũ ciuium proditiõe mercari cuperet. Ille conditionẽ cupide pactus, ſeipſum terreſtribus copijs petendã, paludem cincturum, fratrem vero nauigaturis ducem promittit. Sic enim Sclauos ancipiti fuga implicitos, nuſquam dilabendi materiam habituros. Ea palus à ſuperiore per anguſtum amnis diſcrimen abrupta, minoribus duntaxat acceſſa nauigijs erat. Quibus dum Abſalon eam peteret, à captiuo errorem ſimulãte ductũ minis extorſit, ſaltumq; meditantis ceruici nexum inferri præcepit. Multi in eum ex Sclauis dum cimbis fugã capeſſunt, incidunt. Armenta ab ijſdem inter mare paludemq; coacta, à Sialandẽſibus capta, ac per totum exercitum diſtribui curata ſunt. Quæ res ei plus inuidię apud ſocios quàm gloriæ quæſiuit, quod ab vniuerſis capiendum erat, à ſolis Sialandenſibus occupari dicentes. Quo paludem egreſſo, quidam ex nautis petulantioris linguæ ducem ſupplicio dignum per iocum dixere: quod cum nauigationẽ præmonſtrare deberet, ignorantiam finxerit, promiſſumq; ſuum ſecutos ſimulato errore fallendos curauerit. Ille ludibrijs pro ſerio ductis, laqueo deſtinari ſe ratus, dum aquam è ſtagno tanquam munditiarum gratia peteret, vltro præcipitato corpore profundum inſiluit, anticipare fatum, quàm expectare præoptãs. Qua temeritate dubium reliquit, perierit ne, an ſub vndis ſaluus enauerit. Quibus rurſum, vt fieri ſolet, euomitis, reſtim quam collo innexam habebat, manibus ne per eam attraheretur, complicandam curabat. Merſus denuo, viſentes eadẽ qua prius ambiguitate cõpleuit. Sed corpore eius tandẽ exanimi reperto, dubietatis quieuit contentio. In tantum autẽ illic exercitus noſter captiui pecoris gregibus abũdabat, vt in ijſdem agendis quotidiana paſtorum opera vteretur. Quorum diſcurſum periculo vacuum, generalis earundem partium vaſtitas efficiebat: quam tanta incendiorum vis pepererat, vt hirundines quoq; tectis quibus habitare cõſueuerant orbatæ, gubernaculis nauiũ ac proris fœtum procreaturæ nidos affigerẽt, domiciliorum vſum ab hoſtibus mutuantes. Poſt hæc rex Henricum diutina Diminẽſium obſidione ſuſpenſum alloquio petiturus, terreſtri itinere arrepto, vrbẽ Cozcoam à nemine defenſam igni implicitã reliquit: cuius ꝓceſſum tũ amnis cuiuſdam profunditate inſignis, tum vlteriorũ locorũ difficultas indicata cohibuit.

Hinc regi in Caminenſium prouinciam tranſitus fuit, quam rurali magis populatione, quàm vlla munimentorum oppugnatione permenſus, Camino duntaxat inaniter attentato, nauigia quîs captiuum pecus veheret prędenda curauit. Hæc tam vber pecoris, opportunaq; commeatibus erat, vt exercitum noſtrũ bimeſtri edulio aleret. Legatione deinde ad Henricum miſſa, præſenti militiæ finem imponere iubet, illo obſidionem quam fruſtra geſſerit, ocyus ſoluturo. Quibus reſponſis acceptis, interiacentia quæq; partim ferro, partim igni adortus, per ſummam hoſtilis rei populationem Walagoſtum accedit. Quo viſo Walagoſtenſes Zuliſtro duce extremam pontis ſui partem conuellere cœperunt, ne quis hoſtium per eũ irrumperet, inhibituri. Cuius fragmentis pauci ex noſtris perinde ac ſcalis vtentes, adminiculantibus ſocijs aſcenſu obtento, hoſtium vrbe exilientium irruptiõe petuntur. Quibus ob paucitatem reſiſtere nequeuntibus, Hemmingo excepto, omnes ceſſere. Abſalonis hic armiger erat, leuibus armis inſtructus, ad diſcrimina ſubeunda promptiſſimus, ſemperq; ſe periculis immergere ſolitus. Qui dum ſe paruulo pedis regreſſu vrgentibus ſubtrahit, talis gladij quo cinctus erat longitudine offenſis, ſupinus concidit. Quo lapſu plus glorię quàm incommodi expertus eſt. Nam inter crebras hoſtium haſtas, quibus acerrime petebatur, non tam ſuo quàm fortunæ clypeo protectus, vt primum genibus ſe excipere potuit, diſtricto ferro propiorum tibias appetiuit. Quibus pauliſper cedere compulſis, ſublimis deſilijt, ſociorumq; tandem ex pudore fortitudinem capientium accurſu petitus, oppugnatores vrbem repetere coëgit. Ita ad ſuos regreſſus, ac toto corpore integer repertus, admirationi viſentibus fuit. Igitur nõ ſolum fortitudini ipſius, ſed etiam fortunæ veneratio tributa eſt. Ea tempeſtate Romani ſchiſmatis cõtrouerſia aſtipulante Cæſare Federico pertinaciſſimo Germanorum errore compluribus annorum curriculis alita, veri pontificis Alexandri pedibus proculcata, ſuccubuit, diuiduumq; eccleſiæ ſtatum catholicæ concordiæ vinculũ colligauit. Quo in tempore regis, Lundenſiumq;, nec non Abſalonis legati Roma regreſſi, læto patriam nuncio compleuerunt. Qui tameſi diuerſas atq; contrarias res petitione cõplexi viderentur, ea tamen Romani põtificis induſtria ſunt excepti, vt pars vtraq; ſibi pro votis conſultum gauderet. Nam & Abſaloni Lundenſem pontificatũ aſſumere iuſſum, & Roskildenſem adminiſtrare permiſſum. Ita geminum eccleſiæ regimen in eius ius ditionem q; conceſſit, alterum pręcepto, alterum indulgentia ſortientis. O nouam & inauditam curiæ munificentiam. Recuſanti pallium ingeſtum eſt, inſigneq; quod petentibus ægre præſtari ſolet, repugnanti violenter imprimitur. Dignos humeros, quibus tam præclarum onus imponeretur. Veniens ſiquidem Romanorum legatus Galandus, Lundenſi clero Roskildiam euocato, præſentem Abſalonem non ſolum literarum recitatione quæ eum electioni parêre iubebant, ſed etiam anathematis comminatione, quo ſe aduerſum eum (ſi repugnare perſeueraſſet) vſurum dicebat, electoribus aſſentiri, fidemq; obeditiõis ſolenniter ab ijſdem recipere coëgit. Quem poſtmodum Lũdenſi in templo, pallio quod attulerat muneratus, die poſtero Ripenſium electum Homerum religioſo eius miniſterio pontificem conſecrari conſpexit. Ita legatione ſynceriſſime atq; integerrime geſta, hybernis exactis Romam reuertit.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMIQVARTI FINIS.

ALBER-

SAXONIS GRAMMATICI HISTORIÆ DANORVM LIBER DECIMVSQVINTVS.

POST hæc rex nondum vltionis in rerum ſuarum raptores ſatietatem adeptus, expeditione eam petere ſtatuit. Quam dum ſeptentrionalibus Iutis ſuperſedere iuſſis, auſtrales immenſo ventorum flatu peterent, Sleſuicenſium antiſtes Fredericus perfectiſſimum honeſtatis ſpecimen, dum veli magnitudine eximiam aurarum molem, intolerabilesq; nauigationi Notos complectitur, defecta gubernaculo puppe cum omnibus penè ſocijs periclitatus, contractæ claſſis animos ingenti luctus acerbitate confecit. Cuius fato minus triſte non fuit, quod ſociorum cadaueribus vltro repertis, ſolũ eius corpus impenſius perquiſitũ, ante ſpiritus ſancti ſolenne deprehendi non potuit. Cuius tempore Sialandico littori appulſum nõ odore triſte, nec aſpectu deforme compertum eſt prorſus, vt corruptela vacuum exiſtimares. Quo integritatis habitu, ſanctitatem viri diuinitus declaratã crediderim. Nec minus veneratu dignũ, quod idem fruſtra ab amicis quæſitus, eius potiſſimum feſtum corporis ſui repertione clareſcere voluit, cui peculiaris cultus officio honorem habere cõſueuerat. Tum vero inſignis Abſalonis gemitus erat, pręcordialis amici caſum lugẽtis. Rex copijs apud Falſtriã obuius, vocata maiorũ conciõe, prouiſum ſibi, iuquit, paruula manu magnas hoſtiũ copias non laceſſere, eam militiæ conditionem habenti, cui plurimum gloriæ vel opprobrij debeatur. Quam ob rem ſe potius Abſaloni, Kanutoq; filio expeditionis ſummam cõmittere: ſi bene rem gererent, aliquantulum laudis: ſi male, parum vituperij relaturis. Illi iuſſib. celeriter obſequuti, Rugianorũ etiam claſſe quanta ſubito contrahi poterat adiuti, inceſſata nauigatione Oſtroznam accedunt, in occupando hoſte non minus celeritate quàm audacia vſuri. Quorũ tam latens improuiſaq; irruptio extitit, vt pleroſq; Sclauorum domi inopinatos opprimerent, prouinciamq; penitus incautam vaſtaſſent, ni incendio demum ab inertioribus edito proderentur: illic binis forte Sclauis nauigio fugã quęrentibus, cum alterũ à Gerimaro teli iactu proſtratũ reliquus vlciſci cuperet, cognito quod Rugianorũ ducem appeteret, telo verecundius abiecto dilabitur. Tanta apud hanc gentem virtis in faſtigio poſitis veneratio pẽditur. Interea claſſis per Penum amnem allapſa, equis quos inter paſcua reperit captis, Walagoſtũ progreditur. Cuius ponte diſiecto, tranſituq; obſtaculis vacuefacto, propter mœnia anchoras iacit, oppidanis imperata adhuc tormenta tractantibus. Eadem obſidionis faſtidijs nauigationis diſpendia anteponẽs, tam vagum ſparſumq; militiæ genus ſecuta eſt, vt hoſtibus errore ludificatis, vbinam maxime ſua tueri deberent, incertũ relinquerent. Siquidẽ euitatis locis in quibus eos obuios habebat, defenſoribus vacua petebat, quibus eadem accedẽtibus ex conſulto cedebat, & ad partes præſidio carẽtes militiam transferebat. Et ne vlla negotiorũ intermiſſio foret, peditibus remigio noctes, ſomno dies exigere: equitibus vero nocturnã requiem diurnis militiæ laboribus rependere, conſtitutũ. Aduerſum quem excurſationis modũ Bogiſzlauus & Kazimarus nihil in armis remedij ducẽtes, animaduerſo patriæ vaſtitatem noſtrorum non minus agilitate quàm viribus inchoatã ſuo ductu propulſare non poſſe, emendæ pacis conſilium capiunt, quorum arma ferre non poſſent amicitiam mercaturi. Quibus acceſſis, eorum ſe viribus impares confeſſi, præſentium finium iacturam inter damna ducere non ſimulant, ampliſſima Pomeraniæ deſerta nouis ſedibus complexuri. Ad hæc Nicolaus Falſtricus in riſum ſolutus, ſiniſtre eos patriæ conſulere dixit, cuius inferiora Danis, ſuperiora Polanis, finitimorum manu huc atque illuc iactati cedere cogerentur.

Quo dicto patriæ ſalutem circunſpicere moniti, centum libris nummûm Abſalo ni, quod penes eum expeditionis arbitrium eſſet, totidemq; Kanuto promiſſis, le gatorum à ſe captorum dimiſſionem cum duobus millibus talẽtûm, qua ſumma rapinam regi inflictam rependere pollicentur. Ad hæc Abſalon reſponſum mora tus, ſeductis maioribus, offerri conditiones ab hoſte dixit: quarum vſus pernicio oſus patriæ, ſi gratus: contemptus vero commodior quàm charior eſſet futurus. Siquidem pecuniam regi, pacem ciuibus, captiuis miſſionem, pacti nomine lucri, fauori quàm vtilitati propius emolumentum eſſe. Ij ſdem vero pro nihilo ductis, à bello non recedere ſaluberrimum. Iam enim Sclauorum vires eò tenuitatis eſſe redactas, vt ſi pax deſit, deditionem ſequi neceſſe habeant. Ita ſe ſuis bellũ an pacem probent, deligendum relinquere, ne alieno conſilio præterito, proprium au dacter ſecutus videatur. Reſpondetur, ei potiſſimum parti ſtudendum, qua publicus fauor poſſit acquiri. Hac ſociorum ſententia Abſalon vti compulſus, ne anxi am regis expectationem inopinata reditus ſui celeritate concuteret, ab Esberno ſe præcurri iubet, ſpecioſum geſtorum nuncium perlaturo. Qui propter Hythim inſulam tempeſtatum aduerſitate coercitus, non ante tempeſtiuum profectioni cœlum ſortitus eſt, quàm Abſalon receptis obſidibus, eiuſdem venti beneficio allaberetur, cuius præcelerandi gratia nauigationem impenſius conficiebat. Qua forte rex inter venandum conſpecta, præproperum poſteræ claſſis reditũ admiratus, fugam ſuis iniectam credebat. Quam ſollicitudinem falſo contractam, cogni tis ex Eſberno rebus, effuſiore gaudio permutauit, vtilius pacẽ bellum confeſſus. Quem etiam hoſpitio benigniſſime exceptũ plenis hilaritatis officijs proſecutus eſt. Die poſtero claſſem non ſolum impenſioribus verbis laudatã, verumetiam oſculis honoratam dimittit. Quo poſtmodũ apud Iutiam diuerſante, Kanutus & Karolus petulantiore manu q̃ validiore delecta, Hallãdiam adorti, exilij proprio ſcelere contracti ſuppliciũ à patria ſumere conabantur. Qui dum Hallandenſiũ multitudine, quam ſibi fauturam ſperauerant, repellerentur, fatum fugæ anteponentes, propter nemus, quod Hallãdiam à Gothia ſecernit, aciem ordinant. Vbi infœlicibus auſpicijs præliati, graues tentatæ patrię pœnas dedere. Nam Kanutus crebris vulneribus exceptus, ab agreſtibus captus, eundem quem Magnus carcerem expertus eſt, ſupplicij ſocium ſortitus, quem facinoris conſortem habuerat. Karolus mortifico vulnere obrutus, paruulo viæ exceſſu petito, fortem ſpiritum inter molles arborum frondes depoſuit, fœlicior obitu quàm frater vita. Quorũ patrimonium Waldemarus, lege quæ patriæ reos omnibus bonis damnat, adeptus, inſperata opum incrementa contraxit. Igitur Karoli corpus putre poſtmodum ab indigenis repertum documento fore potuit, aliena faſtigia cum propriæ contemptu fortunæ concupiſcenda non eſſe. Poſt hæc Henricus ob exercitum Cæſari aduerſum Italos negatum, grauem bello offenſam expertus, cum tantæ rei molem viribus ſuis maiorem cerneret, Waldemarum ſibi obuium crebris nũ cijs euocatum, pertranſito ponte cuius nunquam antea dimidium excedere conſueuerat, per ſummam mutuę fidei exhortationem obnixa auxilij petitione ſollicitat. Adeo ſuperbiæ neceſſitas imperat, faſtusq; infortunio domatur. Ad quod rex ſe nullo fidei debito compelli præfatus, amicitiæ tamen quam olim cum eo iunxerit, ſi monitis ſuis obtemperatum foret: affuturum promittit. Igitur Henrico quænam hæc eſſent cognoſcere cupiente: cum terrenum, inquit, imperatorem attentare inter ardua ducatur, multo cœleſtem laceſſere periculoſius, qui proprio nutu p̃ter humanũ adminiculũ, proſpera vel aduerſa afferre mortalibus poſſit. Quem ſi Henricus iampridem à ſe pontificalium bonorum rapinis offenſum, congruis reſtaurationis officijs complacaſſet, victoriam mente præſumere poſſet, alioqui bellum temere conaturus. Quod ſi infeſto Deo cõmuniter ab ipſis committeretur, ambos hoſti victoriam ceſſuros. Neq; enim dubium fore quin caduca ac fragili potentia vſurus ſit, quiſquis diuinæ pertinaciter obuiare præſumpſerit. Igitur ſe non niſi expiato periculo commilitium præbere auſurum, publicæ religioni quàm priuatæ amicitiæ propiorem. Tum Henricus multa à ſe pontificũ bonis beneficij nomine extorta cõfeſſus, quibus ſi ſpõte cederet, vltimæ pauperta-

Kanutus & Karolus exilii proprio malefi cio contracti cauſa patriam grauare conſtituunt.

pertati ſubijceretur: corraſæ atton ſæq; ceruicis homines tanti à ſe æſtimari negabat, vt vltro opibus carere, plusq; eorũ iræ q̃ gloriæ ſuæ tribuere velit. Repulſæ tamen ſuæ ſilentiũ ab ipſo geri precatur, ne in vulgus negatę opis fama diſſereretur. Sic rege dimiſſo, promiſſi ab eo præſidij ſimulationem apud milites ne ad Cæſarẽ deficerent, exhibebat: hac ſpe eorum animos firmare cupiens. Regreſſis inde Danis, mirum dictu & nouitate prodigiũ incidit. Siquidem vna noctiũ infinitus murium grex è longinquo rure concurrens, triſti occentu edito, Seleenſibus aquis ſua ſponte ſubmerſus interijt: quorũ cadaueribus vento iactatis littus mane conſtratum apparuit. Quæ res vtilior incolis an mirabilior fuerit, incertum eſt. Eadẽ quoq; nocte Abſalonis quietem capientis exuuiæ à ſoricibus corroſæ, certiſſimũ futuræ vexationis eius omen dedere. Cui Sialandiam regreſſo nunciatur, turbatis Scaniæ rebus plebem à primoribus diſſidentẽ, aduerſum regios quæſtores publicæ cõſternationis impetũ diſtrinxiſſe, è quibus Agonem ſplendidæ præfecturę virum in conciõe Lundenſi plena temeritatis violentia probroſius contrectatũ, ac prope vulgi manibus diſcerptũ, ni in ædem diui confugiſſet Laurentij. Quam facem turbulentiſſimo multitudinis furore accenſam, non niſi per Abſalonẽ extingui poſſe, cui facilius ſit orientis quàm adulti tumultus arma cõprimere. Quam ob rem oportere eum citato Scaniam petere, ſi rebus regis laborantibus digne cõſultũ cupiat. Qua de re Suno & Esbernus conſulti, quàm poterant diſſuaſorijs veris profectionem damnabant, dicendo compertũ ſibi tacita principum conſpiratione plebem inſtinctam, non aliud hoc motu quàm Abſaloni periculum petere. Sed Scanienſium legatis rem ſine eo ſedandã negantibus, iturum ſe vtcunq; forſtuliſſet reſpondit, etiam ſalutem ſuam ſi ita res poſceret, tot egregijs regis meritis impenſurum. Igitur præmiſſis qui Scaniæ primores habendæ concionis cauſa ad vrbem Lundiam contraherent, extemplo ſe venturum promittit. Nec Scaniã petere cũctatus, patritio ſpiritu publico furori conſtantiã ſuam obijcere properauit. Plebs ſiquidẽ acerrimis conſternationis fluctibus concitata, ciuilis iniuriæ querelas ſeditioſo accuſationis genere proſequebatur. Sed & Thordonẽ concionari exorſum, crebris ſibilis infeſtoq; clamore vexatũ cœpto deſiſtere coegit. Cæteris quoq; regiarum partiũ aſſenſoribus dicendi poteſtate negata, ſolam Abſalonis vocem tranquillis auſcultationis modis exaudire ſuſtinuit. Qui cum multitudinem imperitis clamoris iurgijs obſtrepentem, ſalubriumq; monitorum impatientem aduerteret, diuidendam ratus, prouinciarum concilijs trifariam diſtribui iuſſis, cunctas ſe principũ culpas emendaturum edixit. A quo Thordo, quod eum ad tumultus vix ſedabiles parum veracibus mandatis euocaſſet, increpitus, concitatæ plebis dementiam a temulentia coortã affirmat, eiusq; rei quoſdam in concione ſtertentes fidem feciſſe. Quam ob rem non in vrbe, ſed campo concionandum fore, ne hominibus potionis auidis, violandæ ſobrietatis acceſſus ſupperet. Proxima Abſaloni cum auſtralibus concio fuit. Illic regium ſatrapam Petrum (Euari hic filius erat) profectis ab inuidia accuſationibus aſperius quàm verius laceratum, quo tutiorem ab hoc calumniæ genere præſtaret, proximo ſibi ſedendi loco recipi iuſſit, venerabiliq; vicinitatis ſuæ præſidio, ne quid in amicum atrocius conſuleretur, prouidit. Poſtera luce per ſummã litiũ cognitiõem exacta, pleno æquitatis iudicio cunctas querelarum partes abſoluit, cauſisq; legitima definitione explicitis, delectatam beneficio plebem ad grates ſibi rependendas adduxit. Inde progreſſus, indigenę militis indicio cognoſcit ſeditioſo edicti genere cõcitatum populũ, apud Albũ fontem concioni quatriduo vacaturũ. Igitur tametſi Scanorum potiſſimis ſtiparetur, ad ſupplendum tamen arbitrorũ numerum etiã Thordonem nuntio vocatum, quid ſibi ſuper popularium motu recens fama prodiderit, edocet. Ille verbis ſuſpicionem dementibus rumoris fidem leuare, nihilq; tale metuendum aſtruere, cæteris aduerſum vim publicam res cautius gerendas monentibus. Ita ſententia variante rerum dubijs, indubitato Sygaftham inſulam explorandi gratia adire collibuit. Illic Abſalon ante accepta certiore expertus nũtio, cõſternatam amentia plebem, quod ei ſe tuto obiecturus non videretur, procuratis qui concionem accederent, per ſummam æquitatis promiſſionẽ delinire

Prodigium de muribus.

constituit. Qui cum omnia atrocissimo multitudinis furore misceri, ipsamq; ausu petulantiore instinctam, effusa verborũ licentia nobilitati insultare cognoscerẽt, acto mandatorum silentio maximũ seditioni incitamentum dedere, plus alienæ dementię quàm proprię legationis officio tribuẽtes. Quod perfidia an metu egerint, dubium reliquere. E quibus Petrus longus insignis staturæ, ægre dicendi potestatem adeptus, affirmare se tametsi miles Absalonis esset, respectum eius ciuium cultui non anteferre, populi maiestatem pontificis partibus priorem ducere, plus publicæ charitati quàm priuatæ debere. Cæterum ad omnes vulgi actus imitandos propensiore animo fore, libertatem eius iam quasi naufragam ac periclitantem, ne armis quidem protegere dubitaturum. Responsum à concione est, ludificari plebem quã Absalon magnatesq; rapinis vulgus affligere soliti, de industria petere supersedissent. Quam vocem vniuersis acerrimo clamore comprobantibus, multitudo maximo fragore dissiliens, armata passim equos inuolat, Absalonis penates hostiliter petitura. Neque enim eò properanti succurrit illos à se lares incursari, quos toties sibi munificos experta fuerat. Cuius nuntiandi gratia, legatorum iuniores telis quibus vndique petebantur callidius euitatis, citatò Sygostham peruenere. Ea re concussi milites Absalonis, diuerso consilio defensionis auxilia circunspiciebant. Alij pratis spaciantes equos colligere, pars vadum prætentũ insulæ, quod postmodum Absalon lateritio opere vallandũ curauit, cõtractis quas fors obtulerat quadrigis occludere, pars saxa iactilia lectitare. Tum Absalon, hortante seniorum turba, aut obsidioni animum præparare, aut primis incursantium, ante nimiũ & intolerabilem multitudinis aduentum oppressis abscedere, neutram consilij partem probare se dixit, quod nec opportunos obsidioni cõmeatus haberet, & se patrem potius quàm prædonem existere meminisset. Sed neq; se pacis studium cuius condendę causa aduenerit, humano sanguine polluturum, aut pias pastoris partes truculento percussoris officio mutaturũ. Male vero qui primi irrumperent innocue & sine cæde deturbandos curare, facile fugam daturos, quod nullo fulciãtur imperio. Militibus deinde quempiam plebeiorum violare prohibitis, primorũ agmen propinquum collem acie occupantiũ, prælata cruce adortus, in proximũ nemus refugere coẽgit: comprehenso seditionis autore, quem memores iussorum equites, armis amictuq; nudatũ, pulsare duntaxat contenti fuere. E quibus vnus cõsertissimis hostiũ globis lasciuioris equi petulantia adactus, loco palustri ignorantibus socijs, concursu popularium interficitur. Ita Absalon agrestium impetũ elusisse contentus, nullo hostiliter imminente, liberum repetendæ vrbis iter habuit, eisdem auidissima insulæ direptione, irarum suarũ procursum explentibus. Igitur patricij spiritus pontifex, vt tranquillũ ita salutare consiliũ secutus, pietatẽ sæuitiæ præferendo, dum gregi parcendo consulit, plus gloriæ & virtutis in innocentia ac moderatione quàm læsionũ suarũ vltione constituit. Quo enim se longius à ferri licentia retraxit, hoc religionis laudi propius admouit. Supertenientib. deinde quos ad deliniendã concionẽ direxerat, eorum vocatiõe queritur simplicitatẽ suã huc discriminis esse perductã: percõtatus cur improuidũ se & imparatũ, ad res tanta difficultate implicitas, secura mandatorum specie pertrahere voluissent. Quibus se nihil tale suspicatos dicentibus, culpamq; negligentiæ cõfessione excusantibus, æstimare eos quid nunc expediat iubet, præteritũ errorẽ præsenti consilio correcturos. Respondent, nec armis se, nec auxilijs instructos, cõtrahendi vtriusq; cõmodi causa domũ digredi necesse habere, paratiores postridie reuersuros. Ipsum interim exquisito latebræ genere vti debere, pbro cariturũ qui tẽpori consulat. Quod vtrũ malignitate ingenij, an inopia cõsilij ptulerint, æstiment quibus sequentia eorũ acta cognosse fastidio nõ fuerit. Refert Absalon honestiorẽ sibi castelli quod in Sialãdia haberet aditũ fore, parũ latebras exquirere solito. Quarũ deformitatẽ perosus, Thordone nauigiũ præbente discedit. Neq; enim claritatẽ suã obscuriore loco coarctandam putabat, cuius fulgorẽ per tot terrarũ spacia cõspicuis virtutis operibus diffusum non ignorabat. Sialandiã ingressus, Waldemarũ apud insulam Samsam venandi studio inseruiẽtem, recepta ab ipso epistola, petere iubetur, necessarijs patriæ vsibus vacaturus.

Culpa negligentiæ confessione excusata

Vbi

Vbi cum Sunone Esbernoq; propositas negotiorum curas debita agitatione complexus, postremo apud regias aures Scanici tumultus famã edidit, primusq; ipse perturbationum suarum nuntium agere non exhorruit. Æstuantem animo regem seditiosisq; supplicia minitantem, consilij sui delinimento à proposito retraxit, exigendęq; vltionis affectum, primorum Scaniæ virorum beneuola vocatione differre docuit, quos etiam illum apud Fioniam petituros, plenis humanitatis officijs prosequi non supersedit. A quibus eundem precari rogatus, ne Sexonem, Achonem, Sunõem, & Esbernum homines extra Scaniam ortos, eius rebus præesse pateretur, affirmantibus finem seditioni fore, quæ ob solam eorum petulantiam cœperit, si procurationem exteris attributã ad indigenas transferri curasset. Inuidere eos regis potentiæ respondit, cuius in dandis beneficijs arbitrium abrogare nitantur. Se vulgi sæuitiam experiri quàm regiarum rerum dominium tot sæculorum vsurpatione firmatum, insidiosa prece subruere malle. Tum illi omnẽ consternatiõis rabiem in eius caput effundendam minati, superbius æquo responsum dedere. Ijsdem à rege quidnam mitigandis Scaniæ rebus efficacissimum esset interrogatis, solam eius epistolam quæ blanda asperis certæ moderationis temperamento misceret, huic tumultui sedando suffecturam dicebant. Quorum instinctu rex plebem Scanicam plenis minarum literis aggressus, non parum nutrimenti publici furoris incendio addidit. Siquidem indignatus populus, eum aduersum se concitatioribus notis vsum, aduersum hunc scribendi ausum iram suã seuerius destringendo, omnia vectigaliũ iura solenniter abroganda curauit. Pontificales quoq; decimas execratus, sacerdotibus cõiugia decernebat: quorũ etiã sacra sibi exploso pontificis ministerio sufficere prædicabat. Igitur in diuina pariter humanaq; grassatus, maiestatis contemptum religionis iniuriæ sociabat. Rex frustra minis institisse se videns armis agere constituit, exactoq; messis tempore, in traijciẽdo milite magnis nauigiorum copijs succinctus, Helsingum oppidũ petit, Absalone inter postremos appellere iusso. Plurimum illic vulgus piscandi opportunitate contractum, crebris habitaculis occupauerat littus. Quod Absalõe viso, odium eius alimentorum suorum studio anteponẽs, littorales & quos casus obtulerat lapillos aduentanti ipsius nauigio obijciebat, parum recolendo illum à se Scaniæ finibus pelli, qui cunctis Daniæ locis tutum habitationis vsum præstiterat. Pars rege in concione relicto, per summum maiestatis contemptum ad mare decurrens, antistitis aduentum pari iniuria excipiebat. O ingrata Scanienſium gens, quæ pleno temeritatis furore, tot commodorũ tuorum autori iniuriam pro gratia rependere rubori non ducis. Pastoris parentisq; tui nauigium improbissimis euecta furijs, finibus tuis prohibere conaris, cuius beneficio tibi piraticam tot ies sæuitiam expertæ, tua late nauigatio patet. Illi præsentem littoris aditũ negas, cuius bellica virtus ne tu quidẽ hac littoris sede pellerere, pfecit. Desine ergo optimis amplissimi integerrimiq; viri meritis quasi grauissimis insultare delictis, erroremq; iniquo animorum iudicio contractum, veloci pœnitentiæ studio redime. Nec patienter rex tam contumelioſam eorum audaciam ferre potuit. Æstuãtem eum equosq; & arma poscentem Aruſyorum pontifex Sueno medium complexus, ne quid duri in plebem cõmitteret, obsecrabat. Pietas illi an metus hunc ausum prẽstiterit, incertum est. Sed apud regis animũ continua Absalonis charitate flagrare solitum, venientis amici pericula, cõplectentis precibus præponderabãt. Quo descendente, qui nauigium infestauerant summa cum innocentiæ simulatione, repetitis tabernaculis Absaloni littus cessere, in quo postmodum diuiduũ ei regiq; cum Scanico milite colloquium fuit. Scanienses apud quos rex sopiendæ seditionis consilium agitabat, Absalonem aduenasq; Scaniæ portioni præpositos remittendos monebant, dicendo nihil ad publicã dementiam cõprimendam eorum absentia efficacius fore, quę non aduersum regẽ, sed in illorũ plenos malignitatis actus exarserit. Huius sententiæ suffragatores Iutenses milites fuere. Creditum est eos partim decimarum odio, quarum nuper Scanię Sialandiæq; solutio inoleuerat, partim metu ex forensis pugnæ recordatione cõtracto, Absalonis affectasse discessum. Quam eiusdem equites honestiore animi iudicio execrati,

tantum ſibi neceſſitudinum, tantũ generis armorumq; robur eſſe dicebant, vt inuitis infeſtisq; popularibus herũ ſuum abſq; regiorũ militum adminiculo, per cũctas Scaniæ partes à ſe tuto libereq; circunducendũ ſperarent. Quorum animoſis adhortationibus rex, ob pacem plebi conciliandam, ignauos Iutenſium monitus anteponens, vocato Abſalone ſecreto, memorat quantam inuicem ſententiarum concordiã ſemper geſſerint. Nũquam ſibi tam diuerſa ac rigida animorũ iudicia fuiſſe, quin ad poſtremũ alter alterius arbitrio flecteretur. Orare deinde eum progreſſionis in Scaniã propoſitum deſerat, Sialandiamq; repetere deforme non ducat, ſpecioſis aliquando conſilijs vtilia prælaturus. Ad hæc Abſalon ne tunc quidẽ ſe veterem obſequendi morem relicturũ præfatus, conſilio vſurũ affirmat, quamuis abſentiam ſuã multis & grauibus mendaciorũ notis lacerandam ſciat. Rex gratijs tantæ moderationi impenſius actis, equites eius in augmentũ comitatus depoſcit. Illi in plenos fidei charitatisq; fletus effuſi, hunc ſibi ſupremi perpetuiq; decoris diem affirmant, huic ignominiæ nõ propria ſed alienorũ ignauia protractis, vt cui famulatus officia debeant, deſertionis probra perſoluant. Ita Abſalone per ſummam animorũ mœſtitiã relicto, regem proſequebãtur. Graues illi difficilesq; cum plebe conciões fuere. Vbiq; enim cauſas armata dicebat, animũ habitu oſtẽtatura. Quotidie Abſalonẽ falſo & inaudito obtrectationis genere lacerabat. Hęc audientes Iutenſes occulto laudationis ſtudio proſequebantur, blanditijs fouentes quod armis punire debuerant. Qua adulationis deformitate, maximũ ſeditioni irritamentum dedere. Rex finitis cõmeatibus Scaniam relicturus, lectos è plebe viros componendi cum Abſalone gratia, ad illud Sialandię littus quod ab Elſingo oppido vocabulũ tenet, traijcere iubet. Vbi demũ Abſalon regi obuius factus, compluribus innocentiæ teſtimonijs obiecta purgando, cunctas mendaciorum partes quibus abſens notatus fuerat, adeo validis copioſisq; rationibus ſubruebat, vt criminatores reatum cõfiteri coactos ad veniam à ſe flagitandã adduceret, deq; accuſatoribus ſui veneratores efficeret. Nec parua apud omnes eloquentiæ eius admiratio extitit, compluribus qui aderant diuino ore eum egiſſe dicentibus. Sed hæc omnia Scanienſium legati ad ciuium arbitrium relegantes diſcedũt abſque patriæ conſenſu nullum ſibi componendi ius eſſe teſtati. Sed neq; eorum fida adhortatione, populus Scanienſis ad deponendam conſternationis ſuæ rabiem adduci potuit. Nam nec decimas pontificalibus vſibus ſolui curatum, nec quicquam quod ad præſtanda ſacrorum iura attinebat exhibitum. Quorum infandam ſacrilegamq; pertinaciam Abſalon proximo ſacerdotali conſilio per epiſtolã vſitato, cunctarũ Scanię eccleſiarũ obſeratione puniri præcepit. Cuius edicti præmonita plebs, per idem tempus ante ædem Laurentij in concionem armata deſcendit. Ad quam ſacerdotes binis ordinis ſui viris, qui pontificalis edicti rigorem exponerent miſſis, ſacrorum ceſſationẽ, diuiniq; taciturnitatem officij, ſi decimarum ſolutionem abnuere perſeueraſſet, minati ſunt. Delegantur totidem è plebe mutuas ſacerdotio minas intentaturi. Ab his reſponſum eſt, ſacerdotes alimenta ſua plebi, non põtifici debere, quorum munere & beneficio neceſſarijs vitæ vſibus inſtructi noſcantur. Quocirca aut diuinis inſeruiant, aut ingrati patria cedant: ſi neutrum egiſſent, non ſolum honorum omniũ pœnam, ſed etiam ſæua membrorum ſupplicia recepturi. Ad hæc clerus reſponſo conſtantiſſime dato, ſe neq; mortis metu, neque paupertatis reſpectu, quo minus antiſtitis ſui imperium perageret, ceſſaturum affirmat. Tam pia tamq; religioſa cleri conſtantia, euictum vulgus precibus minas mutando, quoad Abſalon conueniri poſſet ſententiæ dilationem poſcebat. Ciuile ſiquidem bellum ſe excitaturum timebat, ſi in ſacerdotes ſibi nobilitate pares animaduertere ſtuduiſſet. Nam cum in Scania alienigenæ indigenis permixti, ſacerdotia gererent, amplior tamen dignioríq; domeſticis reuerentia præſtabatur. Quo effectum eſt, vt vtriuſq; ordinis cõſenſu mitterentur, qui iuſtas animaduerſionis inducias flagitarent. Haud ægre ab Abſalone obtentæ ſunt, plus clementiæ q̃ ſeueritati indulgendũ putãte. Multũ ab eodem gratiarum ſacerdotalis cœtus conſtantiæ perſolutum. Nihilominus populus cum cõtemptu beneficij, regiorũ, põtificaliumq; militum penates publice diripere perſeuerauit.

Externus habitus, interiorũ cogitationum certus index.

Appe-

Appetẽte publici ieiunij tempore rex Scaniã, eius Sialandię́q; militia ſuccinctus, Helſingi tranſitu petit, Fionienſiũ Iutorumq; comitatũ ob præbita ab eis iamdudum ſeditioni irritamenta pertæſus. Abſalon ob chriſmatis confectionem põtificali officio adminiſtrandam Lundiã deproperat, vbi paucos cum rege dies feriatus, vicino rure ſe excepit. Hac fama ſeptentrionalis Scaniæ populus cum Hallandenſibus excitus, more gentis miſſo per omnes ſtipite, ſub ſpecie petendæ libertatis belli titulum fingit, eoq; edicti genere exercitum conſtruit. Quẽ tanta dementia ceperat, vt manum cum rege conſerere properaret, ſummi imperij vires laceſſere nullius negocij exiſtimando. Quo rex è plaga auſtrali regreſſus, apud Dyſiam pontem excepto, oranti ſe Abſaloni fuſtibus quàm armis agere mallet: cum viris ſibi non canibus confligendũ reſpondit. Igitur non iræ aut furoris impulſu concitatus, ſed conſpicua animi induſtria ad corrigendã ciuiũ inſolentiam, metũq; cõſimilis audaciæ cæteris inijciendũ, aliquid ab inuiſiſſima ſibi feritate mutuandum ratus, manſuetudinẽ ingenij ſui depoſita ad tempus clementia crudelitatis actus imitari coẽgit. In põte res geſta eſt, vtriſq; tranſitũ anticipare ſtudentibus. Anceps diu præliũ fuit: inſignis illic agreſtiũ pugna extitit. Quorũ aciem Abſalonis equites per ignoti vadi compendiũ irrumpentes, repentinã victoriã edidere. Multi illic populariũ cæſi, compluribus amnis exitio extitit. Ferrũ vitantes, aqua periclitati ſunt, reliquię fuga ſeruatæ. Ita nefarius ille cœtus diuino iudicio pfligatus, ſacrilegi furoris pœnas exoluit. Rex Lundiã regreſſus, orientaliũ partiũ armatam plebem aduẽtare cognoſcit, vnius iam exercitus victor, alterũ excepturus. Cuius generalem conuentũ pugnæ celeritate præcurrere monitus, à Lundenſibus, ſtipendiorũ loco vectigaliũ laxationem poſcentibus, aliquandiu retentatur. Quibus obtentis in proximũ campũ exceſſiſſe contenti, longius eum ſub excuſatiõe tuendæ vrbis proſequi ſuperſederunt. Id regi tardius hoſtes excipiendi cauſam præbuit. Getungã appellant pontem apud quem armata populariũ corona cõſedit. Grandes illuc lapidũ aceruos prohibendi pontis gratia vecors turba congeſſerat. Rex alio amnẽ vado tranſgreſſus, ferro decernere ſtatuit. Sed plebem nõ tam præſentia regis arma, q̃ dira recentis ſociorũ cladis exempla terrebant. Miſſis igitur qui pontem à rege repeti precarentur, ab armis ſe diſceſſurã promittit. Pręcipue regẽ Abſalonis nimiã agreſtiũ ſtragem vitandã dicentis temperamenta flectebant. Repetito ponte ſupplices à ſeditionis autoribus ad regis genua manus tendũtur, cunctaq; famulandi officia auidius promittuntur. Cum de fide ambigeretur, iuſiurandum promiſſionibus additur. Sic vulgi collegio dimiſſo, Lundiã reditur. Scaniæ deinde gyro pertranſito, obſides à plebe recipiuntur. Ad reliqua facilis populus, decimarũ ſolutionem duntaxat pertinacius abnuebat. Nihil magis regi q̃ ad earũ remiſſionem Abſalonẽ abducere curatũ eſt: ſummopere cauendũ dicenti, ne ſibi forte quod olim Kanuto Othonienſi decimarum iura propagare nitenti acciderat, eueniret. Abſalon quicquã ex conſueto ſacrorũ iure decerpere, non minus inglorium quàm ſacrilegum ratus, conſtantius id ſe facturum negabat, dicendo, tametſi rex plebis ſententiã fauore proſequeretur, ſibi impedimento non fore quo minus ab ea decimarum debitum exigere perſeueraret, neminem ad participanda ſecum pericula prouocaturus. Tutiſſimum igitur regi ſilentium fore, ne eccleſiæ opem ferendo, populari ſe ipſum odio implicet. Tam iuſtã, tamq; fortem Abſalonis conſtantiam rex animo veneratus, cum remiſſionem admittere nolit, exactionem deferre poſtulat, conſilio poſtmodum effici poſſe quod armis nequeat. Paruit precanti Abſalon, præfatus ſe decimarum loco prioribus pontificum conditionibus non vſurũ, ne prorſus earũ iura negligere videretur. Tam modeſta Abſalonis promiſſio conſternationi remedio fuit. Summa poſtmodum Cæſaris in attentando Saxoniæ principe calliditas patuit: non enim minorem expugnãdi eius ſpem in acumine quàm viribus reponebat. Inprimis Waldemarum, quem eidem certius affuturum credebat, aſtutia tentat. Siquidem binas eius filias, totidem filiis ſuis, quorum alterum ſucceſſioni imperij deſtinarat, alterum Sueuiæ ſatrapam conſtituerat, per legatos in matrimonium poſtulabat: non quod ſanguini ſuo bonæ fidei nuptias quæreret, ſed vt hoſtem amicis abundantem auxilijs ſpoliaret.

Tumultus populariũ.

Quod callidius an impudentius egerit, ignorauerim. Ad illũ enim falsas iungendæ affinitatis preces dirigere non erubuit, quem olim perfidiæ laqueis cõplicatũ ad obsequia sibi paciscenda pertraxit. Amici regis intellecta fraude, hæc non matrimonij voto, sed Henrici odio flagitari dicebant. Tam veros Cæsarianæ calliditatis interpretes, sola reginę sententia superauit, sanguinis sui connubijs affinitatẽ cum Cæsare iungere gloriosum ducentis. Quærente rege quantũ ab eo dotis nomine exigeretur, legati se ignorare dixere, remq; ad Cæsaris arbitrium retulere. A quo rescriptũ est, curãdum regi Lubecã petere, cuncta secum illic commodius definituro. Obtemperatũ rogatui est. Interea Cæsar omnib. imperij neruis ad obruendas Henrici partes conniſus, vrbes eius passim ad se deficientes in deditionẽ recepit. Defectionis causa non tam Cæsaris amor q̃ Henrici odiũ extitit. Is siquidem nimijs ac diuturnis fœlicitatis succesſib. elatus, inq; summo fortunę fastigio nullum ruinæ incommodũ suspicatus, subiectas tyrannidi suæ ceruices inusitata dominationis sæuitia atq; intolerabili morũ acerbitate vexabat, nec hosti q̃ ciui importunior existere consueuerat. Igitur nõ bello aut clade, sed fraude militũ & desertione viribus amissis, cum solas spei reliquias in Transalbianorũ auxilijs haberet, Lubeco oppido relicto quod se eius mœnibus parũ tutũ arbitraretur, summa cum festinatione correptis nauibus, in Stormariã intimũ fugæ suę receptaculum penetrat. Huius prouincię præses Adolfus apud ipsum profusis charitatis offi cijs à puero alitus, fœliciaq; naturæ pariter ac fortunæ incrementa sortitus, atq; ad ordinem militarem summis beneficentiæ studijs prouectus, tam fœdã educatiõis suæ mercedem exoluit, vt inter omnes Henricianę militię comites, primus se defectoris nomine macularet. Post hæc à Cæsare nauigia quibus Albiam superaret, sagittarijs & funditoribus cõpleta, per pronũ amnis alueum immittuntur. Pari stu dio classis exquisito bellatorũ agmine referta, ad impediendũ Cæsaris traiectum ab Henrico contracta. Quæ postquã hostilium nauiũ multitudinem in cõspectu habuit, earundem numero perterrefacta, proposito per fugã deserto, Cæsari tran situm cessit. Qui dum oppidũ Lubecũ obsidere cœpisset, Bogislauiq; & Kazyma ri fratrũ vires admodũ suspectas haberet, vtriq; se potentiæ & claritatis incremen ta daturum, subornata legatione promittit, prouincias quas hactenus obscure & sine honorũ insignibus gesserint, satraparũ nomine recepturis. Iocunda Cęsaris to ties ab Henrico lęsis promissio extitit, non intelligentibus sibi sub specie beneficij deforme seruitutis iugũ intendi. Interea Waldemarus classe luxu quàm armis ornatiore Lubecũ profectus, occurrentibus sibi Germanorũ equitibus, eximiasq; eius aduentui grates habentibus, nauigatiõem medio amne quoad possit profer re deposcitur, quo breuius inter ipsum ac Cæsarem iter restaret. Quo facto, poste ro die an Cæsarem medio itinere obuium affectaret à legatis rogatus, castra eius petere præoptauit, Romani imperij rectorem in re modica fatigare superuacuũ existimãdo. Nec minor Cęsaris in excipiendo Waldemaro calliditas, quàm Wal demari in petendo Cæsare moderatio extitit. Siquidem in primis eum amplexu atq; osculo decentissime veneratus, mox dextra honorabiliter apprehensa, depo sito amiculo per media castra perduxit, præcõis more cunctos ei via cedere iubẽdo. Tentorium quoq; nimio multitudinis conspiciendi regis auidæ concursu col lapsum, planũ campi petendo deseruit: vbi sedandæ pressuræ gratia distenta virga, quàm poterat celsa voce cunctos locis in quibus consisterent cõsedere præce pit. Sed Waldemarus cum eius dignatione perinde ac quadã moderationis æmulatione contendens, sellam suam se expectaturum respondit, ne probato sedendi vsu, imperialis cathedræ honorem vsurpare videretur. Magnates honoribus emi nentes, non ordine aut ratiõe discretis sedẽdi spacijs, sed vt quenq; violentę pressi onis casus iactauerat sedilia habebant, fortuna nõ dignitate locorum vsum distri buente. Illic exaudire erat Theutonum voces formã regis staturamq; mirantiũ: quos tanta visendi eius cupiditas ceperat, vt sedendi humilitas obstaret, alter alte rius cõscensis humeris productis illum ceruicibus inspectarent, hunc regem, hũc dominum, hunc imperio dignum referre, Cæsarem regulũ homuncionemq; vocare. Adeo Barbaris eum excellens corporis habitus venerabilem faciebat. Cre-

Sub specie beneficii sæpenumero deforme seruitutis iugum solet intendi.

diderim

diderim Cæsarem has militum voces dissimulãter tulisse, ne regis laudibus offen di videretur. Quem post diutinã omnium admiratiõem, paucis secum exurgere iussis, in proximum tabernaculũ eodem comitatis genere deducẽdum curauit, quo venientem fuerat prosecutus. Illic enim serijs omissis aliquãdiu beneuolo iocundoq; sermone detentum, ad vesperam prosequente totius Germaniæ iuuentute discedere permisit, luce postera apud syluam portui vicinã opportunioris colloquij gratia præsentiam redditurum. Interea filios regiam nauem petere inq; ea sub specie lusitandi morari præcepit, charissimorum pignorum familiari conuersatione in quanto regis aduentum poneret, ostendere cupiens. De quorũ nuptijs condicto in loco mentionẽ orsus, maiori triginta millia talentũm, minori octo in matrimonij conditionem deposcit. Quæ res suspecta Danorum maioribus fuit, virgines nõdum ad nubendi ætatem prouectas, fraudulenter ab eo postulari credentibus. Sed Waldemarus maiorem summam suis opibus imparem arbitratus, minorẽ Vngarię regis arcta sibi propinquitate coniuncti fiducia pollicetur. Huic pactioni iureiurando firmitas adiecta est, desponsionisq; vinculum sacramenti religione constrictũ. His actis rex nauigia, Cæsar castra repetijt. Quo tempore Sclauorum ad ipsum, regiæ classis metu, nauigijs progredi non audentiũ, legatis receptis, diluculo nauigium regis paruo militum numero comitante, eiusdem cymba aduectus, cunctis inopinatus ascendit. Igitur rege exercitus sui primores participandi colloquij gratia contrahente, solum Rugiæ principem Iarimarũ, quem pridie compluribus veneratiõis officijs, insuper regio nomine adulatus fuerat, quod eum Danis perquàm fidum non ignoraret, vocari passus non est. Habere deinde se dixit quod ad regem secreto referre cupiat, quem ob futurũ mutui sanguinis cõtractum non amicum modo, verumetiam vnanimem habeat. Sclauos siquidem eneruandi gratia Henrici à se promissionibus allectos esse, quas eodem expugnato minime exequi velit, memor quid olim sibi de subigenda Sclauia pollicitus fuerit. Orare deinde patiatur se eam ad prẽsens sui muneris facere, binis fratribus gemine prẽfecturę titulo speciosius quàm diuturnius tribuendã. Eandem quippe se ei, profligato Henrico, subijcere curaturum. Annuente rege, posteroq; die concionem petente, Bogislzlauũ & Kazimarũ datis solenniter aquilis, Sclauiæ duces appellat, veterem atq; hæreditariam patriæ libertatem vanis atq; fucosis dignitatũ nominibus venditantes. Qui si scissent quanto oneri se exigui panni receptione substernerent, mortem beneficio prætulissent, aut priuati in omne vitæ tẽpus degere maluissent. Sic sub honoris specie, grauissimis dedecoris probris implicati discedũt, seruitutem falsis dignitatum insignibus coloratam in patriam referẽtes. Illic quoq; Syfridus splendido Thyringiæ loco ortus, vnam Waldemari filiarum Cæsare astipulante despondit, regiaq; naue deuectus, solennes Slesuici nuptias habuit. Interea Sclaui castello quod propter Zuynensia ostia moliti fuerãt, hyberna maris exundatiõe pessundato, bina alia ijsdem in locis materia per hyemem contracta, Veris principio condiderunt, inexpugnabiles se fore rati, si Penus amnis Walogosto oppido Zuyna maritimorum præsidiorum obstaculis clauderetur. Quod rex sero nũcio expertus, cum ad Viridem portum impediendi operis gratia contractis copijs appuliset, ex Rugianis cognoscit consummatas arces præsidijsq; completas: Præcipue eum in his expugnandis circunspecta portuũ inopia desperare coẽgit. Tunc Kanuto filio, tunc Absalone, Sunone, & Esberno vocatis, refert difficilem arciũ oppugnationem sibi visam, alienis eas auspicijs quàm proprijs incessere præoptanti, ne studijs parum ex sententia cedentibus, rerum toties à se fœliciter gestarum fulgor corrumperetur. Igitur Kanuto atq; Absaloni oppugnationis curam imponit, præfatus minus ruboris ex inefficaci illorum pugna, quàm sua ad patriam redundaturum. Si vincerent, non minori sibi gloriæ fore, quàm si ipsemet victoriam edidisset. Sed Absalon Scanorum atq; Sialandensium ductum pollicitus, lutos sua opera ductandos negabat, quos non solum imperij sui, verumetiam adolescentiæ Kanuti contemptum acturos sciat. Nec eum prædictionis augurium fefellit. Permotus dicto rex, iturum licet inualidum, respondit. His curis astrictus, morbo ex sollicitudine contracto in lectum decidit. Enim-

uero præcordia eius diuiduæ paſſiones, hinc vincendi cupido, hinc deſperatio tor ſerunt. Mane ducibus eum vt ſibi parceret orantibus, imperiumq; eius etiam abſentis ſe executuros ſpondentibus, vix atq; ægre conſenſit, vt ad oppidum Worthyngum filio pontificiq; cõtradita belli ſumma diſcederet. Quibus eodem in loco diutina ac vehementi tempeſtate detentis, ſeditioſæ lutorum voces toto littore exaudiebantur, tum commeatuum alimentorumq; defectum cauſantiũ, tum expeditionis militiæq; remiſſionẽ poſcentium. Quas cum Homerus Ripenſium antiſtes, quem præter religionis dignitatem ſingularis eloquentiæ claritas commẽdabat, copioſis facundię documẽtis delinire non poſſet, poſtremo vim verbis anteponendã ratus, quendã ex ſeditionis conſortibus ante tentorij ſui fores perti nacius obſtrepentem, prendi vinciriq; curauit. Quæ res populi clamorem auxit, ſeditionẽ accendit. Igitur patres plebis à rege cum contemptu imperij diſceſſum veriti, cõmunicato colloquio expeditionem ab eo ſponte ſoluendã decernũt, temerariam eius delapſionẽ ſimulatæ licentiæ beneficio præcurrendam putantes, ne magis proprio ductu finiri quàm regio nutu remitti videretur. Quæ ſi in præripiendo reditu proprię voluntatis motum ducis arbitrio prætuliſſet, euenire poſſe quod diuo Kanuto ſolutæ claſſis pœnas à patria exigẽti contigiſſe proditur. Quã rem Kanuto ſi patrem eius iam febri implicatum præſens morbus abſumeret, regni ſucceſſionem adimere poſſe. His cõſilijs adductus Kanutus, conuocatã claſſem facta reuertendi poteſtate dimittit, beneficij loco erogans, quod plebis petulantiæ negare non poterat. Ita ſeditionis periculo bellum omittere coactus, cum Abſalone, Esberno, & Sunone Worthingum adnauigat, paternæ febris exitũ expectaturus. Igitur Waldemarus per apertã cubiculi ſui feneſtram velorũ reditum contẽplatus, admiratione rei morbi pariter atq; ęgritudinis incrementa cõtraxit. Summa tamen vtriuſq; diſſimulatione vſus, filiũ ad ſe cum arbitris venientẽ tam hilari vultu admiſit, vt pene morbo vacuus putaretur. Quinetiam ſe minimo doloris ſenſu teneri dicebat, corporis moleſtiam animi robore diſſimulare conãdo. Apud Abſalonem tamen religioſam culparũ confeſſionem agere non oblitus, incertum mortis tempus ſacro correctionis genere pręcurrendum credebat, ſeram atq; inutilem pœnitentiam iudicans quæ emendationis odio, nimiaq; peccandi perſeuerantia ad vltimum vſq; ætatis terminũ prorogatur. Præterea locis monaſtica religione ſacratis dimidium patrimonij ſui, quæ ad fiſcũ regiũ pertinebant exceptis, teſtamento legauit. Sed cæteris bene de eius ſalute ſperãtibus ſolus Suno, ſiue ſomnij monitu, ſiue alio mentis oraculo doctus, fatalem hãc regi febrem augurabatur, quonam modo filij rebus, decedente patre, ſuccurri oporteret prouidendum hortatus. Tantã ſiquidem in regis funere luctus acerbitatẽ futuram, vt conſiliũ vllum aduerti nequeat. Eodẽ tempore Ioannes quidã religione Abbas, medicinæ præſumptuoſior q̃ peritior profeſſor, cuius opi plurimũ credebatur, è Scania accerſitus aduenit. Qui morbo parũ prudenter inſpecto, ſoſpitatẽ regi conſtantius quàm verius promittebat. Quẽ cum cibo medicinali arte confecto refici endum curaſſet, cunctis cubiculo eiectis quietẽ capere iubet. Eundem paulò pòſt ſine voce eſſe compertũ, vt artuatim ſudore ſuffuſum inuenit, accuratius operiri præcepit, lætum id profluuij genus ac ſalutare teſtatus. Vtinã Sunonẽ potius mentis auguriũ, quàm medicũ artis ſuæ præſagium fefelliſſet. Cuius promiſſum regis obitus inſecutus, quàm parũ fidei in medicorũ opere reponi oporteat, documento extitit. Ingreſſi mane cubiculũ amici, defuncti regis corpus perquã ſimile ſpirãti reperiunt, adeò priſtinũ habitũ retinente vultu, vt nec rigore contractũ, nec horrore mutatum cerneres, rubicũdis oris notis viui hominis ſpeciem aſpectũq; reddentibus: incertũ an deceſſiſſet: priſtini caloris habitus totis adhuc membris retentus, relinquere videbatur. Sero tandem pallore mortis fidem faciente mandatur feretro corpus, Ryngſtadiũq; funerandi gratia deuehendũ curatur. Hic vicus nõ vetuſtate modo, ſed etiam paternæ eius ſepulturæ titulo conſpicuus habebatur. Acceſſit luctui matrũ miſerabilis planctus, ſparſis comis funeri occurrentiũ, iterumq; ſe priſtinum ſeruitutis onus experturas dicentium, extinctum illum qui ciuium capitibus captiuitatem detraxerit, qui patriam piratarum metu vacuefecerit,

Abbas quidã religioſus, præſumptuoſior quàm peritior medicinæ profeſſor.

rit, maritimasq; sedes perinde ac domesticas à prædonum incursu tutas præstiterit. Agrestes quoq; funebri ipsius pompa conspecta, rustico opere quo occupati erant relicto, consentaneis arua querelis replebant. Cui etiam vt supremi officij decus præstarent, funebri eius lecto humeros subij cere iocundũ ducebant, euersam regis morte patriam, miserisq; sibi cõmune funus, aut si quid funere tristius est imminere plangentes. Pro cuius spiritu salutaria Absalon vota gesturus, inter solenniũ verborum nuncupationem doloris impotens, non temperauit sibi quo minus arã lachrymis spargeret, vixq; ad rem diuinam peragendã vocis aut manus ministerio sufficere valuit. Quinetiam tãtum ægritudinis animo contraxit, tamq; graui & periculosa valetudine subito affici cœpit, vt pene vitam cum sacrificio finiret. Incredibile videretur tantum virũ tam insigni luctus horrore confectum, si non eius erga Waldemarum affectus fuisset notissimus. Sed fortuna altero patrię lumine extincto, reliquũ perire passa non est, ne deesset cuius ductu Danię pedib. Sclauia subij ceretur, aut gens quæ sub tãtis ducibus ad excellentẽ honoris habitũ prouecta fuerat, tutore vacua remaneret. Cuius lachrymis precũ loco defusis resperſa altaria, non paruulũ promptissimæ eius erga regem beneuolentiæ indiciũ præbuere. Ijsdem quoq; madefacta thura, gratũ deo odorem dedisse crediderim.

HISTORIÆ DANICÆ LIBRI DECIMIQVINTI FINIS.

SAXONIS GRAMMATICI
HISTORIÆ DANORVM LIBER
DECIMVS SEXTVS.

DERACTIS inferijs, corporeq; regio honoratissime funerato, Kanutus monentibus arbitris festinatione qua regnum peti fit mariq; oportuit, in Iutiã secessit, paternos sibi milites obligaturus. Neq; enim illi nomen regiũ ambiendũ restabat, quod vnctionis suæ tempore solenniter adeptus fuerat. In conciõe Wibergensi beneuolos ciuiũ animos expertus, apud Vernensem tacita quorundã simultate cõpressa, pari cęterorum fauore excipitur. Atq; ita patrię consensu, regni hæres efficitur. Interea Scanorũ populus laxata sibi pristinæ petulantiæ frena regis morte gauisus, cladis apud Disiam pontẽ peractæ piacula à principibus exigere constituit, per quos charissimis necessitudinum solatijs orbatus fuerit. Sed & Ako quidã Tubbonis filius plenis temeritatis eloquijs flagrantissimã ciuilibus malis facẽ subij ciebat, extinctæ & iam pene sepultæ Scanicę seditionis reliquias suscitando. Cuius mali impediendi gratia Absalon in Scaniã transgressus, apud plenã malignitatis cõcionem oratione liberius quàm efficacius habita, à plebe deseritur, factionis principes alium concionandi locum complexos petente. Quorum tam petulans ac pręceps audacia erat, vt equis insidentes cunctã Scanię plebem ad eundem locum semestri spacio exacto, quasi tuendæ libertatis gratia armatam redire sub edicto iuberent: quæ res Absaloni Sialandiam repetendi causam præbuit. Ob cuius secessum popularis sęuitiæ procursus temeritatis incrementis euectus, inq; Thordonis & Esberni penates effusus, eosdem prius rapinæ, deinde incendio subiecit. Complures quoq; Scanicæ nobilitatis sequentibus diebus ædes crematæ. Siquidem factionis duces quo promptiore plebis audacia vterentur, petulãtiam eius principum bonis pascendam curabant, dulcedine prædæ & assiduis fatigationis præmijs, iocundiorem atq; alacrem eius operã reddituri. Igitur nobilium cõplures æqualium exemplo vim penatibus suis inferendam timentes, bona omnia amicorũ custodiæ mandabant. Pars fretũ nauibus complexa, se & opes vndis quàm ædibus credere præoptabãt. Pars apud Absalonem exulare solatij & lenimẽti loco duxit. Cuius atq; Kanuti equites

Kanutus, post patrũ sui mortẽ, patriæ consensu, regni fit hæres.

ſuam æque ac dominorum fortunam afflictari cernentes, cum iniuriã armis propulſandam duxiſſent, ſeditionis principes fruſtra à ſe ſine duce res nouari ſuperiore tumultu experti, Haraldum quendam regij ſanguinis & obtuſi cordis, impeditiq; ſermonis è Suetia acciſcunt, hominem prorſus regno imparem, cum in eo nihil præter generis nobilitatem natura aut fortuna commendabile reddidiſſet. Igitur maiore cum opprobrio talem virum Suetia miſerit, an Scania receperit, incertum eſt. Quo rumore attoniti perculſiq; magnates, prout ſe hoſtiũ aduentus fama variabat, dubijs Abſalonem legationibus fatigant: nunc opem eius trãſitumq; poſcentes, nunc eundem cum tota manu ſuperſedere iubentes. Nondum enim Scaniæ partes Haraldus irruperat. Quas cum Kanuti Suetiæ regis eiuſdemq; ſatrapæ Byrgeri pręſidijs vi rupiſſet, ad noui principis opinionem cupide congeſtũ vulgus incredibiles ei copias ſociabat. Quibus fretus, Lũdenſi vrbi portas ſibi claudenti excidium minatus eſt. Igitur ex magnatibus complures alternis internuncijs contracti, fortiq; inuicem cohortatione firmati, propter Luminam amnem caſtra cõſtituunt: alijs regiorum militũ per ignorantiæ ſimulationem venire ſuperſedentibus. Quos tantus pugnandi ardor ceperat, vt per ſummum non ſolum periculorum, ſed etiam popularium contemptũ, abſq; paucitatis ſuæ reſpectu vt quemq; equi pernicitas adiuuabat, ſine imperio aut ordine effuſis habenis in hoſtem contenderent. In quo quidem impetu, maiorẽ venti (quem fortè aduerſum habebãt) quàm hoſtium quos impetebãt ſæuitiam experti ſunt. Ille enim magnitudine ſua clypeos curſitãtibus decuſſit, hi ne pectora quidem irrumpentibus obuertere auſi fuere. Ita popularium acies numero hominũ quàm animis præſtantior, incruentam de ſe victoriam dando, plus periculi an ignominię ſenſerit dubietati ſubiecit. Enimuero quo expeditius fugã, qua pugnã præcurrebat, intenderet, ſeipſam ſcutis exuere non erubuit, armorũ onus abijciendo quorum vſus experiri confiſa nõ fuerat. Hac igitur partim cæſa, partim capta, Haraldus cũ Akone quẽ affectati regni autorem habuerat Suetiam refugus petebat. At Lundenſes ſuſpenſis ad belli euentum animis in neutram partem auxilia commodabant, fauorem victoribus erogaturi. Qui rei ſucceſſu cõſpecto, perinde ac victores victis inſultare cœperũt, cupiditate laudis & prædæ alienis ſe virtutibus inſerentes. Nec contenti popularium ſpecie bis bellum potentibus intuliſſe, collecta cõcione tertiũ aduerſum eoſdem indicere grauati non ſunt, ſuſcepti vulneris dolorem conſternationis furori permixtum communi nobilitatis exitio penſaturi, tantamq; prouocandi perſeuerantiam ſiue pudore cladis, ſiue cupidine vltionis animis inſitam geſtantes. Neq; enim illos aut illuſtriũ virorum reſpectus, aut vulnerũ ſuorum memoria, quo minus ſeditionis ſtudia ſectarentur domare potuit. Quod periculum cunctorũ Scaniæ magnatum capitibus contiguum, præproperus Abſalonis cum Sialandenſib. aduentus diſpulit. Siquidem ſublatis vexillis deputatum concioni locum ingreſſus, non ſolum turbulentiſſimo plebis propoſito obſtitit, ſed etiam leges quæ iniquiſſimis eiuſdem ſuffragijs conuulſæ fuerant, pijſſimo iudicij decreto ad priſtinę autoritatis habitum reduxit. Sed neque Haraldum quò minus à magnatibus damnaretur, abſentiæ patrocinium protegere potuit. Hunc certè bis à Scanienſibus multatum dixerim, ſemel armis, iterum ſententijs. De quo quidem diſcernere arduum eſt, ferro an ſuffragijs punitior fuerit. Plebs quoque nihil hoſtile auſa, armis ſumma cum propoſiti diſſimulatione depoſitis, Abſalonis ſe turmis tranquillo cõcionandi more iungebant, ſingulis iudiciorum ſuffragijs alacrius quàm libentius ſucclamando. Ita terribilis illa ac diutina ſeditio ſimul cum concione finem habuit, funeſto plebis conatu vlterius aduerſum principum collegium inſoleſcere non audente. Interea Kanutus excitati in Scania belli nuncio, Fioniam è Iutia petere coactus, Esbernum Abſalone fratre nunciandæ regiarum partium victoriæ gratia tranſmiſſum, obuium accipit. Cuius inopinato occurſu triſtia afferri ratus, hærente animo, deiectoq; vultu quicquam ex eo cognoſcere verebatur. Poſtmodum non ſolum eiuſdem plena hilaritatis fronte meliora ſperare iuſſus, verumetiam iocunda ac libenti narratione de ſuorum victoria doctus, in Scaniam ouans proceſſit, ac primum eius prouinciam Froſtam rapinæ & incendio opportunam

Cnuĉli Scaniæ magnates Abſalonis cum Sialandenſib. aduentu maximis periculis liberantur.

tunam exhibuit, vastassetque in Absalonis erga illam studium gerentis interuentu prohiberetur. Quo mediante effectum est, vt ab his qui in regem Haraldica factione deliquerant, æra tantum pœnæ nomine exigerentur. O immensam clementiam, cuius beneficio hominibus euidenter noxijs, maximi facinoris culpam paruulo censu redimere licuit. Quo exemplo cæteri ad spem veniæ erecti, mitissima Absalonis opera parem regis mansuetudinem experti sunt. Egregiũ tunc Kanutus moderati animi specimen dedit, cum vltionem quam vniuersorũ crimen meruit, vnius amici precibus donauit. Indignum adolescentem, cuius virtus externi principis acumine tentaretur. Compluribus enim Cæsaris legationibus curiam adire, paternæq; amicitiæ successionem expetere iussus, intercedente amicorũ consilio quàm modestissime rescripsit, excusationis verbis à regnãdi nouitate quæsitis. Siquidẽ arbitris eius excussa atq; explorata Cæsaris calliditas erat: hisdem perfidiæ laqueis filij simplicitatem circumuenire studẽtibus, quibus olim patris credulitatem implicatam habuerat. Cui cum Cæsar erepturum se regnum alijq; daturum plena minarum epistola respondisset, solum hoc rescribere cõtentus fuit, quærendum videlicet Cæsari esse priusquam sibi regnum adimat, qui Daniam in eius beneficio reponere cupiat. Qua respõsi libertate, non solum minantem elusit, verumetiam plurimum à se fiduciæ in ciuium animis reponi docuit. Apud quem Cæsar frustra monitis egisse se videns, Syfridum qui sororem ipsius in matrimonio habebat subornat, quod literarum suarum instinctu nequibat, alienæ vocis supplemento persuasum haberi conando. Qui vbi Daniam intrauit quanta regis charitate ob sororis eius matrimonium teneretur, quantisq; Cæsar viribus esset expositus, Absalonem, Sunõem & Esbernum, qui soli ex amicis cum rege admittebantur, tum fidei quam Kanuto, cuius tutores existerent, deberent, tum fiduciæ quam eiusdem pater in eorum pectoribus reposuerat admonitos orare cœpit, ne amicorum nomine hostes agẽdo, creditum sibi pupillum annis & consilio tenerum, graue & intolerabile belli onus suscipere iubeant, eumq; sub titulo tuendæ libertatis regno exuant: qui potius salutaribus illum consilijs formare curæ habeant, Romaniq; imperatoris curiæ ascribi deforme non ducant. Respondet Absalon, de se dubium non esse, quin vtiles si nosset monitus, Kanuto libenter fuerit porrecturus: à quo ita Cæsaris amicitiam expeti velit, vt propriæ eius maiestatis decus incolume seruaretur. Nam & Waldemarum Frederici partes amicitiamque secutum, nihil fide eius aut promissione fallacius repperisse. Proinde Syfridum nosse debere, Kanuto Cęsariq; æquum regnandi ius esse, neq; minore cum libertate hunc Danici regni, quàm illum Romani imperij gubernacula continere. Igitur indignante Syfrido, plenaq; minarum ac fastus respõsa fundente, an tu, inquit, ex temetipso Daniam pensas, eamq; vt Thyringam a Cæsare cum volet quam facillime capi posse existimas? Proinde abi, imperatoriq; tuo perfer Danorum regem ne minimam quidem obsequij partem dignitati eius ac nomini delaturum. Dignum hoc cõtemptu dixerim, qui propior alieno imperio quàm propriæ affinitati tam inuisam Danicæ libertati legationem suo monitu administrare sustinuit. His auditis Cæsar, spernenti se regi, quia bellum nequiuit, odium inflixit, animo non ferro contemptum vlturus. Spe tamen potiendæ Danię non omissa, ciuilium in ea malorum motum expectandum putabat, seditione diuidũam gentem, minore cum virium suarum periculo oppugnandam sperando. Quam opportunitatem aliquandiu quæsitam à fortuna sibi negari conspiciens, Sclauiæ satrapam Bogislauum quem nuper Kazimari fratris decedentis orbitas hæredem effecerat, crebris muneribus amplissimisq; promissionibus in Danica bella sollicitat. Cuius hortatui Bogislauus pronius quàm prudentius obsecutus, sed bellum aduersum Daniam palam atque aperte profiteri non ausus, primum auunculi sui Iarimari Rugiæ præfecti quæsitis simultatum causis hostẽ agere cœpit, Cæsarianæ mlitiæ respectum arctissimis affinitatis vinculis præferendo. Qua de re Kanutus per Iarimarum certior factus, mitti curauit qui causam à Bogislauo tam subitæ læsionis inquirerent. Ille non regem, nõ Daniã à se lædi, sed iniuriã à Iarimaro illatam repelli testatus, communem controuersiã per vtriusq; legatos,

Cæsar Daniæ regem, cum ferro persequi non possit, odiis prosequitur.

armis interim depositis ad regis cognitionẽ, referri deposcit, eundemq; pacis inter se faciendæ autorem flagitat, verbis beneuolentiam simulantibus, simplicitatis fidem prætendere cupiens. Igitur rege nihil insidiarum aut perfidię metuente, causæ dictionis dies locusq; decernitur. Apud insulam deinde Samsam, non solum huius negocij explicandi, sed etiam iuris ciuilis emendandi gratia ingenti nobilitate contracta, amborum legatos excepit. Quorum altercatione solenniter audita, cum in Iarimarum complura loquacius quàm verius obiectarentur, ac propter principaliũ personarum absentiam sententia impediretur, à Bogislaui legatis vltro iureiurãdo promissum est, eum cum primum regi placitum foret, in rem præsentem venturum: ita in eludendo rege non minore legatorum quàm eius à quo missi erant calliditas versabatur. Quorum promissis Kanutus securius quàm cautius æstimatis, concilio ocyus dimisso in Iutiam secessit, fortissimis quibusque Scanorum ac Sialandensium tantam ocij tranquillitatem causantibus, seq; nimia iam quiete in desidiam prouolui querentibus, longo delitiarum vsu enerues animos gerere, qui sub rege Waldemaro totius ferme anni tempus multiplici rerum agitatione, varioq; militię genere deducere consueuerint. Nam militaris roboris neruos sicut ocio hebetari ac remitti, ita negocio intendi excitariq;. Igitur acuendę virtutis gratia piraticam aduersum Estones in commune decerni placuit. Inter hæc Bogislauus hortante Cæsare non solum patrijs ac domesticis viribus instructus, sed etiam à finitimis late præsidia mutuatus, aduersum Rugiam quingentarum nauiũ classem ingenti belli apparatu refertam contraxerat. Quibus copijs nihil hostilium virium obstaturum ratus, Bugislauum quendam legati nomine Cæsarem petere iubet, qui tantum à se exercitũ aduersum Daniam contractũ nuncia ret, vt dubitare non possit quin Kanutus resistendi fiducia defectus, quamcitissime Romano se foret imperio traditurus. Delectatus promisso Cæsar, laudato Bogislauo legatũ imperatorijs donis prosequitur. Iarimarus tã subiti inopinatiq; belli fama perculsus, Absaloni in Sialandia se continenti magnitudinem periculi Rugianæ gentis imminentis, propinquitatemq; denunciat. Qui protinus festinatione quanta sociorum expugnationem pręcurri oportebat accinctus, missis per Sialãdiam epistolis, omnem ætatem armis habilem in classem cõfluere iussit, minores rates maioribus, onerarias piraticis sociauit, plebiq; demum ac nobilitati promiscuum corripiendarum nauium vsum concessit. Eodem edicti genere cõiunctis Sialandiæ insulis imperatum. At Fionienses Scanisq; sextum intra diem præfixum portũ petere, alioqui supersedere iussum. Neq; enim vlteriores apparatui inducias conuenire. Adeo autem in his quibus expeditionis societas mandata fuerat obsequendi solicitudo flagrabat, vt egregio alacritatis certamine constitutum sibi tempus aut implerent, aut prærcurrerent. Kanutum vero tametsi nuncium in Iutia recepisset, ingens locorũ distantia denunciati temporis angustijs permixta, Absalonici operis cõsortem existere non patiebatur: sex solas naues Fionia, quatuordecim Scania, cæteris tarditate impeditis, trãsmisit. Quarũ insignis paucitas culpę obnoxia videri potuisset, si non lõginquitatis patrocinio defenderetur. Pentecostalis festi peruigiliũ erat, quando prænominatum sinũ Absalonica classis inierat. Eadẽ die ne quid segnius aut cunctantius gereretur. Hythim insulã adnauigari curatur. Illic obuij Rugianorũ nuncij præstolandum docent, quoad sciri possit in quam Rugiani soli partem hostilis irruptio tenderet. Iam enim Bogislauo ad insulam Coztã Rugiæ prætentam esse peruentũ. Qui quanquã hostilia iam pene rura pulsaret, non temperauit sibi quo minus sobrietatem effusa crapulę licentia violaret. Tanta siquidem epularũ indulgentia exercitũ aluit ac corrupit, vt conuiium magis quàm bellum amplexus videretur. Verum Absalon nunciorũ monitis obsecutus, hisdem postera luce regressis, Bogislauumq; ex aduerso Strelæ insulę copias expositurum docentibus, quanquam crepusculum appetebat, correpto signo ocyssime littus scapha petiuit. Gubernatorum deinde collegio per præconẽ vocato, nuncioq; quambreuissimo militibus edito, ingenti cohortationis cura alacritate exercitum repleuit, quietem suam certis victoriæ imaginibus adumbratã præfatus. Nec alia militum responsio fuit, quàm pugnam se optare: quam si accipi-

ant

ant non dubitare quin vincant. Quem animorum calorem tum à longa vincendi consuetudine, tum etiam ab ingenita Danico sanguini virtute traxerunt: digni qui vocis suæ augurio non fallerentur. Igitur Absalon incertæ nauigationis metu quod fretum dubiæ profunditatis esset, diluculum præstolatus, cum inde soluturus esset, aliquandiu retentus est, arenis anchora altius insidente. Quo euenit, vt ab vniuersis infinitum procedendi ardorem gerentibus relinqueretur. Sed neque se ab exercitu præcedi indecens existimabat, à quo plus hortationi suæ quàm cunctationi tributum cernebat. Quem merito his gratulatum crediderim, qui iustæ celeritatis compotes, quàm violentæ moræ consortes existere maluerunt. Quam tarditatis iacturam impedimento solutus tanta remigij velocitate pensauit, vt penè prima nauigia occupauerit, dispendium casu inuectum præliandi cupidine redimendo. Hunc publicæ festinationis procursum missa à Rugianis ratis excepit, quæ aliquanto remissiore nauigatione vtendum doceret, quod Bogislzlauo adhuc insulam Coztam tenente incertus irruptionis locus existeret. Sed & Iarimarus secessum hostium domestico milite succinctus operiebatur. Igitur cessata impetus cura ad littus Dreccense diuertitur. Illic affertur hostes domum petisse, nuncijs incidentis fortè nebulæ errore deceptis. Idem nostris portum Darsinum petere iussis, Iarimari cum eis consiliaturi Rugiano exercitu vallatum pollicentur occursum. Quo loci adnauigato cum nec Iarimarus nec quisquam ex eius satellitibus repertus fuisset, placuit Nicolaum Falstricum quod Sclauicæ gentis linguam calleret, explorandi hostium secessus gratia ad Iarimarum dimitti.

Quo abeunte, cum Absalon diuinæ veneration vacaturus littus scapha petisset, repentino nuncio per Iarimari familiarem suscepto, cognoscit Pomeranicam aduentare classem, quæ si nebulæ densitas non obstaret, cerni cominus posset. Igitur reuocatis qui sacra gestabant, cupide concitatam classem obuiam hosti in altum direxit, armis non precibus Deo libamenta daturus. Quod enim sacrificij genus sceleſtorum nece diuinæ potentię iocundius existimemus? At Pomeranis non tam hostile solum repente inuadendi, quàm Rugianorum equitatum defendendi littoris studiosum varijs nauigationis ambagibus ludificandi propositum erat. Qui Danicam conspicati classem, Borwegium occidentalibus comitatum Sclauis auxilij sibi ferendi gratia aduentare credebant, aëris nubilo nostrarum nauium numerum habitúmque dignosci non patiente. Neque enim eorum animos subire poterat, Danos per tot locorum spacia à Sclauia remotos, intra tanti temporis angustias eo loco fuisse prouectos, speculatoribus ob nimiam securitatem excubandi officia parum curiosè gerentibus. Igitur Bogislzlauus Rugianam classem appelli ratus, a centum & quinquaginta myoparonibus circuiri desiderat, reliquam classem veluti in aciem iactis anchoris componit, naues quibus alimenta vehebantur aliquanto piraticis præstantiores, inter ipsas & continentem admouit, armatæ multitudinis speciem vacua lignorum effigie adumbraturus. Quo vultu deceptus Suno Bogislzlauum auxilia à Theutonibus mutuatum credebat. Rarescente tandem nebula, Absalon ab exiguis hostium scaphis præteriri se videns, ne omnes quidem tuto redituras per iocum aiebat. Igitur socijs ingenti cohortatione firmatis, in hostilem classem vt imperio ita ductu & nauigatione primus inuehitur. Monitus à Sunone ne eam perinde ac Germanicis roboratam auxilijs præpropera festinatione incesseret, sed temperato remigio militem armari iuberet, minime cunctandũ aiebat, præfatus eo iam loci conclusum hostem, vt nec bellum tutò conserere, nec fugam salubriter edere posset. Itaque nihil impedimento fore quo minus promptissimam sibi victoriam esset cessurus. Eo deinde monitus iterante milites, Absalonis munimenta corporibus aptare cœperunt, parte remigium continuante. Quorum apparatus nimiæ ac perseuerantis nebulæ beneficio hostem fallebat. At vbi propius ventum, Danorum iuuentus vt cunctationis ita silentij impatiens, sublatis vexillis non temperauit sibi quo minus concitatissimum præliandi ardorem celso cantilenæ genere prosequeretur. Absalonis quoq; signũ nunquã sine hostium fuga spectari solitũ,

Sclauis pariter & Danorum præsentiam prodidit & confligendi diffidentiam incussit. Igitur summa cum trepidatione sublatis anchoris cupide classem concitare cœperunt, quantum nauigationis longo temporis tractu protulerant, exiguo horarum spacio remensi. Innumeri quorum fugam aut nauium magnitudo, aut anchorarum sublatio retentabat, profundum petendo fluctibus quam ferro vitam finire maluerunt. Horum rates eodem pene temporis momento refertas ac vacuas conspicareris. Sed neque prolapsos natandi vsus seruare poterat, subiectarum voraginum eluuie mersorum corpora tenacius apprehendente. Quantas igitur timoris vires existimemus, qui quos nimio sui hausturepleuerit, ne proprio quidem spiritui parcere compellit? Decem & octo nauigia nimiæ multitudinis in se confugientis concursu rupta, receptis exitio fuere. Paucis hostem operiendi animus fuit. Illius vero etiam ridicula formido extitit, qui sociale exemplum perosus, nexo ex rudentibus laqueo suspendio se consumere, quàm hosti necandum præbere maluit. Quod factum complures prius admiratione, deinde ludibrio prosecuti, dulcedine spoliorum lentius hostibus inhærere cœperunt. Quibus Absalon præteritis, monitisq; ne prædam quàm hostem insequi mallent, septem solis nauibus totam pene fugacium classem insectari non destitit, illa nimirum fiducia vsus, qua toties sibi hostium terga aspicere contigit. Neque enim à palantibus in illa insequentium paucitate numerus, sed virtus æstimabatur. Centum ferme nauium turba maritimæ fugæ diffidentia terrestrem cœpit, perq; horridos ac desertos saltus inermis attonitaq; discursum habuit. Iarimarum quoq; hostilis sanguinis q̃ prædæ auidiorē cōcitatior tuendę patrię cupido reddiderat. Quinque ac triginta nauigijs vehementi remigio concitatis, hostilis Absalonem nobilitas deuitabat. Quæ cum septem sola sibi instare animaduerteret, fugam suam non solum tristem, sed etiam erubescendam rata, bis nauigationi perinde ac pugnam confectura laxamentum dare conata est. Igitur Absalon quanquam ab amicis cęterę classis aduentum opperiri rogaretur, nulla ex parte cessato remigio progredi perseuerauit, plus hostium trepidatione quàm sociorum auxilijs vtendum præfatus. Quo cognito Sclaui summa cum exanimatione metum rubori prætulerunt, nauesq; suas quo fugæ habiliores essent, arma & equos in profundum abijciendo, oneribus vacuefacere cœperunt. Acrius deinde conuerberato pelago, Penum amnem perseueratæ fugæ receptaculum habuerūt. Quos Absalon eousque vacuo cunctationis remigio insecutus, vespera ad socios qui prædæ incubuerant, reuertit. Cuius ne particeps quidem fore sustinuit, gloriam ad se, spolia ad milites redundare speciosum ducendo. Igitur ex quingentarum nauium numero quinque ac triginta delapsis, decem & octo confractis, cæteræ in Danorum potestatem ditionemq; cessere. Illa igitur dies quæ Absalonis claritate obcæcatam hostium classem aut fugam aut exitium pati coēgit, tot errores, tot maritima discrimina finiuit, Sialandicos portus ac Balticum fretum pestifero piratarum incursu vacuefecit, efferatam barbarorum sæuitiam iugi patientē reddidit, patriámque nostram vix libertate sua potientem Sclauiæ dominam effecit. Efficax & insuetatum genus victoriæ, quo cunctas hostium vires funditus euerti contigit. Eadem vt Sclauici cruoris plena extitit, ita nullum Danici impendium habuit. Quatuor duntaxat ex Rugianis sociorum an hostium telis perierint, incertum est. Die postero decem & octo Scanienſium nauigia superueniunt, quos Absalon non moræ eorum, sed voluntatis æstimatione facta, prædam cum victoribus communicare præcepit. Quid deinde Sclauis consilii foret cognosse cupiens, callidum speculationis genus amplexus, Bogislauum sub simulatione benignæ & veteris amicitiæ, perfidiæ per legatos arguendum curat, nimiámque regis offensam obnixo placationis studio præcurri postulat. Ad hæc Bogislauus tantam receptæ cladis dissimulationem agere sustinuit, vt laudata monitoris beneuolentia, facturum se quod ab ipso suadebatur promitteret. Tantum autem timoris Sclauorum vulgus ob pristinam fugam animis insitum habebat, vt etiam nouam visa rate quæ legatos vehebat ædere non erubesceret. Post hæc Absalon rerum à se gestarum famam illustri nuncio præcurri magnificum ratus,

Tacho-

Tachonem claro Fioniæ loco natũ cum tentorio Bugiſzlaui quod ei portiõis no mine ceſſerat, remitti curat, nec ſolum victoriã ſuã regi indicaturũ, ſed etiã fidem aſſertis celebrioris prædæ geſtamine facturũ. Per eundem quoq; ne Sclauicæ vires nouis copijs inſtruerentur, meſſis tempus expeditiõe præcurrendũ hortatur. Quem Kanutus Iutis Wibergica concione contractis, Abſalonici operis euentũ digno relationis officio repræſentare pręcepit, expeditiõis hortatore vſurus, quẽ nuncij autorem habuerat. Quo facto omniũ animis maximã educendæ claſſis cu ram ingenerauit. At Cæſar tantæ cladis nuncio recepto, poſtquã ſolo Abſalonis ductu rem geſtã cognouit, omnem non ſolũ obtinendæ Daniæ ſpem, verũetiam attentandæ fiduciã mente depoſuit, proprias vires damnando, quod alienis parũ efficaciter vſus fuiſſet. Eandem victoriã Abſalon ſuã apud Byzantium incredibili famæ velocitate vulgatã, poſtmodum ab equitibus ſuis tunc temporis in ea vrbe ſtipendia merentibus accepit. Sed nouæ frugis acceſſio labentibus hoſtiũ alimen tis opitulata eſt. Hiſdem ex regiæ profeſſionis cunctatione inſtruendorũ frumento vicorum perquàm vtile ſibi laxamentũ ſumentibus, huius expeditionis opinione perciti Walogaſtenſes, profundiora Peni amnis loca crebro lapide complẽt, mœnium ſuorum aditum nauigijs negaturi. Quas Abſalõ hiſdem aluei locis egerere cupiens, trahendæ ſecũ iuuentutis gratia corpus aquis immergere non dubi tauit, easq; lapidibus vacuefaciendo, quantũ tranſmittendæ claſſi ſatis erat, ad pa tientem nauigationis habitum perduxit, quanquam oppidani machinas ſuas tali temperamento libraſſent, vt eadem amnis ſpacia certis ictibus deſtinarent. Quib. obſtaculis tranſitu vacuefacto, facilem ſocijs petendæ circunſidendæq; vrbis adi tum ſtruxit. Obſidiõe cœpta refixi ſub aquis ſtipites, quorum frequentia oppidũ erat vallatum, nauigia propius appellere paſſi non ſunt. Hanc oppugnationis diffi cultatem, Danorũ iuuenes virtute ſuperare cupientes, non temperauere ſibi quo minus nauigijs à profundo remotis pedibus in aquam deſcenderent, vadaq; gradu luſtrarẽt. Contra oppidani in ſubiectos cominus tela iacere, nauigiaq; tormen tis procul inceſſere cœperunt. Quorum eximios iactus eludere quàm excipere ſa tius exiſtimares. Anceps incertumq; vitatu periculum erat, prægrandibus ſaxis in conſertas puppes cadentibus, in fuga ac declinatione cautoq; corporis motu, magis quàm in vlla armorum ope fruſtrandorum ictuum remedium ducebatur. Abſalon mediotenus nauigij progreſſus, egeſta tormentis robora crebra corporis declinatione fallebat. Quem Barbarus forte præſidio egreſſus, poſtquã ex clypei notis agnitum habuit, tormentorum præſidibus manu ſignificauit vt eum impeterẽt. Igitur interrogatus à quodam, an perſpectum haberet qualiter ipſum bar barus denotaret, curam ſui illius animo inſitam reſpondit: eodem ludibrio hoſtẽ & monitorẽ excipiendo. Intrepidi animi dixerim, in medio ſalutis diſcrimine pericula ſua iocoſo dicto proſequi voluiſſe. Adeo certiſſimũ fortitudinis & conſtan tiæ experimentũ neceſſitas tribuit. Expugnatione non procedente, noua adorien dæ vrbis ratio autore Esberno excogitata eſt. Siquidẽ inuſitatæ magnitudinis nauigium vatijs ignis nutrimẽtis cõpletum, ſolo ventorũ remigio, opportunis incendio mœnibus adigendũ curabant. Quod latẽti in vndis ſtipiti illiſum, ſine vlla oppidanorũ iactura proprię cum materiæ diſcrimine conflagrauit. Ita exigui ligni impedimento, ſpes ingentis victoriæ ſubruta eſt: hoſtiumq; ſalus paruulo fortunæ momento ab imminente exitio protecta. Poſt hęc Bogiſzlauus in dedecorum ſuorũ vltionẽ dolos mente ſcrutatus, Abſalonis colloquiũ ſimulata pacis affectationem per legatos poſcendo, cũ ingenti equitatu deſtinatũ conuentui locũ petiuit. Quẽ binis obuiã ſibi nauigijs venientẽ vt continentem aſcenderet obſecrauit, cõmodius in tẽtorio quàm naui colloquendũ præfatus. Obſequentẽ illũ nauigioq; excedere volentẽ, Erlingus quidã illuſtri inter Noricos loco natus, horridioris ſomni narratiõe retinuit, haud dubie fraudẽ ſenſurũ, ſi ſalutẽ ſuã hoſtibus crederet, auguratus. Cuius vocẽ Abſalon perinde ac diuinitus ſibi dati indicij miraculũ veneratus, vocanti ſe Bogiſzlauo, minorem a maiore peti non oportere perhibuit, pontificem duci dignitate pręſtare aſſeuerando. Ita hoſti impotentiã obijciendo, fraudis materiã ademit. Illẽ ſtricta naui ſpacia cauſatus, repentino diſceſſu falla-

Põtifex dignitate duci præfatus.

ciam detexit. Nam qui aliàs vltro nauigiũ Absalonis ingredi consueuit, nunc eius aditũ perinde ac fatale sibi domiciliũ, conscientiæ malignitate confusus, exhorruit. Gauisus Absalon quod salutem suã somnio quàm hosti credere pręoptasset, ad classem se recepit. Igitur cum exercitus noster cõmunem agrorũ vastationem vnius vrbis excidio anteponẽs, exhauriẽdæ prouinciæ consiliũ cepisset, inq; pontis pertranseundi angustijs hærerent, crebris oppidanorũ myoparonibus incessuntur. Qui mox sagittariorũ ab Absalone, regeq; missorum opera deturbati, infestãdę commodius classis gratia continenti se tradunt, nostrosq; clamore non minus q̃ iaculis insecuti, per summã ignauiæ exprobrationem perinde ac victis insultare cœperunt. Quo viso reliqui ex oppidanis passim correptis scaphis, mœnibus etiam quæ tuebantur desertis, in ripã se conferũt, relicta à Danis tabernacula prædaturi. Neq; enim regios equites, nauiũ transitum in terra operiẽtes, fumus tabernaculorum quæ Dani discedentes cremabant incendio ortus, ab ipsis discerni patiebatur. A quibus cum inopinati attonitiq; incursarẽtur, pars in scaphas refugit, pars armis in ripa, aut aquis in amne exitium habuit. Natantes à sagittarijs interfecti, nauigantes euersi, iustas irrisis à se Danis pœnas luerũt. Ita Walagostenses paulò ante falsis nostrorum opprobrijs exultantes, nunc ciuium in conspectu suo necatorũ miseranda fata luctu prosequebantur. Quod Oznenses fama experti, suburbanos penates ocyus cremandos curant, ne ijdem hõstes ad mœnium suorum incendium vterentur. Igitur dum vltro se tectis spoliant, ingens vrbi suę tutamentum conciliant, quo domibus tenuiores, hoc mœnibus tutiores effecti. Rus regi rapinæ extitit. Cuius sententia Absalon Iulinensium finium, arciumq; Zuinensiũ expugnationem peragere iussus, Esbernum fratrem Zuinam cum commissæ sibi classis parte præmittit, aut arces ipsas (si fors sineret) capturum, aut earum custodibus quoad se Iulino reuerti contigisset, fugam intercluſurum. Quorum ianuæ venienti Esberno vacuæ patuere, propugnatoribus nimirum aduentum hostium furtiuo discessu præcurrentibus. Ambæ itaque incendio datæ. Qua de re Absalon Iulinensium rebus absumptis, non solum longinqui fumi contemplatione, verumetiam sociorum inde reuertentium affirmatione certior factus, ad regem reuertit, lætatus se magna curarum parte fraterna opera liberatũ. Rex vicos necessarijs vsibus abundantes captu difficiles fore, vacuósque tantum à se penates exuri conspiciens, remeare constituit: qui nunc desertos inopesq; lares adortus fuerat, exacto messis tempore referta copijs horrea consumpturus. Cúmque non minus capiendarum vrbium difficultate, quàm vacuarum ædium incendio fatigatus, Zuynam amnem abducendæ expeditionis gratia petiuisset, exustarum arcium reliquias solo æquari iussit. Et vt omnia earundem monimenta demoliretur, etiam lapides fundamentis egestos in profundum iactandos curauit, quanquam ijdem recenti adhuc incendio torridi, vix se manu contingi paterentur: cuius laboris idem atque expeditionis finis extitit. Autumno domi peracto, duodenis millibus è Rugia contractis, Tribusanam prouinciam ditioni suæ parentem peragrat. Post hæc Cyrcipinensiũ deuexã paludem paternæ militiæ æmulatione permensus, ad vrbem Lubekincam peruenit. Qua præterita, dum Diminum petere statuisset, in abundantem potione vicum incidit, Barbaris illic tanta animorũ securitate conuiuantibus, vt nullum prorsus hostilis aduentus formidarent impetum. Quantam porro gentis illius intemperantiam pacis tempore extitisse putemus, quæ ne hoste quidem liminibus imminente, quo minus vires suas ebrietatis illecebris labefactaret, abstinuit? Itinere deinde nostrorũ ad naues conuerso, conuellendæ prædæ, spargendiq; passim incendij gratia, Danica manus disijcitur, mẽtem regis lõginquæ viæ dispendijs à petendi Dimini proposito retrahẽtibus. Qui triginta solos sibi comites asseruasse contentus, quum ingentem Barbarorum cohortem opimam villam tueri satellite nũciante cognosset, Absalonẽ suo forte vexillo coniunctum dimidio cum præsentium equitũ numero opem socijs laturum dimittit. Qui imperium amplexatus, obscurandę paucitatis gratia laxius militem incedere iubet, multitudinis instar confusam agminũ speciem præbiturus. Quinetiã vehementius irruptionẽ edere curæ habuit, quo plures insequi crederentur.

Iamq;

Iamq; Barbarorũ relicta villa, nemus tenentiũ manipulos cõtemplatus, quum se longe viribus inferiorem animaduerteret, ideoq; sociorũ augmentũ simulare vel let, cõplures ex suis furtim discedere monitos, aperte subinde redire iussit, idq; sæ penumero faciendum curauit. Igitur auxiliorũ incrementa sensim recipere existimatus, non suppetentibus qui prædã asportarent, contractas vici opes ingenti pyra constructa cremauit, flãmis insequendo quod vsui cõmodare non poterat, etiam ministris incendij tantę pecuniæ consumptionẽ animi dolore ꝓsequentib. Ea re gesta ad regẽ se retulit. Qui propter Lubynã pernoctatiõe habita, deletis vicorũ reliquijs, lacunã per quam arduo labore iter fecerat, ponte à Rugianis cõster
10 ni curat, eamq; nullo pene negocio remensus, cõscensis nauib. in proximũ Peno amni portũ peruenit. Vbi diutina ac vehementi tempestate vexatus, Bogislauũ pacem à se per legatos petentem repulit, quanquã iam labentibus alimentis expe ditionem remittere cogeretur. Exactis domi hybernis per Zuynã ingẽti cum expeditione regressus, Grotzuinã lacerat. Vbi cum Iarimarus hostium occursum ex eorum lituo deprehensum regi nunciandũ proponeret, idq; ab Absalone nisi ijdẽ in conspectũ venissent exequi vetaretur, ancipiti malo circunuentũ se dixit, qui si quid inopinati periculi se tacente socijs incidisset, incuriæ damnari, sin maturius indiciũ afferret, timiditatis notari posset, quũ & præpropero nuncio vti ꝓbrosum & nimis lento desidiosum videatur. Huius prouincię præda parũ satiatos Pomera
20 nicarũ opum fama sollicitat, quæ vt eximiæ, ita intactę prædicabantur. Nulli tam longinquã militiam ingredi difficile visum, quanq; perferendæ inediæ, peragendæq; solitudinis prædicebatur asperitas, ardore prædæ periculorum metũ leuãte. Imbellis populus vrbiumq; & armorũ inops regio ferebatur. Et quoniam nostris propositũ ex sententia cedere consueuerat, pergendi cupiditas animos inflãmabat. Nec fraudandos præsentibus votis fœlicia tot successuũ experimenta sponde bant. In qua profectione pabulo parũ suppetente non solum equos, verum etiã pe dites commeatibus onustos attritę labore vires deficiebant. Hæ res conuertendi itineris, repetendiq; classe Iulyni causam dedere. Illic rex adoriẽdi per insidias Ca
30 myni consiliũ nactus, apertæq; eius irruptioni latentem præferens, ductãtibus lo corũ peritis per ignotos ac deuios saltus, plenũ difficultatis iter corripuit. Errantibus cęteris Sialãdenses ac Scanienses Alexãdro (Absalonis hic sorore editus erat) primipilo vsi, Rugianisq; ducibus rectã & compendiariã viam secuti, Camynũ venere, occupassentq; nisi incolas incendio cautiores fecissent. Quorũ paucitatem Bogislauus, qui in eodẽ tunc forte oppido morã agebat, effusis manipulis irrumpendam ratus, Esberno qui talium rerũ experientia vsuq; callebat, quo lõgius hostes vrbe euocarentur, de industria cedendũ monente, diu terga præbentibus institit. Ad postremũ intellectis insidijs, effusius ruentes in aciẽ reuocat, tam improbum ab vrbe excessum amarę reprehensionis salebris insecutus. Quod videns Esbernus, abiecta fugæ simulatione, signa ad hostẽ reflexit, effecitq;, vt Bogislauus
40 caballo delapsus, pauido recursu intra vallũ confugeret, celeritate pedũ salutem quęsiturus, quam aut armis aut equi velocitate tueri fiduciã non habebat. Alexander illato portis signo, neminẽ à quo repelleretur inuenit, tãta trepidatione captis hostibus, vt ne vrbis suæ quidẽ limina ab iniuria vindicare præsumerent. Qua gloria satiati Danorũ iuuenes, paulatim in aciem se recipere, quàm vlterius vrbi insultare maluerunt, paucitatis æstimatione temeritatẽ domante. Hunc iuuentutis procursum rex reliquo milite subsecutus, ꝓpter muros equo descẽdit, expugnandæ vrbis habitũ curiosiore contẽplationis officio lustraturus. Quo residente vallumq; vexillis stipante, canonicæ vitę clerici contusi deiectiq; animi mœrorẽ pedum nuditate testantes, digesta rite processione cum insignibus suis adueniunt,
50 eoq; paternæ sanctitatis admonito, genib. nisi sacris ædibus abstinendũ precãtur, orando ne diuinos penates humanis incendio iungat, neq; ita in hostes sæuiat, vt publicæ religiõis domicilia consumat: tot suas, tot maiorũ virtutes teterrimo facinore corrupturus. Adiectũ ab ijs est, Bogislauũ regis tuto petendi gratia familiaris fidei patrocinium postulare. Responsum à Kanuto, homines sibi, non Deum incessendi propositũ esse, vt iustum, ita alienum sacrilegij bellũ gesturo. Quibus,

ſi ciuitatis partem extra municipij mœnia collocatã cremaret: eccleſias mortaliũ ædificijs permixtas cõmunibus flammis implicandas, dicentibus, iram precibus remiſit, hoſtilesq; lares inuiolatos relinquere, q̃ diuinos humanis iniuria æquare maluit. Illi vrbem precibus ſuis donatam gauiſi, gratijs pro beneficio actis, lætitia ouantes diſcedũt, eamq; ſacro concentus genere proſequũtur. Bogiſzlauus quod petebat obtento, quæſitũ Abſalonem die poſtero obuiã ſibi cum Iarimaro ventu rum precatur, eoſdem faciendæ cum rege pacis arbitros habiturus, quos tot collo quijs amicos expertus fuerat. Quem Abſalon fraude potius quàm ſyncera verbo rum fide agere ratus, negauit ſe intercedere, quo minus igni ꝓuincia vaſtaretur, ne tantũ iter expleſſe fraudi fuiſſe videatur. Ille nihil à ſe extra municipij mœnia poſſideri confeſſus, ſacris tantum domicilijs eorumq; gratia vicinis tectis abſtinẽ dum orauit. Quod beneficiũ eodem voto petitũ promiſſumq; eſt: reliquũ lucis auidiſſima vicorum vaſtatiõe conſumptũ. Bogiſzlauus præſentium periculorum impulſu promiſſum reuertendi tempore ſectatus, Abſalone & Iarimaro dextras præbentibus ad regem perducitur, ingentisq; ſummæ pecunia multæ nomine pa cta, non alias pacis cõditiones aſſequi potuit, quàm vt procurationẽ hactenus pa trimonij titulo adminiſtratã, è manu regis beneficij iure ſuſciperet, libertatemq; ſeruitute mutaret, Rugianę gentis tributũ obſequijs æquaturus. Hanc pactionem obſidibus firmandam pollicitus diſcedit, redeundi comitibus vtendo, quos adue niendi duces habuerat. Et ne veneratiõis expers dimitteretur, ab Abſalone conui uio cum amicis exceptus, potu nimis auide ſumpto adeo vires ſenſumq; exuit, vt vix mente conſtare putaretur. Qua intẽperantia amiſſæ maieſtatis oblitus, deflen dæ ſeruitutis loco, libertatis gaudia repſentauit. Igitur nimio ebrietatis hauſtu ob ſtupefactis neruis, naue egeſtus in tentorio collocatur, Abſalone 40. armatos ante tabernaculi fores excubare, nocturnæq; eius cuſtodiæ vacare iubente. Tanta ſiquidem apud Danos ſeruandorum hoſpitum ſedulitas exiſtere conſueuit, vt eorum ſaluti perinde ac propriæ ſtudere curaretur. Quo beneficio obligatus Bogiſzlauus, Sclauorum animos Danis applicando, debitam Abſalonis meritis gratiam retulit. Quibus cum pulſo mane ſomno oculos inſeruiſſet, Danorum fidẽ ex oſculatus, aptiſſimoq; laudationis genere proſequutus, plus voluptatis ſe ex perce pta Abſalonis humanitate, quàm amaritudinis ex patrię iactura ſentire dixit. Igitur ad locum in quo milites eum præſtolabantur relatus, poſtero die Sclauicæ no bilitatis proceribus adductis, genibus annixus cum coniuge ſe & liberis ad pedes regis ſuppliciter abiecit, veniamq; diutinæ rebellationis precatus, obſidibusq; ex parte datis, ex parte promiſſis, auitæ paternæq; procurationis ſummam beneficij loco ſuſcipere non erubuit, quod patrimonij erat, alienæ largitionis indulgentia poſſeſſurus. Rex principis huic neceſſitati miſeratiõe permotus, ſatis iam graues eum ſibi pœnas dediſſe exiſtimauit, regnumq; eius in munere quàm in vſu ſuo cõ ſtituere maluit, ac demum humi iacentem erexit. Nec minus regem materne erga Bogiſzlaui filios neceſſitudinis reſpectus tangebat. Ita Sclauicarum rerũ domi nium aſſiduis Waldemari laboribus negatum, paruulo Kanuti negotio contribu tum eſt, fœlici eius militia paternam ſupergrediente fortunam. Eodem temporis momento ingenti nubium volumine colliſo, per ſummã vtriuſq; gentis exanima tionem fracta crepuere tonitrua. Quo euentu Sclauici regni interitum portendi à coniecturarum ſagacibus exiſtimatum eſt. Bogiſzlaui quoq; animus conſtantiæ pignoribus refectus, accepti beneficij memoriam ad vltimũ vſq; vitæ tẽpus inui olabili fide exhibuit: adeò vt cum ſupremo morbo correptus in lectulo laberetur, adhibitos amicos iureiurando obſtringeret, eos cõiugem ſuam ac liberos ad regem perducturos, eumq; diuidendi inter pupillos regni autorem habituros, & quod is ſtatuiſſet perinde ac teſtamento cautum cuſtodituros: nihil ſe de Danorum fide hæſitare teſtatus, quorum egregia toties experimẽta ſuſceperit. Succurrebat enim illuſtri viro quantos fructus Rugianis conſtantis erga Danos amicitiæ cuſtodia peperiſſet.

Hactenus Saxo Grammaticus.

RE-

RERVM ET VERBORVM HISTORIÆ DANICÆ PRÆCIPVE MEMORABILIVM INDEX, IN QVO NVMERVS prior paginam, posterior versum demonstrat.

Macro & tenui petendus cibus, prouerb. 79. 4.
Ab odio ad gratiam facilis deflexus. 253. 7.
Ab Omi portus. 76. 5.
Absalon Danorum pontifex max. 1, 17. 165, 18. 169, 2. Roskyldensis episcopus creatus. 254. 4. Lundensis episcopus creatus. 319. 14. &c. Eiusdemq; in renuendo honore perseuerantia. ibid.
Absalon Waldemari coæuus & collacteus. 245. 13. Moriturum ex vulnere Kanutum sinu fouet. 249. 3.
Absalonis in Waldemaro rege obseruando fides. 273, 41. & ob eiusdem mortem luctus. 333, 6.
Absalonis clementia in hostes. 334, 50. in hostē fiducia. 293. 20. eloquentia. 254, 10. fortitudo, reiq; bellicæ ac piraticæ peritia. ibidem & 280, 34. moderatio & constantia. 301. 32. nandi peritia. 309. 9.
Absalonis matris & sororis virile facinus. 250. 21.
Absalonis ligna per ociū cædēdi mos. 264. 19.
Absalonis silentio se insidijs extricātis æstus. 249. 6.
Accusatoribus difficiles præbere aures debere reges. 215. 6.
Achonis pestifera Suenoni temeritas. 251. 46.
Aciei instructio. 125. 16.
Adaldagus Bremensis pōtifex max. 171. 31.
Adelstenus. 163. 27. Angliæ rex. 173, 9.
Adulfus Holsatiorum princeps. 271, 31. 274 24. cæsus. 278. 14.
Adulterij pœna. 77. 26. &c.
AEgritudo animi ab opinione. 73. 41.
AEgritudini amica solitudo. 39. 7.
AEgritudinem animi optime negocio discuti. 154. 20.
Africani munificentiæ, cum Danorum liberalitate, in quendam poetastrum collata, comparatio. 87. 38.
Agapitus Romanorum pontifex. 161. 8.
Aggo. 143. 55.
Aggonus. 61. 30.
Agnerus, eiusdemq; nuptiæ, & cū Biarcone monomachia. 27. 45. occiditur. 28, 7. 33, 16.
Agnerus Regneri filius. 153. 36. Angliæ rex. 160. 6. eiusdem interitus: ibid.
Agon Lundensium præfectus. 325, 13.
Agriculturæ laus. 101. 13.
Ako. 297. 10. Tubbonis filius. 333, 36.
Ala omnis trecentorum numero. 78. 52.
Alaburgum. 232. 49.
Albia fluuius. 2, 27. 60, 24. 95, 37.
Albus fons. 325, 46.
Alexander Galliæ præfectus. 267. 38. antistes. 273. 40.
Alexthathia oppidum. 184. 41.
Alfrex. 82. 8. eiusq; forma. 114. 30. virtus. ibid. 42. &c.
Alf dux, & Aggi filius .129. 34.
Algerus. 114. 30. Alli. 204. 1.
Aliuldæ cum Frothone nuptiæ. 74. 54. &c.
Aliuldæ verecundia. 114. 34. & nuptiarum eius ambiendarum periculum. ibid. ex puella in piratam: ibid. 115. 1. &c. tandem in Alf iuuenis complexum data. ibid. 28.
Alkillus pugil. 142. 34.
Alricus Sueonū rex. 81. 39. &c. occisus. ibid.
Altercandi certamen. 71. 1.
Aluerus Sueonum rex. 121, 27. 122, 29. moritur. 125. 11.
Aluon. 83. 48.
Aluina Olauo adamata, à Kanuto compressa. 174, 18. 177, 24.
Amantium studijs nihil perseuerantia efficacius. 40. 41.
Ambar. 129, 33.
Amicitia non nisi inter æquales firma. 37. 38.
Amica in aduersis collocutio, ægritudinem minuit. ibid. 47.
Amicorum aperta & fida admonitio grato animo accipienda. 256. 45.
Amicorū par, Asuicus & Asmundus. 82. 25.
Amlethus. 44. 49. eiusdem simulata insania. 45. 8. &c. eam secretò apud matrē aperit. 46, 53. 47. 1, &c. & in cōcione. 50, 30.
Amlethus rex constitutus. 51. 5. eius gesta. ibid. & 52. &c.
Amlethi ex insidijs sese eripientis mirum facinus. 47. 30.
Amlethi post sublatum Fennonē incensamq; regiam concio. 49. 47.
Amletho insidiæ à socero structæ. 53. 16. ad

quem opprimendum occisorum militum aciem instruit. ibid. 30.
Amlethi mors. 54. 10.
Amoris multiplices aditus. 36. 2. &c. vis, 175. 2.
Amoribus alienis non injiciendas esse manus. 9. 4.
Amundus Noruagiæ rex. 89. 49. ob filiam Fridleuo negatam cæsus. 91. 27.
Amundus Simonis filius. 276. 11.
Anundus pirata oppressus. 111. 7.
Anachus pontifex. 185. 24.
Anasial rupes. 94. 49.
Ancillaris ingenij indicia. 48. 26.
Andreæ Lunden. archiepiscopi laus. 1. 30. &c.
Anduanus rex. 12, 5. 20, 9. &c.
Angantir. 84. 28.
Angaterus Helgæ sponsus. 99. 8 &c. à Starcathero cæsus. 100. 27.
Angli Danis superiores. 183. 32.
Angul rex, vnde Anglica gens. 5. 10.
Anguium educandarum pernicioſum studiū. 153. 7 &c.
Animus militum, non numerus spectandus. 242. 50.
Animorum immortalitas. 148. 6.
Annonæ caritas. 143. 11 &c.
Annonæ penuria ex anni siccitate cæliq; intemperie. 201. 25.
Ansgarius. 160. 40.
Apophthegma. 6. 21.
Apribigneuus. 177. 37.
Archonensis insula. 289. 21.
Archonensibus tradita religionis nostræ sacra. 224, 55. 225, 1. &c.
Archos vrbs. 224. 31.
Arcon oppidum. 256, 1. 261, 5. prouincia incendio vastata. 279. 19.
Arkon vrbs obsessa. 287. 12. eiusdemq; situs. ibid. delubrum & simulacrum Ioui simile. 287, 27.
Arkonensium pacis conditiones. 291. 4.
Armbiorn. 88. 2.
Arna Lundense hospitium. 226. 46.
Arna vallis. 240. 4.
Arnfastus. 195. 22.
Arnfasti ob violatum Wilhelmi sepulchrum interitus. ibid. 38.
Arngrimus pugil. 83. 49. eiusdē proles. 84. 26
Arnoldus Tylensis. 284. 6.
Arthorius rex. 80. 47.
Aruaroddus pirata, eiusq; robur. 84. 30.
Arusium. 171. 39. Arusia. 219. 55.
Arusiensis ciuitas piratarum incursibus afflicta. 254. 26,
Arij dux. 129. 49.
Asa puella. 98. 52.
Ascerus Lundensis episcopus. 202, 11. 204, 18 217. 19. moritur. 225. 42.
Ascerus Roskildensis antistes. 230. 4. eiusdem obitus. 253. 34.
Aslacis remigis virtus. 186. 41.
Asmoda prouincia. 280. 35.
Asmundus. 13. 1. iaculo transfixus. ibidem 36.
Asmundus. 82. 9. eiusq; in amicitia fides. ibid. 26.
Asmundus Haldani filius à quo Noruagiæ regum origo. 112. 38.
Asmundus Wicarorum rex per Haraldum regno restitutus. 124. 50.
Astradus nauclerus 263, 26.
Astutiæ viribus prævalentis exēplū. 60, 4. &c
Asum oppidum. 177, 14
Asuitus. 82, 28.
Atislus. 26, 11. Vrsam Roluonis matrem vxorem ducit. ibid, 29.
Atisli tenacitas. ibid. obitus. 26, 18. 38, 45.
Atislus Suetiæ rex. 54, 35. eiusdemq; magnanimitas. ibid. cum Folcone duellum. 55, 25. cædes. 57, 25. &c.
Atsle. 129, 44. Attalus pugil. 5, 55.
Atylo Scanicus. 134, 8.
Auaco pontifex. 177, 49.
Auaritiæ mulcta, opum subtractio. 26, 32.
Auaritiæ nutrimentum maximum diuitiæ. 210, 37.
Audacia probum iuuat. 78, 38.
Audacium stipendia olim quanta fuerint. 77, 41.
Auilda. 6, 7.
Aulicorum obscœna petulantia. 63, 33.
Aulis quàm tugurijs minus inesse securitatis. 5, 37.
Auonis sagittarij cum Biornone pugna. 91. 27
Aurum Britannorum insequentium metu à Danis militibus per arua sparsum. 23, 41. mox vero recuperatum. 30, 1. &c.
Aurum in cibis contra venena. 25, 13.
Aurum in triuijs positum. 83, 32.
Aurum liquatum & clam cauatis baculis infusum. 48, 34
Autonis interitus. 203, 48.
Axelstada villa. 120, 18.

Balderus semideus. 36, 18. 37, 32.
Balderi corpus ferro inuulnerabile. 36, 28.
Balderi & Hotheri pugna. 37, 48.
Balderi fuga. 138, 11. rursusq; victoria. ibid. 24. mors. 39, 47.
Balderi in Nannam inter lauandum conspectam amor. 36, 7.

Balderi obſonium augendis viribus paratum. 39,19. ab Hothero intercipitur. ibid.
Barca prouincia. 259,12.
Barchonis virtus. 232.26.
Bari, ſiue Barri. 129,44. ibid. 51.
Beda Theologus Anglus. 5,24.
Begathus. 129,43. Belgi. ibidē.
Bellatorum genera quatuor. 55,41.
Bellicus apparatus ingens. 76,40.
Bella armis non mendaciȝs meditāda. 284,49
Bemonus pirata, eiuſdemq; ſobrietas. 39,49.
Benedictus Kanuti regis frater occiditur. 199. 42.
Benedicti militis in Waldemarum inſidiæ. 313,41.
Berhgar vates. 130,45.
Berginum oppidum. 275,49.
Bernardus chriſtianiſmi apud Noruagos doctor. 171,38. eius corpus Lundini. ibid, 51.
Bernardus Octauiani legatus. 271,6.
Bernardus Razaburgenſis. 307,34.
Bero pirata. 134,49. cæſus. ibid.
Beronis interitus ſit mentio. 203,40.
Beſſus, eiuſdemq; cum Gro regina colloquium. 6,49. 7,1. &c.
Beyo. 223,14.
Biarbi. 84,27.
Biarco ab Hialtone ad arma excitatus. 29,45. moram virtute penſat. 34,22.
Biarconis cum Agnero monomachia. 27,53. cuius etiam occiſi vxorem ducit. ibid, 45.
Beargrammi. 110,37.
Biarmi. 84,20. Biarmi incantatores, eorumq; defectio. 156,14.
Bibacis aſtus. 143,19.
Bicco captiuitate elapſus. 141,16. mira fraude Iarmericum vlciſcitur. ibid. 17. &c.
Bildi & Broddi fuga. 60,45
Bilwiſus. 118,9.
Biorno rex. 81,13. 88,3. eiuſdem equus. ibid. & canis, ibid. 14. fortitudo. 89,11.
Biornonis cum Auone pugna. 91,27.
Biorn rex. 144,43.
Biornus à ferrei lateris firmitate cognominatus. 155,18. eius apud Sueones autoritas. 157,4. Noruagiæ præficitur. 158,15.
Biornus Regneri filius. 153,35. eiuſdem accepto paternæ mortis nuncio ſtupor. 159,19.
Birgerus Suetiæ dux. 200,10. & Gothiæ præfectus. 314,32.
Birwillus rex. 128,39.
Biſuntium oppidum. 273,49.
Blacconis in Kanutum perfidia. 198,44. &c. ſacrilegium & parricidium. 199.33. eiuſdem cædes. ibid.
Blacmanni à Danis deuicti. 115,13.
Blekingia. 3,11. 124,39. 144,17.
Blend. 129,36.
Blod deus. 15,18.
Bo Brami filius. 129,46.
Bocheror. 142,55.
Bogiſzlauus Sclauiæ dux appellatur. 331,30.
bellum in Daniam ſuſcipit. 335,49.
Bogiſzlaui diſciplina militaris corrupta. 336, 48. in Abſalonem inſidiæ. 339,44.
Boka inſula. 305,32.
Bokiſzlauus Polonorum præſes. 212,45
Bolwiſus, eiusq; ſerendarum inimicitiarum ſtudium. 116,39. &c.
Borcarus. 115.31
Borlunda vicus. 254,18.
Borrhy. 129,43.
Borwegius dux. 337,30.
Botilda 201,17. eiuſdem mirum patientiæ exemplum. 203,20. &c.
Bous Othini ex Rinda filius. 42,12. moritur ex vulnere. ibid. 28.
Brache. 9,9. Bracus. 74,27
Brammeſii. 306,15
Brander. 84,27, Brandmica, 129,37.
Bratiutus. ibid. 47
Brema. 271,45. 272,22.
Britannia Anglia dicta. 5,20. &c
Britanni equitis ad regem oratio. 24,11.
Britanni à mortuis fugati, quos viuos oppreſſe rant. 53,38.
Britannorum circa prædam auiditas. 24,36.
Britannorum metu aurum Dani milites per arua ſparſum fuga deſerunt. 23,41. mox iterum potiuntur. ibid, 18.
Britannorum regis aula. 85,19.
Brodder. 84,27.
Broderus inceſti crimine accuſatus. 141,40. ſuſpendio liberatur. ibid. 52. patri in regno ſuccedit. 142,30,
Broderi & Buchi in Geruthi regiā ingreſſus. 146,45. contra lamias pugna. 147,36.
Bruno. 128,49. 233,34. eiuſdem captiuitas. ibid.
Buchi incontinentiæ ſuæ pœnas dat. 147,42.
Bugiſclauus. 259,29.
Bugonis cædes. 61,54.
Bugiſlacus Pomeraniæ ſatrapa. 270,10. 283, 20. Henrico Saxonum principi ſe dedit. 302,23.
Buriſius. 252,46. 271,29. 280,29.
Buriſius regnum affectat. 281,17. regi Waldemaro inſidiatur. ibid. 18. cuſtodiæ traditur. 282,35.
Buthlus. 138,48. Danorum rex. 140,42.

Byarmenſes, eorumq; ars magica. 16,10.
Byarmiæ regionis deſcriptio. 145,32.
Byrcæ oppidum. 171,50.
Bythinga fluuius. 227,39.
Byzantium præcipua quondam deorum ſedes. 41,34.

CAdauera ſpoliandi impietas interdicta. 79,20.
Calamitas omnis conſcios vitat. 37,20.
Calamitatibus alienis compati, pium. 45,36.
Calamitoſis morte nihil iucundius. 72,10. &c
Calmarna oppidum. 131,21.
Caminum oppidum. 299,10. 310,41. eiuſdem irrita obſidio. 322,2.
Canis & accipiter domini ſui ad ſuppliciũ adacti innocentiam teſtantur. 142,7.
Canis miræ ferocitatis. 88,41. 91,21.
Canis regis loco datus. 121,5.
Cantoris in acie hoſtis perfidia milites incitantis obequitatio. 252,6
Caprinus lacus. 187,26.
Captiuitas ſummæ turpitudinis apud Danos. 197,23. 203,50.
Carolus. 194,17.
Cautibus olim inſcripta maiorum geſta. 2,4.
Ceruiſiæ vſus interdictus. 143,14
Charitas eximia, quæ vita etiam defunctos comitatur. 26,8.
Chriſti natiuitas toto orbe pacato. 86,28.
Chriſtiernus Iutus. 219,40. capitur. 220,21
Chriſtiernus Maguntinenſis epiſcopus. 269,50.
Chriſtiernus inſidias in Waldemarum confeſſus exilio tantum mulctatur. 317,29.
Chriſtophorus Waldemari filius. 278,40, 281,46.
Cirinus ſagittarius. 300,7.
Citharœdus inſignis, affectus hominum pro voto inflectens. 204,46.
Clarauallis cœnobium. 310,27.
Claſſis ingens apparatus. 78,47.
Colla rupes. 167,23.
Collerus Noruagiæ rex. 44,5. duello cum Horwendillo congreſſus occidit. ibid. 42.
Collo pirata. 17,21.
Colo laqueo quem alij parauerat conſumptus. 69,8.
Colubrorum tabe paratum roboris epulũ. 39, 41. 65,23.
Confeſſio, abſente ſacerdote, concioni circunſtanti facta. 275,19.
Coniugalis fidei exemplum. 118,49
Coniugales leges à Frothone latæ. 77,30.
Connubium expetenti quæ æſtimanda. 52,44
Connubia è longinquis petita non expedire regibus. 62,19
Connubia quondam venalia. 139,31.
Connubia venalia firmiora. 79,33.
Connubijs illuſtrium fœminarũ qui olim idonei exiſtimati. 62,43.
Conogardia. 81,12.
Conradus Cæſar. 236,29.
Conradus Saxonum ſatrapa. 237,59.
Conſcientiæ ſtimuli. 314,28.
Conſilium bonum omni munere præſtantius. 78,6.
Conſilij mali cõſultoribus ſuis peſſimi, exemplum. 148,14.
Conſilio, tametſi exilis id autor ediderit, obſequendum. 148,31.
Conſtantini interitus. 249,2.
Continentia præcipuum fortitudinis vinculũ. 93,50.
Conuiuia propter annonæ caritatem interdicta. 143,11,
Coruorum aciem obuolitantium augurium. 252,4.
Cozcoua vrbs cremata. 278,25.
Cozcoæ vrbis incendium. 321,23
Cozta inſula. 305,2. 336,45.
Craca. 64,46. maga. 65,34. poſt Regnerum Braco nupta. 73,47.
Criſztoa inſula. 299,8.
Curetia. 81,49.
Curetum defectio. 42,31.
Curi piratæ. 295,42.
Cuſonis filia Helgoni, Hothero impetrante, vxor data. 37,29
Cypria tellus cadauerum humanorum quondã impatiens. 207,2.

DAEmon in furui animalis figura. 292,30.
Dæmonis verticibus imminentis ſpectrum, victoriæ auſpicium. 278,11.
Dæmonum præſtigioſa miracula. 294,20
Dagus. 81,14.
Dahar cognomento Grenski. 130,10.
Dalemanus Lundoniæ præfectus opprimitur. 24,54.
Dal Sclauiæ dux. 126,1.
Dan primus, rex. 5,10. ſecundus ab Vffone patre degener. 59,42. tertius. 60,21.
Dania cultoribus deſtituta ſylueſtris effecta. 144,23.
Dania ſero & religiõe & literis initiata. 1,10
Daniæ Chriſtianam religionem primus Haraldus intulit. 158,47. mox Ericus 160,40 & Frotho. 161,4. &c.
Daniæ pro religione Chriſtiana reſtituta dæmonum ſuperſtitio. 158,51. 168,32.

Daniæ ſitus. 2,40.
Danica fortitudo. 261,16. 264,48. & virtus natiua 337,1.
Danicæ ſcribendæ hiſtoriæ occaſio. 1,11.
Danicū imperium à Suetico ſubactū. 133,11.
Danici equitis mira virtus 261.54.
Danicarum fœminarum illuſtrium quondam ſtudium. 115.34
Danicorum regum diſſidium. 129,3. &c.
Dani Britannos ſparſo auro deſertaq; præda fugiunt. 23,41. mox inſequuntur. 24,47.
Dani miraculo Popponis commoti ad Chriſtianam religionem adjciunt animum. 171, 11. & deinceps.
Dani ſiccandis certatim calicibus aſſueti. 85, 39.
Danorum circa res ſuas tradendas ſtudium. 2,4. eorundemq; virtus obſcriptorum penuriam obſcurior. 59,40.
Danorum de Ruthenis victoria. 79,31.
Danorum & Sueonum pugna atrox. 131,40 &c. & vtrinque accepta clades. 132,15. item cum Sclauis nauale prælium. 337,30. fuga & clades. ibid.
Danorum exercitus cæli intemperie ac peſtilentia corruptus. 165,22.
Danorum gloria. 86,11. origo. 5,10. inferendis aduerſis inuictus animus. 166,2.
Danorum ingens fames. 14,10. & ob inediam migratio. 144,8.
Danorum ieiunia quæ, & quando inſtituta. 209,30.
Danorū luxus. 24,26. à Theutonibus. 102,50.
Danorum quondam diÿ, atque hinc feriarum ſeries appellata. 93,9.
Danorum ſtructura, agger. 245,47.
Danis creber piraticæ vſus. 168,53.
Darſinus portus. 337,17.
Daxon cum Dian fratre victus. 156,1
Daxonis de Withſerco victoria. 157,27. captiuitas. 158,2. in patriam reſtitutio. ibidem,8.
Dearum ſylueſtrium antrum. 36,12. 39,12.
Decor validiſſimum libidinis irritamentum. 36,4.
Defenſionis partes priores, quàm accuſationis inſtrumenta, conſtitutæ. 193,33
Demina vrbs. 278,22.
Deſidia ſummum in proco vitium. 62,45.
Dian Helleſponticus rex. 155,54.
Diſlina vrbs. 158,31. ſiue Duſlina. 162,36.
Diÿ ab hominibus fugati. 38,6.
Diluculo humanis corporibus plus ineſſe ſtuporis & grauedinis. 66,15.
Dimarus. 81,14
Diminum oppidum. 285,25. eiuſdem obſidio & incendium. 321,16. &c
Diſcendo doctrina proficit. 70,30
Diuinus timor humano præferendus. 271,25
Diuitiæ maximū auaritiæ nutrimētū. 210,37.
Dobici interitus. 248,53.
Dobinum oppidum. 229,52
Dofrinæ alpes. 134,36
Dolor ex contumelia acerrimus. 190,33.
Domborus Rugienſium legatus. 262,10. 266, 27. mira eius oratio pacem petentis. ibidē.
Dornonis Curetum regis oratio. 19,8.
Draco theſauri cuſtos occiditur. 92,1
Draconis effigie nauigium. 263,10.
Dreccenſe littus. 337,16
Drota ſpecu incluſa. 120,51. Gunnaro iuncta. 121,4. mox verò Borcaro. ibid. 30.
Duc Sclauiæ dux. 126,1. 129,49
Duci nihil gloria magis placeat. 72,17.
Duci maxima ſæpe virtus ex milite pendet. 30,24.
Ducum priſcorum fortitudo, ſuo, non vniuerſorum diſcrimine ſpectata. 17,22
Dudo hiſtoricus. 5,14
Duelli leges. 57,2.
Duellorum apud Danos conſuetudo abrogata. 171,28.
Dufflina vrbs. 162,36
Duſlinum Hyberniæ oppidum captum. 61,2.
Duna vrbs. 12,5
Dunuarthus Regneri filius. 153,34. cæſus. 158 19.
Duos cum vno decernere vt iniquum, ita probroſum etiam veteribus exiſtimatum. 57, 3. 58,26.
Dyſia pons. 329,9. 333,36.
Dythmerchorum latrocinia. 210,11
Dyurſa ſiue Dyurſo fluuius. 186,22. 250,36. 282,36.

EBbo. 143.55.
Ebbo pirata cæſus. 113,2.
Ebbonis in cauendo periculū ſolertia. 139,10.
Ebbo Skialmonis filius. 230,33. eius obitus. ibid. 35.
Edebrandus. 162,22.
Eduardus Anglorum rex. 170,28. 173,39. eius interitus. 174,33.
Eduardus Suenonis ex Imma filius. 182,47. occiſus. 183,45.
Edulium lautius, pro monſtro. 102,47.
Egentium regem Olo ſe eſſe ſimulat. 128,25.
Eginus pontifex. 185,35. 88,23. 196,4.
Egtherus rex. 84,19
Egtherus Fynnenſis ab Haldano oppreſſus. 112,18.

Eidorus, siue Eydorus fluuius. 2,47. 38,54.
Eydora. 165,4.
Ekeho oppidum. 271,40.
Eliuus Slesuicensis, eiusdemq; perfidia. 208, 47.209,26.210,6.
Elli. 129,33.132,3.
Enari sagittarij monstrosum robur. 172,40.
Ennignupus, 160,51.
Ensis porrigendi mos. 35,15.
Episcopi seueritas in regem. 189,44.
Epponis cædes. 165,8.
Equus miræ pernicitatis. 88,3.
Equi instante pugna pastu arcendi. 251,35.
Equorum æneorum machinæ in hostes actæ. 156,4.
Erandus rex. 128,40.
Ericus ob prudens consilium, diserti nomen sortitus. 64,38.74,32. *idem ferinarum vocum interpres.* 65,43. *eiusdem in opprimendo Oddone, & occultandis armentorũ cadaueribus stratagema.* 66.11
Erici cum Greppo colloquium. 67,10. *&c. & pugna.* 69,46. *item cum Frothone. ibidem.* 11. *&c. & cum Gotuara altercandi certamen,* 70,54. 71,1. *&c. item certamen aliud cum Westmaro ibid. & cum Olimaro colloquium.* 78,17
Erici eloquentia & virtus. 71,13. *eiusdem ad Frothonem mortus cupidum oratio.* 72,41.
Ericus ex insidijs liberatus. 75,36. *ex vulnere pene mortuus.* 81,54. *moxq; rex constitutus.* 82,4
Ericus primus eius nominis Sueticorum rex. 81,43. *eius mors.* 87.40
Ericus Regneri filius. 155,12. *Suetiæ præfectus.* 158,14. 160,10.
Ericus rex Danorũ ex impio christianus effectus. 160,40. *eiusdem cum Guthormo cædes.* ibid. 28.
Ericus Haquini filius, eiusdemq; patientiæ & fortitudinis exemplum. 226,5. *alius Iurisij filius.* 298,22. *item alius Olaui filius.* 164, 40.
Ericus secundus eius nominis, Olaui frater, rex. 202,36. *Bonus cognominatus. ibid.* 41 *eius virtutes. ibid.* 43. *libido.* 203,12.
Ericus tertius, eiusq; interitus. 226,2. *& gestorum enumeratio. ibid. huius filius rex declaratus.* 226,24. *moriturus cuculla induitur.* 228,33.
Ericus Suetiæ rex. 110,5. 170,10. *ab Haldano captus.* 110,48.
Ericus satellitum insomnio seruatus. 225,23. *Sialandia pulsus.* ibidẽ.
Erlingar Colubræ cognomento. 130.40
Erlingus. 276,43. 283,2.
Erlingus Noricus. 339,50.
Esa puella, eiusq; in contemplandis hospitibus studium. 127.32.
Esbernus Absalonis frater. 272,7. *&c*
Esberni virtus. 261,36. 296,11
Esbiorn. 88,2.
Esgeri interitus. 295,52.
Eskillus pugil. 142,34,
Eskillus Roskildensis pontifex. 225.30. *ab Olauo victus prælio.* 226,53. *&c. ab Erico suspendio mulctatus.* 227,30.
Eskillus pontifex maximus. 255,33. *eiusdem captiuitas.* 229,30. *item praua de Waldemaro suspicio.* 268,6.
Eskilli equitis mira currendi agilitas. 280,52 *eiusdem senis virtus.* 306,47.
Eskilli in Clarauallis cœnobiũ migratio. 311, 26.318,6.320,35.
Eskilli ex mœrore debilitata vox. 314,34. *episcopatus abdicatio.* 317,48.
Esros. 269,14.
Estones piratæ. 295,41.
Estritha. 174,39. 177,28.
Ethas cognemus. 126,26.
Ethla Kanuto in vxorem iuncta. 194,16.
Ethlerus. 233,17
Eugenius pontifex maximus 238,17.
Execratio suprema pontificum vltio. 229,36.
Exules patriæ hostes qua pœna mulctandi. 77 35.
Eyr dux. 25,37.

F*Abrorum distantia.* 98,34.
Facete dictum. 28,24.
Falu oppidum. 130,39.
Falstria. 169,6. 203,49. 242,16.
Falstrenses bello petiti à Waldemaro. 254,34.
Famis ingentis exemplum. 80,9.
Famis necessitate imbellis ætas tollenda edicitur. 144,1.
Fanningi cædes. 60,54.
Fastus infortunio domatur. 324,42.
Fœminarum Danicarum illustrium quõdam studium. 115,35.
Fengo Iutiæ præfectus. 44,2. *eiusdem parricidium & incestus.* ibid. 51. 45,1.
Fengonis dignus factis suis interitus. 49,11.
Feonia. 109,34.
Feriarum nomina à deorum ac planetarũ vocabulis. 93,10.
Festinationis comes obliuio. 222,7.
Fiallerus Scaniæ præfectus. 53,48.
Fides nulla fidei vacuo præstanda. 67,26.
Fiducia securiore nihil in re militari perniciosius. 20,17

Filiorum à parentibus degeneratio. 59,42
Filiorum affectus plerunque paternis ingenijs respondere. 218,45
Finnia. 82,5.
Finni magicæ artis periti. 84,1.&c.
Finnorum agilitas. 156,32. fuga. ibid. 49. in peragrandis niualibus saltibus ars. 167,22.
Finnensium perfida in Karolum & Kanutum hospitalitas. 239,40.
Fionia insula. 3,1. Fioniæ accepta ab Sclauis clades. 246,3.
Fionicus. 129,33.
Floccus Ruthenorum princeps. 94,6.
Fœderis iciendi ritus apud priscos. 11,29. & Barbaros, calculo scilicet in vndas coniecto 262,26.
Folco. 55,5. eiusdemq; virtus. ib.
Folradi cædes. 234,10.
Fons in Islandia exhalatione in lapideam duritiem quæcunq; attigit commutans. 2,43. item aquæ venenatæ alius. 3,6.
Formæ & virtutis collatio. 116,12.
Fortitudo ex desperatione. 296,36.
Fortitudo hoc probabilior, quo minus cum stoliditate consentit. 264,43,
Fortitudinis præcipuum genus patientia. 27,3
Fortitudinis p̃cipuũ vinculũ cõtinentia 93,50
Fortitudini tributa olim nobilitas. 77,42.
Fortunæ beneficium non indignãter excipiendum. 24,21.
Fortunæ varietas. 40,55. 41,1. &c.
Fortunæ non nimis fidendum. 159,19.
Fota sinus. 222,30.
Fraccus pirata. 93,47.
Frederici Cæsaris fallax fides. 335,12.
Frederici Slesuicẽsiũ antistitis interitus. 323,9
Fresia à Danis subacta. 23,3.
Fresia minor. 2,50.
Fresiæ prouinciæ situs. 150,54. 151,1. &c. eidemq; imposita ab Danis pensio. ibid.
Fresonum latrocinia. 210,10.
Fridleuus cognomento Celer, rex. 60,28.
Fridleuus secundus. 87,44. eiusdẽ stratagema 88,33. rex cõstituitur. 89,15. &c. eiusdem obfiliã negatã cũ Amundo pugna. 91,18. in occidẽdo dracõe virtus. ib. 45. & 92,1. &c.
Fridleuus Regneri filius. 152,48. Noruagiæ & Orcadibus præficitur. 154,35.
Fridericus Romanorum imperator. 236,21
Frig dea, siue Frigga. 144,19. 34,39. Othini vxor, eiusdemq; auaritia & libido. 12,25.
Frigoris ingentis descriptio. 239,2.
Frisia minor, Danicarum quoq; partium. 234, 55. eiusq; descriptio. 235,1.
Frisonum fuga ac cædes. ibid. 39.
Fro deus. 15,16. 130,50. deorũ satrapa. 38,33.
Fro Suetiæ rex. 152,25
Froconis mors, atq; hinc prodigium. 89,50.
Frocasund sinus. 90,13.
Frogeri cædes. 60,18
Frogertha. 90,2. Fridleuo nupta. 91,45.
Frosta prouincia. 334,55.
Frotho rex. 18,27. occiso dracone thesaurum aufert. 19,6. eiusdem in Fresiam expeditio & Britanniam. 23,5. astutia militaris. 20,3. 23,54. 27,25. pugnandi fortitudo & alacritas. 25,2. interitus. ib. 15.
Frothonis stratagema. 19,28. 32,26.
Frotho secundus, rex, cognomento Vegetus, siue starke. 59,51. eiusdem in opprimendo Frogero astus. ibid. & 60,1. &c.
Frotho tertius, septenarius adhuc regno præficitur. 61,23. eius nuptiæ. 63,28, 76,9. aquis periturus ab Erico seruatur. 72,1.
Frothonis cum Erico colloquium. 69,9. &c. in Sclauiam expeditio. 76,26. leges post victos Sclauos latæ. 77,15, expeditio in Noruagiam. ibid. 54.
Frothonis maiestas amplissima. 80,38.
Frothonis oratio mortem exoptantis. 72,9 interitus. 86,49. epitaphium. 87,28.
Frothonis petra. 83,29.
Frotho quartus Fridleui filius ex Frogertha. 92,21. eius liberalitas. ibid. mors. 95,52. 103,18.
Frotho Olaui filius. 108,40. eiusdem parricidiũ. ibid. atrocitas. 109,1. &c. mors. ib. 51
Frotho sextus, rex. 161,4. Christianis sacris initiatus. ibid. 6.
Frowinus Slesuicensium præfectus. 54,31. ab Atisio cæsus. ibid. 48, & 57,28
Fulbertus sacerdos. 173,11.
Furori dandam deliberationem. 68,15.
Furti lex. 77,22. 83,45.
Fyn. 60,33.

Galandus Romanorum legatus. 322,36.
Gambaruc fœminæ prudens consilium. 144,4.
Gardhstang. 129,35
Gegathus. 94,30.
Gelati maris locus in pugnam electus. 276,24.
Gelderi Saxoniæ regis cum Hothero pugna. 36 51. deditio. 37,11. mors. 38,11
Gerardus Esronensis prælatus. 268,55.
Gerbiorn. 88,2
Gerbrandus pontifex. 171,33. 177,49.
Gerithaslauus dux. 175,20
Geritus. 42,21.
Germania ante Daniam Christianis sacris initiata. 149,27.

Eesti Kirjanduse Raamatukogu Toompea 1088.

Germanorum schisma sub Alexandro pontifice & Cæsare Frederico pacatum. 322,24. 299,20

Gero.

Gerwendillus. 44,2.

Gerutha. ibid. 49. eiusdem mansuetudo. 45,1. à filio Amletho corrupta. 46,53.

Geruthi sedes Gormoni scrutatæ. 144,49.

Geruthi regia. 146,35. præstigijs plena. ibid. & 147.1. &c.

Gesta maiorum saxis olim insculpta. 2,4.

Gestiblindus Gothorum rex. 81,39.

Getunga pons. 329,27.

Geuarus rex. 26,12. 36,1. diuinandi peritia clarus. ibid. 53. eius mors. 42,16.

Gigantes 9,15. olim in Dania. 4,30.

Glaciei moles ac vis miranda in Islandia. 3. 47

Glaciem calcandi modus. 115,8

Gladij capulum tangendi ritus. 35,14

Gleba exigua ingentes sæpe currus arietat, prouerbium. 39,28

Glomerus. 80,40.

Gloria nihil magis duci placeat. 72,15.

Glumerus suspendio ob depilatum ærarium mulctatus. 13,50. &c.

Glumstorp vicus. 227,32.

Gnemerus Falstricus. 259,8.

Gnepia. 129,35. 132,5.

Gnizli. 129,51.

Godefridus rex. 150,26.

Godewinus Anglorum satrapa. 177,31. 182 55. &c.

Golerdal vallis. 152,44.

Gormo rex. 144,44. naturæ scrutandæ studiosus. ibid. eiusdem ad Oceani fines nauigatio ibid. interitus. 149,55

Gormo secundus, rex, Anglicus cognomine. 161,13.

Gormo tertius, rex, in Christianos iniquior. ibid. 26. eiusdem somnium. 162,4. mors. 163,2.

Gorus promontorium. 281,6.

Gotarus Sueonum rex. 138. 49, oppressus. 140,47.

Gotari cædes. 78,10,

Goter. 129,48.

Gotherus siue Goterus Noruagiæ rex. 64,18. 70,17.

Gothia: 3,10. 4,11.

Gothorum regnum Danico subiectũ. 142,43.

Goto Noruagiæ rex. 150,2. eiusdemq; liberalitas. ibid.

Gotricus rex. 150,7. eiusdem fortitudo & munificentia. ibid. 26. idem & Godefridus dictus. ibid. eius interitus. 151,27.

Gotwaræ petulans loquacitas. 61,34. ibid. 42 cum Erico altercandi certamen. 71,3. &c.

Gram Skioldi filius, eiusdemq; indoles. 6,23. & cum Gro regina colloquium. 7,18. &c.

Gram regis iam, quæ gesta. 8,19. à Suibdagero opprimitur. 9,4.

Granduicus maris terminus. 4,19.

Graza. 292,5.

Gregorij summæ apud Ingonẽ autoritatis viri interitus. 276,24.

Greptrium Westmari filiorum vno partu editorum nomen. 61,44.

Greppi maioris libido. 63,51. eloquentia, 67. 4. cum Erico colloquium. ibid. & 68.

Grimildæ erga fratres perfidia. 216,26.

Grimmo athleta. 112,21. ab Olone oppressus. 126,17. 127,1. &c.

Gripp gigas. 7,22.

Gro reginæ cum Besso & Gram colloquium. 6, 44. 7,1. &c,

Gro virgo & pirata. 115,31.

Grubbus. 91,43. Grytha. 5,30.

Gudacra fluuius. 265,20.

Guemmerus proditor. 305,17.

Gulæ pertinacia ac libido. 143,16.

Gunbiorn. 88,2.

Guncellinus Swerini præfectus. 278,4. 307, 26, &c.

Gunholmi cædes. 60,44.

Gunnilda Henrico Imperatori nupta. 177,27

Gunnildæ in maritum amor. 13,41.

Gunno Thelemarchiæ dux, & latro, ab Olone oppressus. 126,25. 127,25.

Gunno. 139,45. 140,16. eiusdem cum Iarmerico forte facinus. ibid. 23

Gunnonis mors. 42,18

Gunthionus. 81,43.

Gunuara Erico dono data: 70,47. atq; vnà aufugiens. 71,45. desponsata. 73.30. Gunwaræ forma, ob quã & Speciosa dicta. 61,49. eiusdẽ in maritũ fides. 74,9. &c. 75,1. &c.

Gunnarus. 120,42. eiusdem de Normanis victoria. 121,4. cædes. ibid. 30

Gutha. 188,16. eiusdem repudium. ibid. castitas. ibid.

Guthmundus Geruthi frater. 145,43. eius in excipiendis hospitibus illiciendisq; studium ibid. & 146,1. &c.

Guthormus. 9,8. rex constituitur. ibid. 30.

Guthormus Haraldi filius, eiusq; cum Erico rege cædes. 160,28

Guthormus Sueonum dux. 274,30.

Guthruna venefica. 142,21

Guthscalcus Sclauicus. 177,36. 184,27. 188,11

Guthscalcus. 284,37. eiusdẽq; industria. 285, 12. Abscalõis apud Sclauos interpres, 291,52

Gutlandia. 12,14.144,18.
Gyritha. 164,41.
Gyuritha Alfi filia. 115,28. 120,36. 122,4. Haldano nupta. 124,21
HAco Daniæ tyrannus. 94,11
Haco pirata. 114,28. 116,2. 120,8. Fastu osus cognomine. ibid. 15. prostratus. 129, 44, 132,6.
Haconis bustum. 120,30.
Haconis & Syualdi cædes mutua. ibid.
Hadingus. 9,8. eius in Suetiam expeditio. 14, 7. calliditas. ibidem. & 61,4. calamitas. 15 12. viuus ad inferos raptus. ibid. 34,
Hadingus ab insidijs filij & generi sese explicat 18,7. mox suspendio seipsum conficit. ibid.
Hadingi somnium. 17,23.
Hadingi duo. 84,28.
Hagbarthus. 116,7 & ibid. 47.
Hagbarthi in ambiẽdo Sygnes amore astutia & constantia. 117,18. & 118,4. &c. ob hoc ipsum damnatio. 118,15
Hagbyr pagus. 119,27.
Haldanus rex, & eiusdẽ in fratres impietas. 25,20.
Haldanus Sueonum rex. 87,41.
Haldanus secundus, eiusq; cum Haquino pugile certamen. 110,1. &c. item cum Syualdo. 111,23. & cum Egthero ac Grimmone. 112 15. item cum Ebbone. ibid. 39.
Haldanus tertius, Bocari filius. 121,34. Gurithæ procus. 122,8. duodecim pugiles quercu obtruncat ibid. 25. ob miram virtutem fortissimus appellatus, ib. 43. Gurithæ tandẽ nuptijs potitur. 142. 21. occiditur. ibid. 26.
Hallandia. 3,9. Halogia. 37,32
Hamæ athlethæ cum Starcathero lucta. 95,19
Hamæ regis cædes. 154,32.
Hamburgensium pontificium ad Bremenses translatum. 254,22.
Hamunda. 63,30. eius cum Grep adulterium. ibid: 51. 69,37.
Hamundus regulus. 115,49.
Hamundi sinus, portus. 116,48.
Handuuanus rex. 12,11. 20,19
Haneuus regulus. 92,27. eius cædes: 95,36
Hano. 120,39. Fioniæ rex. 121,48. vnde prouerb. In proprio plus lare Hano valet. ibid.
Hanofra vicus. 98,37.
Hanunda Rollero nupta. 73,35.
Haphlius gigas. 9,10.
Haquinus rex. 15,19.
Haquinus Iutus. 215,26.
Haquinus Osteni filius. 276,15. occiditur. ib. 47.
Haquinus pugil & præstigiator. 110,7.
Haquini educationem suscipit Adelstenus. 163,35. mirus eiusdem interitus. 164,35.
Haquini in filios suos impietas, ad aram eos mactantis. 165,40.
Haraldus. 40,2.
Haraldus à fratre cæsus. 108,55 &c.
Haraldi & Haldani occulta educatio. 109,9.
Haraldus qui & Hyldetan, secundus eius nominis rex. 115,32. 124,32. eiꝰ fortitudo & continentia. 125,5. pugnãdi successus. ib. 35.
Haraldi contra Ringonẽ expeditio. 129,2. ad suos oratio. 131,40. clades accepta. 132,45.
Haraldus & luminibus & mente captus. 131 30. occiditur propria claua. 132,52.
Haraldus tertius, rex. 144,43.
Haraldus quartus, rex. 161,24
Haraldus Iutorum & Scanorum rex. 153,36 denuo in fugam actus. 154,42. Danico regno occupato fugatus. 158,54. Maguntiæ Christianus sacris initiatur. ibid. 45.
Haraldus Gormonis filius, quintus eius nominis rex. 163,19. eius mors. 165,27. 168, 32.
Haraldus Gunnildæ filius. 164,4. cædis eius mira vindicta. ibid. 30.
Haraldus Godouini filius Angliæ rex. 183,25
Haraldus Sancti Olaui frater ad bestias damnatus. 185,50. eiusdem in conficiendo dracone virtus. 186,5. Norwagiæ rex. 187,35 eius mors. ibidem
Haraldus Sueuonis filius rex. 193,3. eiusdem nimia in plebem licentia. ibid. 39. Superstitio, iustitiaq; exequendæ neglectus. ib. 49.
Haraldus prædæ & latrocinijs sese tradit. 211 52. eiusdem auaritia & libido. 218,40
Haraldus sup laminis cadẽtib. incedit. 221,37
Haraldus rex declaratus, mox à fratre Erico obtruncatur. 224,18.
Haraldi mira celeritas, equorũ etiã cursus præuertentis. ibidem, 26. & e puppi ad proram per exerta remorũ capita decurrẽtis. ib. 30.
Haraldi Hybernienſis interitus. 274,45
Haraldus quidam obtusæ mentis vir, in Suetiæ regem accersitus. 334,3.
Haralstadium oppidum. 216,12
Haricus. 171,33. siue Henricus. 173,11
Harthbeni proceritas & libido. 112,3. insania ibid. 8, mors. ibid.
Harthgrepa Hadingum ad amorem sui prouocat. 9,37
Harthgrepæ magica ars. 10,7. interitus. 11, 25.
Hartuicus Bremorum antistes. 228,16. 242, 46. 244,50.
Hartuicus Hamburgensis episcopus. 233,20.

Hatherus regulus. 112,21. 120,40. apud Iutiam cæsus. 124,47
Hatheri laus. 136,3.
Hatica prouincia. 130,11.
Hedelradus Anglorum rex. 161,37. eius interitus. 163,22
Hegle mons perpetuo ardens. 3,43.
Helga fluuius. 176,40.
Helga Starcatheri virtute fabro erepta. 96, 28. 98,1. &c. eiusdemq; in eundem gratitudo. 101,33.
Helgo. 25,25. Hundingi interemptor cognominatus. ibid. 36. & Hothbrodi. 35,46.
Helgonis libido sæuitiæ æqua. 25,31. incestus. cum filia. ibid. 33. obitus. ibid.
Helgonis infantia. 37,19. eidemq; Cusonis filia Hotheri facundia impetrata. ibid.
Helgonis in Helgam amor. 99,54. & ob eandē cum Angatero pugna. ibid. 6. &c. item improbum in Starcatherum facinus. 101,31.
Helgo Asloensis pontifex. 297,23.
Helias Ripensis episcopus. 232,36
Hellas Hamæ regis filius. 154,32. siue Hamonis 158,24. eius captiui interitus. 159,53.
Hellespontici Regnero subacti. 155,49.
Helsingia. 14,45. siue Helsynga oppidū. 224. 26. siue Helsingum. 328,23.
Heluuis. 115,48. & 116. 1. &c.
Henningus rex. 151,35. eius virtus. 322,13.
Henricus Imperator 177,21.
Henricus Guthskalci ex Siritha filius. 208,42. eius fuga. 211,1. cum Kanuto reconciliatio ibid. obitus. ibid. 51.
Henricus Razaburgensis. 278,4. 285. 18
Henricus Saxoniæ princeps. 245,17. 272, 40. eiusdem peruicax ingenium. 311,13.
Henricus Saxonum rex. 8,33. in nuptijs occisus. 9,1.
Henrici pontificis bibacitas. 185,33. interitus 222,53.
Henrici Suenonis filij vxor profuga recipitur. 212,30.
Herborthi equitis virtus. 309,3.
Herletus. 42,20.
Hermanni ob violatum Wilhelmi sepulchrū pœna & interitus. 195,34.
Hermuthrudæ Scotiæ reginæ atrox pudicitia. 52,1. in Amlethum amor. ibid. 34. in eundem perfidia. 54,9.
Herothus Sueonum rex. 153,2.
Herri. 204,1.
Herwig portus. 119,42. 120,14.
Hesbernus. 157,7. eius perfidia. ibid. cædes. ibid.
Hesbernus. 245,29. eiusdem in Waldemarū fides. 249. 45. virtus. 251,2.
Hesca dux. 25,37.
Hestia. 80,48.
Hetha virilis animi fœmina. 130,2. 131,39. Sialandiæ præfecta. 133,10
Hetmarchia. 82,8
Heuindus. 164,14. eius interitus. ibid.
Hialli & Scati fratrum petulātia. 127,29. & ab ijsdem cæsis vici nomen. 128,16.
Hialmerus pirata. 84,30.
Hialtonis virtus, relicto scorto ad vindicandum regem festinantis. 29,5. & Biarconē excitantis. ibid.
Hialtus. 129,38.
Hiarnonis æstus & interitus. 89,30.
Hiarnus Danicæ linguæ poeta. 87,24
Hiarrandi. 84,27.
Hiarthuuar. 84,28.
Hiarthuari mors. 35,24. 38,37.
Hiarthuuarus Sculdam ducit. 28,19. Roluonem ex insidys opprimit, ib. 50
Hilda. 80,26. eiusdē in maritū amor. 81. 37.
Hildigerus. 121. 24. eiusdem virtus & pietas: 122,32. morituri ad fratrem oratio. ibid. 47. 123,1. &c.
Hildigisleus Sygnes puellæ procus. 115,53
Hiorthuar. 84,28.
Hithinus rex. 80,35. ab Hogino cæsus. 81,31.
Hithinsø insula. ibid. 35.
Hoginus regulus. 80,26. eiusdémque cædes. ibid.
Hogrinius Suetiæ tyrannus. 59,48.
Holingardia. 81,11
Holtsatia. 267,50.
Holtsatij bello petiti. 231,11.
Holtsatiorum latrocinia. 210,10
Homerus Ripensium antistes. 322,41. 332,7.
Homothus Suetiæ tyrannus. 59,48. 134,8.
Horta pensionis colligendæ quæstor. 198,18.
Hortar. 129,43.
Horwendillus à fratre Fengone cæsus. 44,51. 49,54.
Horwendillus Iutiæ præfectus. 44. 2. eiusdēq; cum Collero monomachia. ibid. 35. &c.
Hospitum recipiendorum vsus qualis antiquitus. 62,35
Hostem subiugare quàm necare præstantius. 291,45.
Hothbrodus. 26,16. *ab Helgone oppressus.* 35, 46.
Hothbroddus Effrenis cognomine. 130,11.
Hotherus. 26,12. *Roluoni & Hiarthuuaro succedit.* 35,46. *eiusdē adhuc iuuenis virtutes.* ibid.

Hotheri & Balderi de Nannæ cõnubio pugna. 37. 30. item de regni ſumma bellum. 38, 53.
Hotherus Baldero ſuperior. 38, 8. mox ab eodẽ vincitur, & regno pellitur. ibidem
Hotherus Danorum & Suetiæ rex conſtitutus. ibid. 43. in exilium vltro abit. 39, 3. citharœdum ſe apud nymphas ſimulat. ibid. inſecabili veſte ab ijſdem donatur. 39, 13. 36, 12.
Hotheri mira in cogendo ſatyro Mimingo & Nannæ ſibi coniugio parando virtus. 36, 12 &c.
Hotherus Gelderi victor. 36, 49. 37, 1. &c.
Hotheri eloquentia Cuſonis filia Helgoni impetrata. 37, 24.
Hotherus pugna cum Boo congreſſus occiditur 42, 21. &c.
Hotheri vicus. 38, 55.
Hotilda. 240, 38.
Hugletus rex. 59, 48. 94, 17. eiuſdem ſordes. ib. occiditur. ibid. 37.
Huiruillus rex. 128, 40. Huyrwillus Hollãdiæ princeps. 60, 28. eius cædes. ibid. 54.
Hulyuimmenſis portus. 284, 3.
Humanæ hoſtiæ mactari apud Vpſalam à Frone inſtitutæ. 38, 35.
Humblus rex. 5, 12.
Hun Hunnorum rex, eiuſdemq; in Danos expeditio. 78, 35. 80, 9. occiditur. 81, 5
Hundingus cæſus. 124, 48
Hundingus rex. 16, 23. eius mors. 18, 17. à Frothone duello victus. 25, 4.
Hundingus Syrici Saxoniæ regis filius occiſus. 25, 34.
Hunorum militum fames. 80, 9. ſtrages. 81, 1.
Hurna. 306, 44.
Huuytingus gladius. 122, 28
Hybernienſium fuga. 94, 38
Hybernorum belligerantium aſtutia. 86, 1.
Hyldeta cognomen Haraldi. 124, 45.
Hythis inſula. 258, 8. 260, 21. 324, 15.
Hyuarus fluuius. 32, 23.

Iacobus Colonis filius legatus. 229, 1.
Ialto. 27, 47. Vrſi ſanguinem bibit ad concilianduм ſibi robur. 28, 12.
Ialunga villa. 55, 5.
Iani ſimile ſimulacrum in Arkonis vrbis delubro. 287, 28.
Iarimarus. 293, 8.
Iarizlauus. 187, 50.
Iarmericus. 139, 28. eius indoles. 139, 54. & apud Sclauorum regem declarata virtus. 140, 41.
Iarmericus Danorum rex conſtitutus. ibidem Suetia potitur. ibid. 47. eiuſdem in exigendis ſupplicijs atrocitas. 141, 19. interitus. 142, 29.
Iarmerici arx. 139, 47. expugnata. ibid, 15
Iather prouincia. 120, 44.
Ictus cauendi inferendiq; ratio. 126, 15
Ictus ictui opponendus, prouerb. 78, 3
Ictu manus haud diu exhilaratur, prouerbiũ. 69, 51.
Illoga capta. 285, 10. Imica regio. 130, 12
Imma Roberti filia. 174, 38. 182, 47.
Impuberem aut inualidũ occidere, turpe quondam. 81, 32.
Ingeldus. 125, 12. Moritur. 129, 9.
Ingellus. 27, 45. 33, 17.
Ingellus rex, luxuriæ mancipium. 95, 54. 96, 1. &c. 104, 4. eius filij. 96, 20. 108, 34.
Ingelli regis hebetudo. 101, 50. impietas. 104, 11. excitata per Starcatherum virtus. 107, 1
Ingenio nihil non cedere. 17, 54.
Ingertha S. Kanuti filia. 200, 8.
Ingiburga. 208, 32.
Ingritha. ibid. 215, 51.
Ingimarus. 228, 7. eius interitus. 228, 33.
Ingo Suetiæ rex, eiuſq; ambitio. 125, 11. ab Haraldo oppreſſus. ibid.
Ingo Nicolai filius ab equo excuſſus, protritúsque. 208, 22.
Ingo Haraldi filius. 274, 52. quomodo gibboſus. 275, 44. eiuſdem interitus. 276, 34.
Inſidias affinitatis nomine optime tegi. 18, 1.
Inſolentiæ exitus ludibrium. 307, 11,
Inſolentiam ſucceſſus exaſperat. 38, 11. ac nutrit. 43, 29.
Inteſtina ſæpe odia externo hoſte conciliari. 64, 25.
Inuidiam nulla re magis quàm impari pariũ virtute excitari. 213, 15.
Inuidiam virtute vincere difficile. 92, 34.
Ioannis Abbatis temeraria medicinæ profeſſio. 332, 38.
Ioannis Suerconis filij libido. 237, 42.
Iſaaci ſacerdotis ob violatum Wilhelmi ſepulcrum interitus. 195, 22.
Iſlandia, glacialis inſula. 3, 32.
Iſmarus Sclauorum rex. 139, 44.
Iſora portus Sialandiæ. 38, 42.
Iſulfus. 61, 30.
Itinera ieiunijs officere. 55, 15.
Iuarus. 153, 35. eiuſdem virtus ſeptennis adhuc. ibid.
Iuarus regno præfectus. 158, 1. pulſus. ibid. 24. eiuſdem inconcuſſus mœrore ad nunciatum patris interitum animus. 159, 19.
Iuari aſtus in petendo arui ſpacio. ibid. 39.

Iuari Iutiæ præfecti pietas. 157,24.
Iuarus Angliæ rex & Daniæ. 159,54.
Iulij Cæsaris in gestorum suorum scriptorem liberalitas. 87,35.
Iulinensium finium expugnatio. 340,22.
Iulinum oppidum. 164,43. 168,39. 204,2.
Iulini oppidi incendium. 321,15.
Iura quàm thura præstare Deo gratius. 193,53
Iurisius. 250,40.
Iuritha Alsi filia. 120,36. eius castimonia. 122,4.
Iuritha Fridleui pellex Auoni nupta. 92,5.
Iustitiæ cultus inani superstitione Deo gratior 193,53.
Iutia. 2,50. 25,37. 86,18.
Iutiæ prædia ex Othincari pontificis liberalitate. 173,13
Iutiæ regnum. 247,30.
Iuti gens, victa. 152,48.
Iuuenum virtute virgines incalescunt. 36,2.

K Alunda vrbs. 284,31
S. Kanuti regis laus. 2,31.
Kanutus Erici filius rex. 160,44
Kanutus Gormonis filius. 162,19. eiusdem interitus. ibid. 37.
Kanutus Sueñois ex Syritha filius. 172,35. secundus eius nominis rex. 174,5. sex regnorum possessor. 177,16. eiusdē in milites proteruos animaduersio. 178,29. leges militares. ibid. & 179, &c. eiusdē humilitas militibus transgressa lege puniendum sese offerentis. 180,39. &c. mors. 182,1
Kanutus Priszlaui filius. 303,19.
Kanutus tertius, rex. 182,32.
S. Kanutus Suenonis secūdi fil. 191,40. eiusq; adhuc iuuenis gesta. ib. rex. 194,9. religionis ac iuris excolendi studium. ib. 22. interitus 199,50. miracula. 200,2. sanctitas. ib.
Kanuti ducis fortitudo & prudentia. 210,55. 211,1 &c. uirtutis fulgor, atq; hinc inuidia. 213,54. interitus. 216,50.
Kanutus Henr. filius. 231,5. eiusdem exilium. 232,49. fuga. 234,3.
Kanuto duci Sialandia ac Fionia in regni portionem delegata. 247,34. idem ex insidijs Suenonis perfidi occisus. 248,40.
Kanutus Buryssij frater. 253,1.
Kanutus Waldemari ex Sophia filius. 274,28. regios honores sortitus. 281,10. septem annos natus rex consecratur. 297,22. in carcerē conijcitur. 324,29. regnum suscipit. 333,29.
Karentia vrbs. 292,5. eiusdem situs. 293,13.
Karentinorum deditio. ibid. 6. & simulacra eorum succisa. ibid. 49, 294,1. &c.
Karlholftus, & eius interitus 164,24.
Karlshefni tolerantia ac robur, 166,8.
Karolus Francorum rex, Germaniæ victor, & eidem christianæ religionis autor. 150,39.
Karolus Gothiæ præfectus. 109,51.
Karolus Imperator in Saxonibus à Regnero victus. 154,52. 155,1. &c.
Karolus Suerconis ex Vlwilda filius. 221,12.
Karolus Suetorum rex. 274,31. 276,55.
Karolus Waldemari filius ex vulnere moritur. 324,32.
Kazimarus. 259,29. 279,10
Kazimarus Pomeranorum dux. 290,35.
Kazimarus Henrico Saxonum principi se dedit. 302,23.
Kazimarus Sclauiæ dux dictus. 331,30
Keltherus Suetiæ dux. 157,2.
Keruilli cædes. 86,7.
Keto. 54,33. &c. Slesuicensium præfectus. 55. 36. eiusdem cum Athislo duellum. 56,53. 57,1. &c.
Konon sagittarius. 300,7.
Krage Danica lingua pro trunco. 28,26.
Krempinus fluuius. 283,22
Kyalbiensis sinus. 304,54

L Alandia. 221,46. 242,16.
Lambertus scriba. 316,24.
Lamiarū incursus in Geruthi regia. 147,1. &c
Lamina cādēte ꝓbata pudicitia. 294,54. &c.
Landora littus. 227,8. 255,42
Laneus campus. 153,43.
Lappia. 81,13
Lathgertha virilis animi fœmina. 152,33.
Regnero nupta ibid. 43. eiusdem in Regnerum fides. 153,50. in maritum vero ob insolentiam facinus. ibid.
Lefdagus. 171,33. 173,11
Leges à Frothone rege latæ, 77,15. 79,20. 83. 34.
Leges militares & ciuiles à Kanuto latæ. 178. 29. &c.
Lenno ab Starcathero cæsus. 135,23.
Lentitij. 282,14.
Leo pontifex Romanus. 150,46.
Leotarus. 128,20. cæsus. ibid. 32.
Ler dux. 25,37.
Leso insula. 66,40.
Lethra oppidum regalis olim sedes. 28,48. 34, 40.
Lethrica arx. 26,15.
Lethrica palus. 269,10.
Libertati quenq; quàm necessitudini plus debere. 28,45.
Libido periculi contemptrix. 116,55.
Libidinis dissolutæ & vagæ exemplum. 61,50. 62,1. &c. 63,31.

Lignum compactile epistolæ & sigilli vim obtinens. 320,52
Liserus pirata. 11,28,
Literæ ligno insculptæ, celebre quondam charactarum genus. 47, 28.
Literarum suauitati præferenda morum ingenuitas. 188,54
Litharfulki prouincia. 74,48.
Litium componendarum lex. 154,28.
Littogus. 292.5.
Liuo Othonienſium pontifex. 273.47
Liuor post fata cesset. 44,26.
Liuorem conspicuis maxime rebus insultare. 1,32.
Liutcha. 208,47.
Liuthusium. 232,49.
Lodouicus Imperator Haraldo fidei christianæ suscipiendæ autor. 158,39.
Lodouicus Thuringiæ princeps. 274,22.
Logthi gladius. 128,14.
Lokerus Curetum tyrannus. 11,32.
Longobardi à Danis. 144,19.
Lotharius Cæsar. 219,24.
Lothbrog. 153,30
Lotherus rex. 5,40.
Loui gladius. 28,11.
Lubeca. 314.30
Lubecum. 330,28
Lucas Britannus scriba. 296,45
Lumina fluuius. 334,14.
Lundenſium contra principes suos motus. 325 11.
Lundenses sub Gerbrando pontifice christianismum amplexi. 171,48.
Lundonia oppidum. 24,25.
Luxus & crapulæ exemplũ. 95,54. 96,1. &c.
Lym Fiorthinum fretum. 152,53.
Lymicus sinus. 2,48.165,3
Lyubinum captum. 303,16.
Lyusingus gladius. 150,12.

Magi gigantum victores. 9,18.
Magicæ artis efficacia. 109,23.
Magnus Henrici Cæsaris ex Gunnilda filius. 177,33.
Magnus rex. 182, 29. eiusdem cum Suenone pugna. 184,22. Bonus cognominatus. ibid.
Magnus Sueonum rex constitutus. 212.38. Christianæ religiõis studioſus. 213,25. eius in Kanutum perfidia. 216,1. item in Ericũ. 221,41. interitus. 222,37.
Magnus captus oculisq; ac genitalibus priuatus. 225,5. ex regeq; monachus factus. ibid 13. regno restituitur. 274,47. eiusdẽ obitus. 275,39.
Magni interitus. 245,9.
Magnus captus & impunitate & honoribus donatur. 252,37.
Magnus Noruagienſium rex. 208,16.
Magnus Erici filius ab Absalone seruatus, Waldemaro regi insidias struit. 311,46. perfidiæ accusatur. 314,53. & læsæ maiestatis 316,46. insidias à se Waldemaro structas confessus veniam meretur. 317,23. capitur. 321,2. carceri mandatur. ibidem, 9.
Magni Saxonis filij in prælio spectata fides. 222,55.
Magnus Scanienſis. 295,54.
Mallei Iouiales. 213,21
Malorum post ærumnas meminisse iucundũ. 248,26.
Mansueta insula. 263,44. 304,8.
Manumissionũ rescindendarum lex. 6,14.
Marcus pontifex. 173,11
Margretha Ingonis Sueonum regis filia. 208, 21. eiusdem circa religionem studium. ib. 40. obitus. 213,45.
Marquardus. 306,44.
Masconis Rugiani elegãs dictũ. 270,20. &c.
Masnet insula. 253.14.
Mathematicorum quõdam triplex genus. 9, 13.
Matrimonij postulatio propria voce olim fieri solita. 37,18
Matullus Fin Marchiæ dux. 156,30.
Medicorum imperita fiducia. 332,44.
Melbricus bello à Frothone petitus. 23,7.
Melbrici Hyberniæ regis cædes. 158,30
Mendacium priscis Heroibus inuisum. 56,28
Mendacio fides apud principes. 45,5.
Mercatorum portus, vicus. 282,38.
Mercurius Iouis filius. 93,19.
Mersburgum oppidum. 236,36
Methis vrbs. 272. 32.
Metu quàm ferro vicisse satius. 24,35
Meuillus. 80,35.
Milda fluuius. 235,19.
Miles spectatæ virtutis titulo dignus quis. 79,36.
Militiæ primæ omen. 76,49.
Militaris roboris neruos ocio hebetari, negocio intendi. 336,17
Militares leges à Kanuto rege latæ. 178,23.
Militum stipendiariæ leges. 79,36.
Militum animus non numerus spectandus. 251,42.
Militum multitudo fatiganda potius quàm sustinenda. 251,44.
Millenarius. 78,50
Mimingus satyrus. 36,30. Hotheri virtute oppressus. ibid. 40. &c.

Miracula Christianæ fidei præcones apud Rugianos ædunt. 294,47
Miracula dæmonum. 294,20.
Mirocus pugil. 310,15.
Mitfrithi pagus. 130,43.
Mithotyn præstigiator. 12,38. cæsus ibid. 44
Moen insula. 169,6.
Monense promontorium, 304,24.
Mona. ibidem.
Mora expers subsidij malum. 97,2.
Morbo oppetere militibus probrosum quondam. 135,12.
Moringia. 144,17.
Mors optima quando. 138,30
Mors membrorum mutilatione eligibilior. 44,32.
Morte nihil iucundius calamitosis. 72,26.
Mortuorum militum instructa acies. 53,33. 61,9.
Muliebris animi fides lubrica. 54,11. inconstantia. 63,14.
Muliebris loquacitatis exemplum. 61,34.
Muliebris patientiæ mirum exemplum. 203 20.
Mulieres munusculis capi. 96,25
Muneris precium quomodo sæpe ex offerente pendeat. 40,42.
Mures vltro mari submersi, prodigium. 325,6.
Murial Scotorum rex occisus. 158,17.
Murices ferrei strati, siue sparsi. 85,55. 94,2
NAnnæ puellæ forma. 36,8. eiusdem ad procum Balderum oratio. 37,35. eoq; deuicto, vxor Hothero tradita. 38,17.
Nasus scorto præcisus. 29,13.
Naturæ ministrum esse, qui morti vicina perimit. 138,29.
Nauigationis luxus insignis. 98,54.
Nauigia perterebrata. 66,21. &c. 71,47.
Necessitas humanæ infirmitatis duratrix. 249,33.
Necessitas ingens telum. 80,7 &c.
Necessitas parricidio non redimenda. 144.5.
Necessitas superbiæ imperat. 324,42.
Necessitatis extremæ præsidium in deorum ope. 147,54.
Necessitatis quanta sæpe fiducia. 232,19.
Nef rex. 128,40.
Nica fluuius. 240,1.
Nicolaus Bos. 286,7.
Nicolaus Cardinalis Romanus. 238,21.
Nicolaus eques Sialandensis. 280,22.
Nicolaus Razi filius Slesuicensium satrapa. 269,54.
Nicolaus Wendilensis. 295,48.
Nicolaus rex. 208,7. eiusdem in filium Magnum perfida charitas. 218,1. &c. interitus. 223,1. &c.
Nicolai in fratrem Olauum charitas. 204,26
Nicolai militis fortis interitus. 239,24.
Nicolai Sticonis filij cædes. 297,8.
Nidum proprium polluere, prouerbium. 66,6.
Nobilitas fortitudini olim tributa. 77,42.
Nobilitas ociosa, superbiæq; & luxui dedita taxatur. 107,38. 108,1 &c.
Noctes claræ in solstitio æstiuali. 286,41.
Normani à Danis victi. 65,1 &c.
Normanorum clades ingens. 83,25. à cane Biornonis. 91,20.
Normanis datus pro rege canis. 121,5.
Normoria prouincia. 80,46.
Noruagia. 3,10 &c. ib. 28. Fridliuo subacta. 154,35. maximi pontificatus titulis insignita. 238,1.
Noruagiæ regnum septeno prouinciarum numero. 78,12.
Noruagiæ Regũ genealogia & origo. 112,38.
Noruagiæ gentis ingratitudo. 172,21.
Noruagicum bellum. 8,32.
Noruagiensium bibacitas. 221,52.
Noruagiensium clades. 187,43.
Noruagiensium regnum bellis & tytannide corruptum. 276,36.
Noruicus portus. 158,26.
Nubendi arbitraria fœminis potestas concessa. 77,25.
Nucletus. 163,51. eiusdem obitus. ibid. 53.
Nuptiæ imparium infelices. 37,38.
Nupturis olim libera in matrimoniorum delectu optio concessa. 63,11.
Nyce fluuius. 283,14.
Nympharum sylvestrium antrũ. 36,13. 39,12
OCco schismaticus. 268,12. &c.
Oceanus terrarum ambitor. 144.53.
Oceani in Fresia inundatio. 2,50.
Ocium petulantiæ ac libidinis causa. 62,5.
Ocio vires hebetari. 336,16.
Octauianus Germaniæ præfectus antistes. 267,39. 273,39.
Oculorum continentiæ in puellis laus. 113,27.
Odda prouincia. 297,49.
Oddo Iathriæ regulus. 133,53.
Oddo magnus & piraticæ peritissimus. 64,47 æstu oppressus. 66,38. 69,33.
Oddora fluuius. 302,29.
Odÿ ad gratiam difficilis transitus. 185,9.
Oestri caudæ palea submissa, insidiarum cauẽdarum occultum indicium. 46,6.
Offotus gigas. 88,17. &c.
Olandia. 80,49. 110,2.

Olauus Fridleui filius. 91,44.
Olauus primus, rex. 125,11. Vffo dictus. 59, 35.
Olauus ab Haraldo oppressus. 125,35.
Olauus secundus, rex. 151,32.
Olaui collis. ib.5.
Olauus Noruagiæ rex. 170,19. Christianissimum amplexus. 171,39. Iacobus dictus. ibid.46. eius mors. 173,3.
Olauus Anglorum rex. ibid.37.
Olaui superstitiosa religio. 175,31. interitus. 177,15.
Olauus Kanuti frater. 196,23. eiusdémque in eundem perfidia. ibid. & 192,1. &c. captiuitas. ibid.32.
Olauus tertius, rex. 201,8. eiusdem pro populo suo obitus. 202,28.
Olauus Haraldi filius regno inhians periclitatur. 226,38. ob pontificem cæsum, excommunicatur à papa. 227,53.
Olauus Throndorum rex. 125,41.
Olauus Wermorum regulus. 127,32.
Olaui Dani cædes. 297,7
Ollerus rex constitutus. 41,45. præstigiator insignis. ib.53.
Olimari regis cum Erico colloquium. 78,20.
Olo Syuardi filius. 126,18. eiusdē de Gunnone & Grimōe latronibus victoria. ib.25. 127 &c. item de Hiallo & Scato. 128,9.
Olonis oculorū acies. 126,23. 127,48. 133,29 pulchritudo. ib. Vegeti cognomē ib. crudelitas regnandi. 133.17. interitus. ib.33. &c
Oluir. 129,35.
Omundus Olonis ex Esa filius. 128,18. 133, 21. rex creatur. ibid.43. eius mors. 138,46
Omundus Sueonum rex. 175,24.
Omothus. 134,24.
Onef rex. 128,40. Oneuus. 80,39
Opo Sialandicus. 178,23
Orcades. 80,51. Fridleuo subditæ. 154,35. earundem populatio. 158,17.
Orm Britannicus. 126,4. siue Anglicus. 129. 47.
Ormo Waldemari regis germanus cognominatus. 277,28.
Orna vrbs. 212,48
Ornenses vrbem suam, ne hosti relinquatur præda, incendunt. 278,39.
Orthunga vrbs. 282,26.
Osni oppidi incendium. 285,27.
Ostenus. 114,34. 274,52. Haraldi ex pellice filius. ibid. cæsus. 276,4.
Ostmarus. 120,38.
Ostroznum. 282,25. Ostrozna. 323,30.
Osura. 83,48. 84,26. &c
Otharus Syrithæ procus. 113,12. eius virtus. 114,19.
Othenæ vrbs. 246,8.
Othuncarus Albus pontifex. 173,12. eiusdē liberalitas, & in docenda religione fides. ibid.13. 177,49.
Othinus pro deo habitus. 12,18. 34,30. 36,7 40,16. 42,9. à dijs proscriptus. 41,34. tandemq; regno restitutus. ibid. 51. præstigiator deus. 93,2. 132,35.
Othinus Haraldo obuius aciem instruere docet 125,15.
Othinus Danis in auxilium venit. 142,25.
Othini oraculum apud Vpsalam. 124,21. &c.
Othini pertinax in ambiendo Rindæ puellæ cōcubitu studium. 40,16. &c.
Otho Cæsar. 164,53
Otho Slesuicensis antistes. 270,5.
Otimarus. 308,15. captus, rursumq; dimissus 309,16.
Ozna vrbs. 310,46.

P Altisca vrbs capta. 20,3.
Parcarum oracula super futuris liberorum euentibus olim consulta. 92.8.
Parricidarum olim supplicium. 140,49
Patientia inter fortitudinis genera excellens, 27,3. &c.
Patriæ hostes exules qua pœna mulctandi. 77, 35.
Penus fluuius. 277,40.
Petia insula. 154,33
Petrus Christophori Waldemaro prognati pædagogus. 282,10
Petrus Eliui filius, eiusdemq; virtus. 278,54.
Petrus Euari filius satrapa. 325,41.
Petrus Roskildensis episcopus. 219,43. eius interitus. 222,53. 225,40.
Petrus Thema. 249,12. 251,5.
Petrus Thorstani filius. 235,38. 243,37.
Petrus Toddo. 302,17.
Petri antistitis prudentia. 260,28
Pheonia. 12,44. Pythonica ars. 9,17.
Pignoris vsus interdictus. 77,44
Pignorum positio maximarum litium causa. ibid.46.
Pipinus Caroli filius. 150,47.
Piraticæ Roskildensis descriptio. 234,31
Piraticæ vsus Danis creber, Sclauis non item. 168,53.
Plogus Suenonis regis pietatem expertus. 236, 7.
Pœnitentia sera atque inutilis quæ. 332,29.
Pola prouincia. 263,44.
Pomeranorū in oppugnandis Rugiensibus virtus. 290,35.

Pomeranorũ in Saxoniam expeditio. 285,9.
Pomeranorum lacus tribus ostijs in fretum decurrit. 229,17.
Pons aureus. 145, 47.
Pontificum plurimorum in acie interitus. 222 40. 223,1. &c.
Poppo pontificij honorem apud Arusium asse cutus. 171,31. 173,10.
Popponis Christianæ religionis apud Danos doctoris miraculum. 171,11. &c.
Porenutius simulacrum. 294,10.
Poreuithus simulacrum. 294,8.
Por portus. 279,20.
à præda dehortatio regis ad milites. 23,45.
Porturia sinus. 286,32
Præconis officium scurrile. 100,42.
Præsul bibulus. 185,33.
Prisclauus. 261,14. eiusdem cum fortitudine pietas. 264,23. 265,47. 279,11.
Priuata ira feruentes, publica haud facile communione vniri. 230,4. in proco summum olim vitium existimatum, desidia. 62,45.
Prodigium de muribus. 325,6.
Prodigium iaculi inter auras volitantis. 164, 30. &c.
Proserpina Baldero morituro in somnis astare visa. 39,53.
Proteus. 10,28
Prouerbiorum lepor. 65,50.
Proximum sibi quenque natura constituit. 17 53.
Prudentiæ præcepta. 262,34.
Prudentis contuitum pœnitentia vacuum esse debere. 64,31.
Puella vrso adamata. 174,53. 175,1.
Pugilum animos præmij certitudo accendit. 43,40.
Pugnæ fragor. 131,48.
Pugnandi ratio veteribus quæ. 27,55.
Puniceum scutum malo suffixum, pacis signũ. 37,13.

R Adulfus Britannus scriba 270,28
Radulfus eques. 246,48. &c. eius virtus. 241,21.
Rafnonis cædes. 65,3.
Ramlosa vicus. 227,40.
Ramso vicus. 249,21.
Randrusium. 250,30. 252.54.
Randus rex. 128,40.
Rani. 84,28
Ranonis elusa simulatio. 260,47.
Rapinæ lex. 77,31.
Rathbarthus. 153,34. 154,34.
Rati. 129,33.
Reduarthus rex. 128,40.
Reso, vulpeculam se appellat, 150,15. eius interitus. ibid.
Regnaldus. 113,5. cæsus. 114,20.
Regnaldus Coloniæ antistes. 273. 31. eius cædes. 278,14.
Regnaldus Normannorum rex. 120,50. cæsus. 121,3
Regnaldus Regneri filius. 155,11
Regium nomen olim Danis ignotum. 5,17.
Regium somnum perrumpere capitale quondã 109,44.
Regis eligendi priscus Danorum mos. 5,31.
Regis impietas mira episcopi seueritate castigata. 189,41. &c.
Regi imitandus hortulanus. 232,35.
Regi nihil gloria maius. 72,16
Regem fides paruula, tutius ingenti perfidia vallat. 70,32.
Reges accusatoribus difficiles præbere aures debere. 215,6.
Regum cliẽtelæ se olim daturi, quem ritum obseruarint. 35,15.
Regum percussoribus quondam regnorum successio decreta. 140,40.
Regibus non expedire è longinquo petita cõnubia. 62,19.
Regnerus. 20,30. 21,32. Suetiæ rex. 22,14. Frothoni reconciliatus. ibid, 28. eius mors. 26,6.
Regnerus pugil. 64,44.
Regnerus adhuc in cunis rex constituitur. 151 51. Syuardo succedit. 152.25.
Regneri in ducenda vxore Lathgertha virtus ibid. 44. nec minor in comparanda Thora. 153,1. &c.
Regnerus Lothbrog per ludibrium cognominatus. 153,30. eiusdem in conficiendis draconibus fortitudo. ibid.
Regnerus puellæ cuiusdam rapiendæ studio muliebri habitu induitur. 155,32.
Regneri in Hellesponticos expeditio. ibid. 49.
Regneri de Biarmis & Finnis victoria. 156, 52. item de Melbrico & Hella regibus. 158,26. &c.
Regnerus mœrore ob filij cædem prostratus, vxoris exhortatione rursus erigitur. 157,45
Regneri in filij interfectorem clementia. 158. 2. in religionem Christianam Daniæ illatam impietas. ibid. 52. interitus. 159,3. &c.
Regneri duplex fortuna. ibid. 13
Regnilda. 15,19. Hadingum maritum eligit. ibid. 26.
Regnonis in pupillos Haraldum & Haldanum fides. 109,25.

Renso

Renſo insula. 77,55.
Reuillus. 80,33. 81,12.
Rhingo cæsus. 8,25.
Ricardus patria pulsus. 175,22.
Richaldus Lundensis episcopus. 202,11
Riko Lundensis episcopus. 225,45. &c.
Rimbrandus pontifex. 173,10.
Rindæ austera pudicitia. 40,30. ab Othino tamen astu victa. ibid. 48. 41,1. &c.
Ringo Ingeldi filius. 126,10. 151,41. occiditur 152,23.
Ringonis bellum contra Haraldum, eiusq; belli duces. 130,20. classis. ibid. 45. ad suos oratio. 131,26. clades accepta. 132,46. mors. 134,20.
Ripa vrbs. 213,8. 225,51.
Roarius. 6,30.
Robertus Flandriæ præfectus. 194,16.
Robertus Normaniæ præfectus. 174,38
Roboris firmandi epulum ex anguium tabe. 39,19. 65,23.
Rodlandus. 270,44. 273,21
Roe rex. 25,25. occisus. 26,14. 132,4
Roe dux, Barbæ cognomine. 129,33.
Rollerus. 64,44. exterarum rerum studiosus. 65,7. Norvagiæ regnum sortitus. 78,11. eius fortiter gesta. 80,46.
Rollero Hanunda nupta. 73,38
Roliung campus. 100,6. 138,46.
Rolpho, siue Roluo, ex incestu patris & filiæ natus. 26,2. patri in regno succedit. ibidem, 26. à matre quanquam vocatus non agnoscitur. ibid. 48. eiusdem patientia. 27,10. liberalitas. ibid. 39. 31,37.
Roluo ob corporis magnitudinem Krage vocatus. 28,22. ex insidijs ab Hiarthwaro oppressus. ibid. & 38,36.
Roricus cæsus. 31,30. 124,48.
Roricus rex, Slyngebond cognominatus. 43, 47. eius mors. 53,42.
Roskildense templum a quo extructum. 194, 45. eiusdemq; motis Wilhelmi cineribus ruina. 195,1. & 11. restauratio. ib. 55. &c.
Roskildensis episcopi post Asceri obitum turbulenta electio. 253,34.
Roskildia à Roe condita. 25,25. capta. 230,45
Roskildiæ Suenonis perfidia conuiuio in pugnã verso Kanutus cæsus, Waldemarus & Absalon effugiunt. 248,5. &c.
Rosterus. 40,34.
Rostiophus Phinnicus. ibid. 19.
Rostock oppidum. 265,43.
Rotala vrbs capta. 19,53. 20,1. &c.
Rotho pirata. 121,41. à quo Rothoran, pro gratuitis rapinis. ibid. 44.
Rugia. 144,21. 224,39.
Rugianorum defectio. 287,2. superstitio. 289 10.
Rugiæuithus Karentinorum simulacrum. 293 40.
Rugiensium clades. 259,42. oppugnatio. 280, 33.
Rugiensibus Christiana religio tradita. 292, 42. non absq; miraculis. 294,20.
Rusila virgo bellicosa oppressa. 60,30. 125,42
Ruslæ virginis ferocitas. 134,30. à fratre Throndo tandem cæsa. ib. 44.
Rutæ nuptiæ cum Agnero. 27,45. cum Biarcone. 28,15.
Ruthenorum clades nauigijs perfossis submersorum. 19,35. &c.
Ruthenorum regum strages. 79,31.
Ryngstadium. 217,6. ibid. 34.
Ryngstadij sepultus Waldemarus rex. 332,51

Sacerdotibus coniugia decreta. 327,22.
Sacrificium nullum Deo sceleſtorum nece iucundius. 337,26.
Sagittæ nuncio bellum olim repentinum indicatum. 77,38.
Salgarthus. 129,33.
Salutem dedecore non mercandam. 111,2.
Sambar. 129,33.
Sampso insula. 84,29. siue Samsa. 326. 54. 336,4.
Sarpa vrbs. 277,19
Satelles regi id, quod fabro forceps. 64,35.
Saxones tributarij Danis facti. 150,27.
Saxonum diuiduum stipendij faciendi officiũ. 281,31.
Saxonum luxus. 104,14. temeritas pronior quàm prudentia. 284,45. virtus. 270,21.
Saxonibus tributi lex à Danis imposita. 150, 27.
Saxoniæ regnum ad Danos translatum. 59,33
Saxonici equitis dictum. 283,27
Scaha prouincia. 130,44.
Scalcus Sclauiæ rex. 25,29.
Scalck Scanicus. 81,41. 129,34. cæsus. 83,50
Scania Christianismum ab Othincaro pontifice edocta. 173,23.
Scania piscosa. 3,7.
Scanicæ plebis in regem Waldemarum & religionem tumultus. 327,1. in Absalonem ingratitudo. ibidem, 33. 328,29. cum rege pugna. ibid.
Scanorum seditio. 328,31.
Scarchdhus pugil. 155,15.
Scatus. 25,20

Scatus pugil. 5,55. *Alemaniæ ſatrapa.* 6,8. *à Scioldo cæſus.* ibid.
Scati & Hialli fratrum petulantia. 127,29. *& ab ijſdem cæſis vici nomen.* 128,15.
Scelere parta omnia, & carere gloria,, & minime eſſe diuturna. 35,25. 95,46.
Scioldus, eiuſdemq́ indoles & virtus. 5,45. *à quo Scioldungi.* 6,2.
Sclauia bello petita. 229,47.
Sclauorum cædes. 76,54. 77,1 &c.
Sclauorum clades. 184,22. *defectio.* 42,33. *effrenata ingenia.* 204,15. *in Sialandiam expeditio.* 241,13. *fuga & interitus.* ib. 45 *piratica.* 321,11. *ſuperſtitio.* 288,30 &c.
Sclaui mille quingentarum nauiũ claſſe Hallandiam appulſi, naufragio pereũt. 250,12.
Sclauorum cum Danis nauale prælium. 337, 20 &c. *fuga & clades.* ibid.
Sclauorum ſacrilegium, atq́ hinc ſecuta naufragij clades. 305,26.
Sclauorum pacis conditiones. 279,4.
Sclauis piraticæ vſus aliquando perrarus. 168, 53. *& vnde ad eos manarit.* ibid.
Scorro Waggnonis filius. 300,22.
Scotia inſula meridionalis. 154,33.
Scotus. Scoticum nomen. 22,34.
Scotorum fuga. 24,42.
Scroter nauigium. 64,43.
Sculda Hiarthwaro nupta. 28,19.
Scypetorp vicus. 224,18.
Scythæ Regnero ſubacti. 156,9.
Sela Colleri regis ſoror occiſa. 44,45.
Selgretius Chriſtophori waldemari filij pædagogus. 282,10.
Sembia Danis ſubacta. 166,33.
Senectutis mala. 135,33 &c.
Senum duorum diſpar ſtudium. 116,42.
Sepulchri violati vindicta. 195,32.
Sepultura, ſupremum humanitatis officium. 44,23.
Serarum vſus interdictus. 77,20. 83,41.
Sialandia. 3,2. *Chriſtianiſmum ab Othincaro pontifice edocta.* 173,23.
Sialandiæ præficitur rex Hetha fœmina. 133, 10.
Sictrugus rex. 6,35. *occiſus.* 1,18.
Sigaris oppidum. 119,28.
Sigarus rex, à quo villa Syerſted. 114,30.
Sigari mors. 120,7.
Signe. 8,31. *in nuptijs rapta.* 9,1.
Sigtim oppidum. 130,51.
Silentium pro conſenſu. 286,21.
Simundus athleta. 130,51.
Siritha Sueñois filia Guthſcalco nupta. 188,11
Sircipinenſis prouincia. 307,49.
Sirtuallini agri. 32, 27.
Sialdi & Haldani pugna. 111,23. *in qua Sialdus cum ſeptem filijs cæſus.* ibid. 52.
Sialdus Gothorum & Danorum rex. 113,5.
Sialdus ſecundus. 114,30. *eius cædes.* 120, 22.
Sialdus tertius. 142,32.
Sialdi tolerantia. 166,5.
Siuari cum Guritha nuptiæ. 123,35. *cædes.* 124,18.
Siuardus Haraldi ex pellice filius. 274,52. *caſus.* 275,51.
Siuardi mirus nauali ſe captiuitate liberantis aſtus. 274,37. *nandi peritia.* 275,2. *miſerandus interitus.* ib. 17.
Skierum oppidum. 130,44.
Skrep gladius. 58,40. 59.28.
Skricfinni. 4,22.
Skyalmo barbatus. 259,40
Skyalmo candidus. 186,41. 187,20. 203,51 205,51.
Slagloſa. 284,3.
Slangathorpia. 206,45.
Slangetorp villa. 230,24.
Snio Syualdi filius. 142,32. *eius in ambienda vxore calliditas.* ib. 36.
Snyrtir. 33,15.
Sobrietas fortitudinis vinculum præcipuum. 93,49.
Societatis iura non firma, niſi inter pares. 37, 36.
Solitudo ægritudini amica. 39,7.
Sophia Kanuti ſoror vterina. 240,31. *Waldemaro nupta.* ibid. *Kanutum filium enixa.* 274,27.
Soporem metu tantiũ vacuis obrepere. 259,2.
Sorlus Sueonum rex. 155,10. *eius cædes.* ibid. 20.
Sponſalia infantium, incunabulis adhuc vtentium. 277.35
Stadium oppidum. 25,35,
Stange mons. 176,42.
Stangby villa. 176,13.
Starcatherus pugil. 92,37. 128.44. *mira eius origo.* 92,37. *in Wicarum perfidia.* 93,35 *cum Hama pugile lucta.* 95,19.
Starcatherus Suetici belli ſcriptor. 129,5. 132,2.
Starcatherus ab occidendo Olone ſola oculorũ acie depulſus. 133,29.
Starcatherus vitæ diuturnioris pertæſus, volũtariæ ſeſe morti offert. 135,6. 136,17. &c.
Starcatheri acta. 94,38. & *fol. ſeq. ab ipſomet carmine expoſita.* 135,33 & *ſeq. verſibus.*
Starcatheri auſteritas. 102,15. 103,6. *cõſtantia.*

tia.ib.37.celeritas.99,35.tolerãtia ac fortitudo miranda.100,4.effigies ſaxo impreſſa ib.31.fuga 114,24.magnanimitas 100 55.ſobrietas.93,48 &c. luxus & ocÿ odium.96,17.102,39.interitus. 138,40.
Steffnicæ prouinciæ dimidium aris à rege pro imperÿ expiatione collatum. 191,26.
Stenbiorn. 88,2.
Stephanus pontifex Vpſalenſis. 297,23.
Stethinnenſe promontorium.223,2.309,29.
Stiklæ virginis pudicitia. 82,24. cædes. 125,45.
Stipitem per omnes libertatis petendæ gratia mittendi mos. 329,6.
Stitinum oppidum.302.27. eiuſdem ſitus. ib.31. oppugnatur. ib.37.
Stitini præſidio non defendi, prouerbium. 302,33.
Stolpa vicus. 278,36.
Storuerkus. 92,37.
Stormaria. 330,18.
Strategema.19,27.20,3 &12. incendendæ vrbis.12,6.20,3.61,4. in perterebrandis hoſtium nauigÿs. 66,23.71,47.
Strela inſula. 281,8.336,50.
Strumicus athleta captus. 310,20.
Strunicus Sclauorum rex, eiuſque cædes. 76, 45,ibid.53.
Stultitiæ ſimulatæ exemplum. 45,8.
Sturbiornus regno eiectus. 164,39. occiſus. 165,9.
Suanhitæ puellæ indoles.20,32. in virum charitas. 26,6.
Suanlogha Regneri vxor.155,12.eiuſdē ad virum mærore proſtratũ exhortatio.157 48.mors. 158,21.
Suantouitus ſimulacrum,eiuſq; apud Rugienſes ſuperſtitio. 288,36. eiuſdem euerſio. 292,21.
Suarinus Gothiæ præfectus ob regni affectati ſuſpicionem in pugnæ certamen vocatus opprimitur. 8,19.
Suen. 129,32.
Suddathorp oppidum. 191,55.
Sueno furcatæ barbæ cognomine clarus. 25, 26.166,26.167,41.regnũ parricidio occupat.168,13. eiuſdem in Chriſtianam religionem impietas.ib.32.captiuitas. 169, 26.redemptio.ib.exilium. 170,23 &c.
Sueno religionem Chriſtianam amplexus, regno & patriæ reſtituitur 170,38.eius mors. 173,27.
Sueno Kanuti filius ex Aluuiua. 177,24. mors eius. 181,33.
Sueno ſecundus,rex. 182,54.183,1 &c. eiuſdem cum Magno pugna. 183,46.
Sueno ab Haraldo victus. 184,22. eiuſdem circa religionẽ ſtudiũ, libido,filÿ.187.47. inceſtus.188,14. impietatis expiatio.190, 22.mors. 191,54.192,1 &c.
Sueno expræfecto ſacerdos189,4.eiuſdẽ literarũ latinarum ignorãtia, earundemq; poſtea ſtudium ib. pontifex Wilhelmo ſuccedit. 192,37.
Suenonis pontificis apud Danos authoritas.201 52. religionis ſtudium.ib.53.202,1 &c.
Suenonis Erici ſecundi filÿ ambitio.207,11.
Sueno tertius,rex.228,42. eiuſdem poſt virtutem bellicam in excolendis muniendisq; locis ſtudium.234,25. & poſt in ocium ac vitia declinatio.237,15.cum Waldemaro colloquium. 246,26.
Suenonis fuga & exilium à Germanico cantore recitatum. 248,23.
Suenonis in Waldemarũ perfidia. 246,26. item in Kanutum. 247,26.248,25 &c.
Suẽonis fuga & captiuitas.252,17.interit⁹ ib.
Sueno Aruſÿ pontifex. 278,39.293,9.
Suenonis Danorum regis ſuperſtitio.288,28.
Sueno Scolingus. 295,48.
Sueones à Sialandenſibus deleti. 35,27.
Sueonum duces fortiſſimi qui. 130,45.
Sueonum erga exules animus. 233,7.
Suerco Sueonum rex conſtitutus. 221,8. eiuſdem interitus. 245,7.
Suerco Kanuti vitricus. 233,5.
Suertingus Saxoniæ regulus.92,27.102,30. eiuſdẽ fraudulentia.95,38.& cædes ib.49.
Suerus ex ſacerdote miles. 311,20.
Suetia.3,25.4,28.Danis ſubdita. 26,28.
Sueticum bellum.6,36.eiuſq; duces. 129,32.
Suibdauus. 94,25.
Suina. 321,15.
Sumblus Phinnorum rex. 8,30.
Summoriam & Normoriam prouincias Rollerus vectigales effecit. 80,46.
Sundby vicus. 241,11.
Suno captus oculis priuatur. 230,34.
Sunonis in waldemarũ fides.243,26.item in eiuſdẽ præſentiẽda morte auguriũ.332,34
Superbiæ incitamentum proſperitate nullum maius. 43,30.
Superi obſequio, non viribus propitiandi. 190,41.
Suſa fluuius. 119,46.120,25.
Swauildæ ſpecies eximia,& cædes miſeranda. 142,3.
Suuertinum oppidum. 278,4.
Suuibdagerus rex.8,32. &c. ab Hadingo oppreſſus. 12,14.

Sybbonis cædes. 140,44.
Syfridus Thuringus Waldemari gener. 331, 36. 335,19.
Sygaftha insula. 325,52.
siue Sygostha. 326,17.
Sygne 108,50. 114,31. 115,54.
Sygnes cum Hagbartho complexus & colloquium. 117,18 &c. inq; eundem iam moriturum fides. 118,46.
Sygrutha Vnguini regis filia. 112,41.
Syra insula. 219,54. 223,37. 297,51.
Syricus rex. 25,34.
Syrita regina. 170,48. ex insidijs fluctibus immersa. 172,13. Suenoni nupta. ibid.
Syrithæ pudicitia. 113,6. 114,7.
Syuardus Noruagiæ rex cæsus. 152,24.
Syualdus cum septem filijs ab Haldano exitio traditur. 111,52.
Syuardus Haldano patri, Starcatheri virtute succedit. 101,41 &c.
Syuardus Suetiæ rex. 108,50.
Syuardus Gothorum rex. 114,33.
Syuardus eius nominis primus Danorum rex. 138,48. eiusdem mors. 139,35 &c.
Syuardus secundus rex, cognomento Ring. 151.39. moritur. 152.23.
Syuardus tertius, rex. 153.35. 160.5. vulneratus miro prodigio restituitur. 154.3.
Syuardi sinus. 160.3.
Syuardi serpentini oculi. 154.17. nunciata patris morte stupor. 159.27.

TAcho Danicæ de Sclauis victoriæ nuncius. 339,1. Taka. 271.29.
Tander. 84.27.
Tannas gigas. 95.4.
Tatar. 129,38.
Temeritatem libertate nutriri. 63,47.
Tempore aut casu humani animi ægritudines leniri. 253,8.
Tetislauus Rugianorum rex. 278,2. 293.4.
Tengillus rex. 83.55.
Thetleui militis in Kanutum & waldemarũ facinus. 248.28 &c.
Thetleuus captus. 252.32. occisus. ibid
Theuthonia. 2.46.
Theutones Danis subiugati. 25.38.
Theutonum luxus. 102.50. 104.10 &c.
Thira. 161.38. eius pudicitia. ib. in prodendo Gormoni de filio eius nuncio callidi tas. 162 52. 165.1 &c. virilis in regno administrando animus. 161.15. mors. 166.38.
Thira Suenonis filia. 170.18. Olauo Noruagiæ regi vxor data. 172.8.
Thiuta fluuius. 228.21.
Thola siue Tholas. 134.9.
Thor præstigiator pro deo cultus. 21, 36. 93.2. 147.5. 110.34.
Thora Cusonis filia Helgoni compressa. 25.33. eidemq; impetrante Hothero in matrimonium data. 37.15.
Thora Herothi filia. 152.55. Regnero in vxorẽ data 153.10. moritur. 154.18.
Thoraldus. 20.30.
Thoraluus. 164.22.
Thorberni equitis facinus. 280.25.
Thorberni vicus 248.6. perfidia. ibid.
Thorbiorn. 88.3.
Thorbiornus. 244.41.
Thordo Lundensium præfectus. 320,31.
Thorias Longus. 80.47.
Thorias pirata. 134.49. Noruagiæ dux. 135,2.
Thorilda Haldano deiecti Grimmonis præmium data. 112,21 &c.
Thorildæ in priuignos sæuitia. 20.29.
Thorkillus 132.11. eiusdem cum Gormone rege ad scrutandos Oceani fines nauigatio. 144.44. 145.1 &c. in monstrorum insidijs cauendis prudentia. ibid. 50. 146.1 &c. intemperantia. 147.28. ad Vgarthiloci oraculum profectio. 148.8 &c. eiusq; reducis cum ingrato rege expostulatio. 149.38.
Thorkillus ad Germaniam delatus Christianorũ sacrorũ rudimentis imbuitur. ib. 27.
Thorkillus Suetiæ dux. 157,2.
Thormerus, eiusdemq; captiuitas. 320,49.
Thorny. 129,37.
Thoro insula. 25,33.
Thoronis admirandum robur. 37,53. 38.1 &c.
Thoro pugil. 110,26.
Thoro regulus. 128,19. cæsus. ib. 39.
Thorsta vicus. 230,53.
Thoruillus rex. 128,40.
Thoruingus. 129,37.
Throndus à sorore Rusla victus. 134,26.
Thrugillus cognomine Sprageleg. 175,16.
Thrugothus. 201,18.
Thuningus. 15,53.
Thynna insula. 303,55.
Tiruingar. 84.27. Toli. 129,44.
Toko pirata oppressus. 111,7.
Tokonis cædes. 126,44.
Tokonis sagittandi peritia. 166.46. & de eodẽ non dissimilis historia, ei quam de Wilhelmo Tell referunt Heluetij. ib. &. 167.1 &c eiusdem de Tyranno vindicta. 168,24.
Tokonis in sedanda cõcionis turba autoritas. 240,14.
Toko Burgalensis pontifex. 263,18.
Toko wendilensium pontifex. 282,23.

Topsho-

Topshogicum nemus. 192,17.
Torkilli auaritia. 23,17.
Toronis Riparum antistitis perfidia. 218,35. 219,1.
Tostonis ferocitas. 16,51. *ab Hadingo occiditur. ib.* 20.
Tosto Peculator. 198,18.
Tosto victimarius. 128,20.
Touo Longus. 295,51. 297.47.
Tranno Ruthenorum rex. 19,35.
Tribusana prouincia. 281,47.
Triumphus antè carpendus quàm census. 23,53.
Tuko Wendilensium antistes. 316,18.
Tummi. 129,45.
Tunsbergum oppidum. 277,22.
In Turcas bellum toto orbe Christiano susceptum. 229,37
Tyle vltima. 129,36.
Tylensium industria. 2. 12.
Tymmonis Sialandici virtus. 174,2.
Vagnophrus gigas. 9,10.
Vagnostus. 13,21.
Vartisclauus Sclauiæ rex. 212,47
Vbbo Vluilda vxore fretus Daniæ regnum occupat. 22,17.
Vbbonis magnanimitas. 43,35.
Vbbo athleta. 125,50. 129,48. *multi nominis pugil, eiusdemq; interitus.* 132,22
Vbbo Regneri filius. 155,54. *eiusdem regni affectati insolentia.* 156,54. *captiuitas.* 157,21
Vbbo patrem bello adoritur. 157,17. *eidem reconciliatur.* 158,1.
Vbboni Erici secundi filio regnum delegatur. 207,34.
Vbbonis suspendium. 222,24.
Verundia. 3,12.
Vespasius rex ab hostibus inter ocia ac lusus necatur. 20,7.
Vffo Asmundi filius fugit. 13,45. *ab Hadingo opprimitur.* 16,19.
Vffo Wermundi filius, eiusq; adhuc iuuenis austeritas. 54,23. &c. & *magnanimitas.* 57 53. &c. *diuturniq; silentij causa.* 58,22. *robur. ibid.* 37. & *in duobus vno prælio oppugnandis superandisq; virtus.* 59,6. 203,42 *Daniæ & Saxoniæ regnum suscipit. ib.* 32.
Vgarthilocus. deus. 147,55. 148,1. &c. *eius oraculum consulturus accedit Thorkillus.* 148,13. *eiusdem specus.* 149,6. *fœditas. ibid.* 48.
Vggerus vates. 80,20.
Viggonis facetum scomma, armilla donatum. 28,22.
Viggo solus Danis cum rege oppressis superstes. 35,1. *eiusdem in rege vlciscendo fides. ib.*
Vigletus rex. 53,42. *victus ibid. victor. ibid. eius mors.* 54,18
Violentia necessitate axcusabilis. 274,10.
Virginis violatæ pœna. 79,35.
Virginum intacta libertas apud Danos. 70,44
Virginum syluestrium, bellicæ fortunæ præsidium, conclaue. 36,13. 39,12.
Virginum votis multum inesse varietatis. 63,14.
Viribus quàm verbis confligere speciosius. 77. 48.
Viridis portus. 331,42
Virtus aut præmijs pascitur, aut laudibus incitatur. 27,44.
Virtus luxus esse ne spectatrix quidem potest. 94,14.
Virtus metallo potior. 24,8.
Virtus ne à necessarijs quidem secura. 44,50.
Virtutis & formæ collatio. 116,13.
Virtuti fortunam deferendam, non contrà. 77,43.
Virtuti nulla non ætatis pars congrua existimari debet. 8,28
Virtute inuidiam vincere difficile. 92,34
Virtute non numero bella gerenda. 134,5.
Visza fluuius. 186,35.
Vita cunctis re prior. 36,48
Vita indignos esse, qui eam scelere comparare aut tueri studeant. 144,10
Vitium alterum alterius incitamentũ. 44,54.
Vitiorum teneræ ætati impressorum tenacia vestigia. 22,42.
Vittho Fresonum pirata. ibid. 52.
Vitolfus Haldano vulnerato medetur, 110,15.
S. Vitus Coruegiensis, eiusdemq; apud Rugienses simulacrum. 289,11.
Vluilda. 108,50.
Vluildæ ambitio, & in patrem Hadingum impietas. 17,33. *item in fratrem Frothonem & maritum Scottum.* 22,34. *ib.* 48. &c.
Vluilda Norica. 221,12.
Vluo Gallitianus. 201,18.
Vluonis mira progenies. 175,17. *eiusdem callidita exequendi in Kanutum odij. ibid.* 51. *cædes.* 178,5.
Vluonis capti interitus. 252,29.
Vndensakre locus. 53,49
Vnguinus Gothorum rex. 112,41. *item Danorum constitutus.* ibid.
Vnno Bremensium pontifex. 171,47.
Voluptas rerum amaritudini succedens, iocundior. 72,48.
Voto se astringendi priscorum procerum mos. 28,39. 30,18.

Vpſala. 12,19. 13,40. 38,34. Suetiæ nobiliſſima vrbs. 99,22.
Vrcina ſylua. 284,29.
Vrſa. 26,2. eius cum patre inceſtus. ib. Athiſlo Hothbrodi filio nupta. ib. 28, & in eundem aſtus. ibid.
Vrſi ſanguine poto, robur corporis augeri. 28,12.
Vrſo adamata puella. 174,51 &c.
Vtgarthia. 158,3.
Waloguſtum caſtellum obſeſſum. 270,7.
Walagoſti dominiũ trifariã diuiſum. 279,10
Walagoſti mœnia ampliata. 310,30.
Walagoſti oppidi expugnatio. 322,7. *obſidio.* 339,24,
Walbrunna locus. 120,7
Waldemarus rex. 165,18. 169,1. 186,11.
Waldemarus Rutenorum rex, Iarizlauus etiã dictus. 187,49.
Waldemarus diui Kanuti filius. 231,2. *eiusdem in pugnando virtus.* 233,49. *fides & integritas.* 236,48. *cum Suenone expoſtulatio.* 246,26. *nuptiæ.* 250,28. *patientia. ibid. iræ pertinacia.* 281,43. *integritas & conſtantia.* 311,17. *auguſta proceritas.* 330,51. *obitus.* 332,44.
Waldemari arbitrio regnum tripartito diuiſum. 247,28.
Waldemari inſidijs mire ſeſe extricantis virtus. 248,40. &c. *fugæ pericula.* 249,40.
Waldemari cum Suenonis copijs pugna. 251, 33, &c. *victoria.* 252,10. *regni initia.* 253,12.
Waldemarus rex ſuſcepto in Falſtrenſes bello grauiſſimum morbum incidit. 254,54
Waldemarus à Wicenſibus rex appellatus. 277,18.
Waldemari pater diuinitate, filius autem regno eodem die honoratus. 197,26.
Waldemaro ſtructæ à Magno & Kanuto inſidiæ quomodo proditæ. 311,46. &c. *eiusdem in Magnum inſidiatorem benignitas.* 317,23
Waldemari regis laus. 2,23. 3,17.
Walungia. 266,23.
Wathyſzlauus Stitini præfectus. 302,49.
Waſce athleta. 95,7. *qui & Wilzce. ib.*
Webiorga. 129,46.
Wecha. 41,10
Wegthbiorg puellæ virilis animus. 132,10.
Wemundus. 114,34.
Wendala. 165,3
Werapons. 87,6. 221,19.
Werendorum deditio. 239,34.
Wermundus rex. 54,19. *cæcus.* 57,33. &c.
Werundia. 131,14.
Weſetus athleta, 124,28. *occiditur. ib.* 46.
Weſtmarus. 61,28. *eiusdem infœlix cum Ericopugna, atq; obitus.* 71,29.
Wethemãnus pirata. 234,32. 258,9. 278,30.
Wiby villa. 315,45.
Wik prouincia. 82,8. 83,39.
Wicari regis fatum. 93,27.
Wigo. 54,33. 57,20.
Wilhelmus pontifex. 185,25. 188,23.
Wilhelmi epiſcopi obitus mirabilis. 192,20. *circaq; eiusdem violatum ſepulchrum miraculum.* 195,8. &c.
Wilhelmi reliquiarum odor. ibid. 28
Winus Sclauorum princeps. 94. 46.
Wiſinnus gladiator. ib. 55. *cæſus. ib. &* 95,1.
Wiſna virilis animi fœmina. 129,50.
Witheby vicus. 152,25.
Withſercus Regneri filius. 155,12. *Scytharũ prouinciæ præfectus.* 156,11. *Daxonis inſidijs circumuentus.* 157,27. *eiusdem forma. ibid.* 34, *in deligendo mortis genere fortitudo. ibid.* 38
Withora inſula. 289,22.
Wulf. 244,40.
Vulgus iniquus virtutis interpres. 122,3.
Vulnera aduerſo corpore excepta laudi, non decori eſſe. ibid. 2.
Vulpeculæ penſio. 150,38.
Worthyngum oppidum. 332,23
Vxorem ducturo quæ æſtimanda. 52,44.
Vxoratus quiſq; timidiſſimus. 239,16.
Z Vliſter dux. 322,8.
Zuuina fluuius. 298,34.
Zuinenſium arcium expugnatio. 340,24.
Zuyna oppidum. 331,41.
Zyudra. 279,23 &c.

FINIS.

Obſeruata quædam poſt impreſſionem operis.

Pag. 1. verſu 28. lege quantum pro quanquam. 305,55. tanta. 289, in margine Stuatira. 132. itidem in margine multi pro inulti.

FRANCOFVRTI AD MOENVM
EXCVDEBAT ANDREAS WECHELVS.
ANNO SALVTIS M. D. LXXVI.

